INSTITUTIONES
THEOLOGIÆ
DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ, ET MORALIS,
METHODO SYSTEMATICA PROPOSITÆ

AUCTORE

P. DOMINICO SCHRAM

BENEDICTINO BANTHENSE, SACRÆ THEOLOGIÆ, ET SS. CANONUM
PROFESSORE EMERITO.

EDITIO PRIMA TAURINENSIS

EMENDATA, AUCTA, INDICE RERUM INSTRUCTA,
ET IN TRIA VOLUMINA DISTRIBUTA.

TOMUS III.

TAURINI, 1837

EX TYPOGRAPHIA MUSSANO ET BONA

SUPERIORUM PERMISSU.

CONSPECTUS

TRACTATUUM, PARAGRAPHORUM, SCHOLIORUM

ET COROLLARIORUM PRACTICORUM

Quae in hoc tertio Tomo continentur.

TRACTATUS XIII.

De Sacramentis in genere.

Explicantur Natura, Partes, Materia, et Forma, Numerus, Ordo, Causalitas, Effectus, Institutio, Minister, Subiectum Sacramentorum in genere.

TRACTATUS XIV.

De Sacramentis in specie. De Baptismo.

Natura, Materia, Forma, Minister, Subiectum, Effectus, Necessitas, et Caeremoniae Baptismi explicantur.

TRACTATUS XV.

De Confirmatione.

Natura, Institutio, Materia et Forma, Minister, Subiectum, Effectus, Necessitas, Caeremoniae Confirmationis explicantur.

TRACTATUS XVI.

De SS. Eucharistia.

Natura, Institutio, Materia, Forma, Realis praesentia Christi, Transsubstantiatio, Minister, Subiectum, Effectus, Necessitas SS. Eucharistiae; Natura Sacrificii Missae, Minister, Subiectum, Effectus, Necessitas, et Caeremoniae Missae explicantur.

TRACTATUS XVII.

De Poenitentia.

Natura, Institutio, Materia, Forma, Minister, Subiectum, Effectus, et Necessitas Poenitentiae explicantur.

TRACTATUS XVIII.

De Extrema Unctione.

Natura, Institutio, Materia, Forma, Minister, Subiectum, Effectus, et Necessitas Extremae Unctionis explicantur.

TRACTATUS XIX.

De Ordine.

Natura, Institutio, Divisio, Materia, et Forma singulorum Ordinum, Minister, Subiectum, eiusque Obligationes, et Effectus Ordinis explicantur.

TRACTATUS XX.

De Matrimonio.

Natura, Institutio, Materia, Forma, Minister, Subiectum, Effectus, Obligationes coniugum, et Necessitas Matrimonii explicantur.

INSTITUTIONES
THEOLOGIÆ
DOGMATICÆ, SCHOLASTICÆ, ET MORALIS.

TRACTATUS XIII.
DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAP. I.
De nomine et natura Sacramenti.

§ 888. **A**d gratiam Divinam per peccata virtutibus opposita amissam iterum conseqnendam, conservandam, et augendam, Christus instituit Saeramenta. Est antem *Sacramentum* in genere res sensibus subiecta, qnae ex Dei institutione sanctitatis, et iustitiae tum significandae, tum efficiendae vim habet. Ita Catechismus Conc. Trid. *p.* 2. *n.* 10. Sacramentum in genere quid?

Schol. Sacramenti nomen a sacrando derivatur, quia ad res sacras initiat, et consecrat. Vel a secreto, quia rem arcanam continet; hinc quod apud Latinos Sacramentum, apud Graecos μυςήριον appellatur. Vario autem in sensu nomen Sacramenti accipitur. Apud Auctores profanos sumitur: 1. Pro pignore, quod olim a litigantibus in loco sacro depositum, illi peribat, qui causa cadebat, et aerario publico cedebat: Varro *l.* 4 *de Lingua Lat.* 2. Pro Iuramento, unde milites Sacramentarii dicebantur: ita Dempsterus *l.* 10 *Ant. Rom. c.* 3. Apud Auctores sacros Sacramenti nomen accipitur; 1. Pro re arcana et latente, sive sacra sit, sive non; quo sensu olim etiam Ecclesiasticae doctrinae capita, quae Gentibus occultabautur, a Patribus Sacramenta dieebantur. 2. Pro signo rei sacrae, non cniuscnmque, sed hominem Deo consecrantis; quo modo hic accipitur, et in genere snmptum, prout convenit Sacramentis tnm veteris, tum novae Legis, definitum fuit. Sacramenti etymon.

§ 889. *Sacramentum Novae Legis* est invisibilis gratiae signnm visibile, ad nostram instificationem institutum: ita Catech. Conc. Trid. *d.* 2 *n.* 5 sive, est signum sensibile sacrum, a Christo Domino permanenter institutum, ad producendam per se ex opere operato sanctitatem interiorem. Haec definitio, sicuti et illa § 888, sunt definitiones logicae, et secnndum genus et differentiam, quarum explicatio patebit ex sequentibus. Sacramentum N. L. quid?

Schol. 1. Nomen Sacramenti aliquando Protestantibus nostris displicuit, eo quod non extaret in S. Scriptura: sed inepte prorsus: est Nomen Sacramenti bene reti-

net Ecclesia. enim nomen Latinum, quod in primogenio textu S. Scripturae Hebraico, et Graeco frustra quaereretur. Cum vero in usu Ecclesiae Sacramentum idem prorsus apud Latinos significet, quod Mysterium apud Graecos; Sacramenti nomen Ecclesia merito retinuit; sicuti et multa alia vocabula, licet in S. Scriptura expresse non legantur. Et ideo ipsi Protestantes tandem hoc nomen acceptarunt, et soli Sociniani ab eo velut a superstitione abhorrent.

Definitiones Haereticorum. *Schol.* 2. Heterodoxi varias Sacramenti N. L. definitiones procudernnt. *Sociniani* definiunt Sacramentum, nudum et simplex signum, quo Christianus a Iudaeo, vel Gentili distinguitur. *Lutherani, et Calvinistae* definiunt Sacramenta, signa, seu sigilla divinitus instituta, ad obsignandas in nobis, et confirmandas Divinas gratiae promissiones, ad sustinendam fidei nostrae imbecillitatem, et excitandam nostram in Deum fidem, et pietatem. *Anabaptistae* volunt, Sacramenta esse, quibus admonemur, ut recte vivamus. *Zwinglius* vult, Sacramenta esse quamdam initiationem, qua Christo homines, velut milites Imperatori, obstringuntur. Hae omnes definitiones eo tendunt, ut Sacramentis vim ad sanctificationem hominis efficiendam auferant, quae tamen ex infra dicendis in illis agnosci debet.

Catholicorum. *Schol.* 3. Apud Catholicos etiam multae Sacramenti definitiones occurrunt, quae licet in nonnullis verbis discrepent, et aliae minus, aliae magis evolutae sint, et explicatae; unum tamen, et eumdem sensum orthodoxum efficiunt.

Sacramentum est in genere signi. § 890. Genus igitur Sacramenti utriusque Legis est signum, sive Sacramentum est in genere signi. Nam omne Sacramentum est Caeremonia, seu ritus sacer externus, a Deo institutus, significans rem sacram, religiosam, et ad cultum Dei pertinentem. Sic Circumcisio *Gen.* 17. *v.* 11. dicitur signum διαθήκης לאות *(Leot), in signum foederis. Ad Rom.* 6. *v.* 3. Baptismus dicitur signum mortis et resurrectionis Christi. 1. *Ad. Cor.* 11. *v.* 26. SS. Eucharistia dicitur instituta in memoriam passionis, et mortis Christi: imo esse signum praedicatur de multis rebus sacris, et Sacramentis specie distinctis, uti de Sacramentis veteris, et novae Legis. Ergo signum est genus Sacramenti.

Quale signum sit? *Schol.* 1. Sacramentum est 1. signum sensibile, quia est symbolum distinctivum Religionis. 2. Est signum rei sacrae, non cuiuslibet, sed hominem sacrantis, et active initiantis. 3. Est signum, non naturale, sed ex institutione Dei. 4. Est signum fixum, et in Religione perpetuum. 5. Est signum, quamdam habens cum re significata proportionem et analogiam. 6. Est signum efficax, et practicum sanctitatis, quam efficit, sive externa illa sit, et legalis, sive interna, et vera animae iustitia. Significat autem Sacramentum: 1. Gratiam sanctificantem vel futuram, qualem vetera; vel praesentem, qualem nova Sacramenta exhibent, et significant, et sic est signum demonstrativum. 2. Passionem, et mortem Christi, quae est causa gratiae, et vel futura, vel praeterita repraesentatur: et sic est signum rememorativum. 3. Vitam aeternam, quae est effectus gratiae, et ut futura praefiguratur; et sic est signum prognosticum.

Schol. 2. Lutherani genus Sacramenti potius actionem, quam signum esse contendunt. Verum confundunt illi causas externas Sacramenti eum internis, de quibus nos hic loquimur. Ad hunc errorem deduxit illos alius error, quo docent, SS. Eucharistiam in usu consistere, non vero in re permanente; quod quam falsum sit, suo loco ostendemus.

§ 891. Differentia, specifica Sacramenti in genere in eo consistit, ut significet, et conferat aliquam sanctitatem; et sit signum efficax, et practicum; per hoc enim Sacramentum ab aliis rebus sacris distinguitúr, quae non sunt Sacramenta. Ergo in eo differentia specifica Sacramenti in genere consistit. Differentia specifica Sacramenti.

Schol. Haec de partibus Sacramenti logice spectatis, scilicet genere, et differentia, dicta sufficiant: nunc de partibus eius physicis, nimirum materia, et forma, agendum est.

CAP. II.

De materia et forma Sacramentorum.

§ 892. Quodlibet Sacramentum seu veteris, seu novae Legis necessario constare debet aliquibus rebus, tamquam materia; quia quodlibet est signum sensibile (§ 890.). Ergo res aliquas externas, et sensibiles, quibus in sensus incurrat, habere debet. Non tamen quodlibet Sacramentum veteris Legis verbis tamquam forma constabat; quia ritus Agni Paschalis, *Exod.* 12. et ritus consecrationis Pontificum, et sacerdotum, *Lev.* 8. ac ritus Circumcisionis, *Gen.* 17. sine ulla praescripta verborum forma praescribitur. Partes physicae Sacramenti.

Schol. 1. Per *Materiam* Sacramenti intelligitur res, vel actio sensibilis. *Forma* vero sunt verba solemnia, vel signa illis aequivalentia in Sacramentorum consecratione adhibita. Olim quidem hic loquendi modus Ecclesiasticis Scriptoribus ignotus erat; dicebant enim, Sacramenta signo, id est, rebus, et verbis, seu eo, quod sensibus percipitur, et re sacra, id est, gratia sanctificante, constare. Alii dicebant, duo in Sacramento reperiri, scilicet Sacramentum, seu signum, et rem, seu gratiam. Vulgo etiam dicebant, Sacramenta constare rebus, et verbis: alii vero, elemento, et verbó. Ex quo vero Philosophia Peripatetica in Scholas Theologicas penetravit, quae rerum naturas sub nomine materiae, et formae examinare solet; Theologi Scholastici materiae, et formae nomina mutuati, illa adhibuerunt in Sacramentorum doctrina. Primus hoc loquendi modo usus est Guillielmus Antisiodorensis, a. 1215. quem deinde Ecclesia non solum Latina, sed etiam Graeca adoptavit, uti constat ex responso Jeremiae Patriarchae Constantinopolitani ad Wittembergenses. Dicuntur igitur materia et forma Sacramentorum metaphorice ad compositum physicum, in quo pars minus determinata, dicitur materia; et actus, quo determinatur materia ad tale esse, dicitur forma. Licet autem verba, et aliae res sensibiles ad diversa genera spectent, conveniunt tamen in ratione signi; Materia et forma quid?

adeoque ex rebus, et verbis fit quodammodo unum in Sacramentis, sicut ex materia, et forma. Nomine vero materiae in doctrina Sacramentorum non solum res, sed etiam actiones sensibiles intelliguntur, uti ablutio, unctio, etc. per verba vero etiam nutus et alia signa loco verborum posita intelligi possunt. Hinc nata est distinctio in materiam *remotam*, circa quam versatur actio ministri, uti aqua in Baptismo: et *proximam*, quae est usus materiae remotae, uti ablutio.

An materia et forma sint partes componentes? *Schol.* 2. Quaerunt hic nonnulli, an materia, et forma dici possint partes componentes Sacramentum. Respondetur affirmative, saltem quoad illa Sacramenta, quae in usu, et actione transeunte consistunt, quia ad compositum sufficit moralis unio partium, quae fit, cum iudicio prudentum una et eadem censetur esse moraliter actio qua materia, et forma Sacramenti adhibetur.

Omnia Sacram. N. L. constant rebus et verbis. § 893. Omnia Sacramenta Novae Legis constant rebus tamquam materia, et verbis tamquam forma. Constat hoc 1° ex S. Scriptura *ad Eph.* 5. *v.* 26. *Mundans Ecclesiam lavacro aquae in verbo vitae.* Id quod magis patebit, quando de singulorum Sacramentorum materia, et forma agemus. Unde S. Augustinus *tr.* 80. *in Ioan. ait: Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.* 2° Patet ex continua Traditione, et praxi Ecclesiae, quae semper res sensibiles, et aliqua verba ad Sacramenta adhibuit. De Occidentali Ecclesia patet ex Decreto Eugenii IV. in Conc. Florent. ubi ait: ***Haec omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis, tamquam forma, et persona ministri conficientis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.*** Orientalis vero Ecclesiae Traditionem commonstrat in sua Censura ad Wittembergenses Ieremias Patriarcha Constantinop. scribens: *Quae quidem omnia Sacramenta sanciuntur S. Scriptura, ac definitam materiam et formam habent.* Patet denique ex Historia Ecclesiastica, veteres occultasse Gentibus Religionis nostrae Mysteria, uti videri potest apud Schelstrate *de arcan. discipl. c.* 2. *a.* 2. et potissimum formas Sacramentorum. Unde Innocentius I. *t.* 2. *Concil.* in sua Decretali de Sacramento Confirmationis, sacro Chrismate commemorato, inquit: ***Verba autem dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.***

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 1. Pauliciani, soboles Manichaeorum, teste Euthymio *p.* 2. *Panopliae tit.* 21. omnem Sacramentorum materiam reiiciebant, et solis verbis loco Sacramentorum utebantur. Nonnulli etiam haeretici verba in Sacramentis reiecerunt. I. Quia res in Sacramentis sufficienter determinantur per institutionem Divinam: ergo verbis non egent. *Resp.* Materia solum partialiter determinatur per institutionem; ut totaliter, et manifestius determinetur, verba addi debuerunt, quia hoc perfectioni Sacramentorum N. L. congruit. II. Sacramenta veteris Legis verba non requirebant: ergo nec Sacramenta N. L. *Resp.* Sacramenta V. L. imperfectiora erant nostris, adeoque verbis non egebant.

An sit de fide, Sacram. con- *Schol.* 2. Dominicus Soto *in* 4. *d.* 1. *q.* 1. *a.* 6. ait, *Fidei esse Catholicae, Sacramenta constare rebus et verbis,* quod sine manifesta

haeresi negari non posset: quod vero res nomine materiae, verba vero nomine formae donentur, ex usu Theologorum invaluit, a quo recedere non licet, cum sit totius Ecclesiae praxi approbatus. Unde errant Novatores, qui nomine materiae actionem sensibilem; nomine autem formae vim aliquo modo producendi gratiam, seu efficaciter testandi, intelligunt. Item non bene negavit Durandus *in 4. d. 1. q. 3.* Sacramenta constare rebus, et verbis, qui tamen in sensu a Catholica doctrina non recessit, cum dicat, Sacramenta constare materia, et forma. A recto etiam loquendi modo, licet non a sensu Catholico, deflexit Maldonatus *de nat. Sacr. p. 3.* dum materiae loco totum id, quod in Sacramentis sensibile est, sive res sit, sive verbum, et loco formae totius Sacramenti ipsam significationem posuit, licet verba ad res comparata et vere consecratoria esse, et rationem formae habere docuerit. stare rebus et verbis?

§ 894. Verba, quae formam Sacramentorum N. L. constituunt, non sunt mere promissoria, et concionatoria, sed vere, ac proprie consecratoria. Nam 1° in S. Scriptura verba Sacramentorum dicuntur Benedictiones: 1. *ad Cor.* 10. *v.* 16. *Calix benedictionis.* Invocationes: *Act.* 22. *v.* 16. *Baptizare . . . invocato nomine eius.* Verbum vitae: *ad Eph.* 5. *v.* 26. nunquam vero dicuntur conciones aut promissiones. Imo Apostolus 1. *ad Cor.* 1. verbum concionale a Sacramentali distinguit dicens: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* 2° SS. Patres eodem modo vocant verbum Sacramentale, *verbum coeleste,* uti S. Ambrosius *l.* 2. *de Sacr. c.* 5. *verbum consecrationis,* uti S. Augustinus *l.* 3. *de Bapt. c.* 10. *Baptismus Christi, verbis Evangelicis consecratus.* 3° Finis verborum Sacramentalium non est, ut in nobis fidem excitent, sed ut et symbola consecrent, et hominem sanctificent; tum quia alias infantes baptizari non possent, quia verba concionis non intelligunt: tum quia approbatur Baptismus ab haereticis collatus, licet eorum doctrina falsa sit. Verba Sacramentorum sunt consecratoria.

Schol. Protestantes cum doceant, hominem per solam fidem confidentialem iustificari (t. 1. § 376.), consequenter docent, verba Sacramentalia non habere aliam vim, nisi fidem excitandi, adeoque solum esse concionalia. I. Quia 1. *Petr.* 3. *v.* 21. dicitur: *Vos similis formae salvos facit Baptismus, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum,* id est ἐπερώτημα, *pactum cum Deo.* Et *Matth.* 28. dicitur: *Docete omnes gentes, baptizantes eos. Resp.* In primo loco S. Petrus ex testimonio bonae conscientiae nostrae probat, per Baptismum peccata vere ablui, adeoque eum esse praeferendum purificationibus Iudaeorum: vel per interrogationem, et pactum intelliguntur promissiones, quae iam olim a baptizando fiebant, abrenuntiando diabolo. In altero loco Christus solum modum praescribit in conversione Infidelium observandum, ita ut ante Baptismum in rebus fidei prius erudiantur. II. SS. PP. vocant Sacramenta, signacula, pignora, arrhas: et S. Ambrosius *l. de init. c.* 5. ait: *Aqua Baptismi sine praedicatione Divinae Crucis ad nullos est usus futurae* Solvuntur obiectiones.

salutis. Resp. Sacramenta sunt pignora salutis; sed ex hoc non sequitur, quod eam nobis procurent, excitando solam fidem. S. Ambrosius loquitur de benedictione fontis Baptismalis, qui suam vim ex passione Christi haurit, et vocat verbum Sacramentale seu Baptismum praedicationem, id est, signum mortis et resurrectionis Christi. III. S. Augustinus *tr.* 80. *in Joan.* quaerit: *Unde tanta virtus aquae, ut cor abluat?* respondet: per verbum, *non quia dicitur: sed quia creditur. Resp.* S. D. vult probare, nec per infidelitatem ministri, nec per defectum rationis in infante effectum Baptismi impediri; et ait: *quia creditur*, id est, non nudo verbo pro sono sumpto, sed pro verbo Christi fide supernaturali apprehensibili, hominem consecrari.

Materia et forma Sacramentorum in genere a Christo determinata est.

§ 895. Omnium Sacramentorum N. L. materia et forma a Christo saltem in genere determinata sunt. Instituendo enim Sacramenta, partes eorum essentiales, quae sunt materia, et forma, saltem designare debuit, id est praescribere, ut idonea signa ad significandos eorum effectus adhiberentur.

An in specie?

Schol. Quaeritur, an Christus omnium Sacramentorum materiam et formam in specie determinaverit. Notum est, Christum materiam, et formam Baptismi *Ioan.* 3. et *Matth. ult.* in specie determinasse: item SS. Eucharistiae, *Matt.* 26. De formis in specie reliquorum Sacramentorum ex S. Scriptura nil constat. Materiam omnium Sacramentorum in specie a Christo determinatam esse, multi defendunt. Sed haec quaestio tunc demum exacte solvi poterit, quando de singulorum Sacramentorum materia, et forma sermo erit.

Art. 1. *De mutatione materiae et formae in Sacramentis.*

Ecclesia materias et formas Sacramentorum essentialiter mutare nequit.

§ 896. Ecclesia materias et formas a Christo in specie determinatas variatione essentiali mutare non potest (§ 895. cum Schol.), licet mutationem accidentalem facere possit. Ita patet ex Tridentino *Sess.* 21. *c.* 2. dicente: *Hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati magis expedire iudicaret.* Certe, si Ecclesia materias, et formas a Christo determinatas essentialiter mutare posset, nova Sacramenta instituere valeret; quod tamen non potest.

Quaenam sit mutatio essentialis?

Schol. Mutatio materiae censetur *essentialis*, quando vel alia physice materia adhibetur, v. g. vinum pro aqua; vel alia moraliter et Theologico, quando mutatio tanta est, ut secundum usum communem et aestimationem materia ab ea, quam Christus praescripsit, differt: v. g. massa cruda ex aqua, et farina a pane. Mutatio *accidentalis* materiae est, quando mutatio est in qualitate, salva rei substantia, ita ut materia eumdem usum, et nomen cum determinata a Christo retineat. Mutatio formae *substantialis* est, quae tollit sensum, et significationem verborum a Christo institutorum: *accidentalis* est, quae eum non tollit. Mutatio formae 8. modis fieri potest. 1. Variatione idiomatis. 2. Substitutione vocis synonimae. 3. Transpositione ver-

borum. 4. Interpolatione, impertinens quid interponendo. 5. Additione. 6. Subtractione syllabae, vocis, vel sensus. 7. Corruptione verborum. 8. Substitutione scripturae, nutus, vel alterius signi loco verborum.

§ 897. Igitur toties invalide, vel nullum confertur Sacramentum, quoties materia, vel forma mutatur essentialiter; quia sic non habetur signum, a Christo ad rationem Sacramenti, et causandam gratiam elevatum; et pars essentialis, adeoque ipsum Sacramentum tollitur (§ 893.). Valori vero Sacramenti non obstat mutatio accidentalis; nam in naturalibus, et artificialibus mutatio accidentalis essentiae non obest. Ergo nec in Sacramentis oberit. Mutatio essentialis invalidat Sacramentum

Coroll. Pract. 1° Mutatio idiomatis in forma Sacramentorum, etsi plura etiam idiomata in eamdem formam conferantur, v. g. *ego te baptizo in nomine Patris* etc. non obest valori Sacramentorum, quae valida sunt, in quacumque demum lingua forma pronuncietur: non licet tamen alio, quam praescripto ab Ecclesia idiomate uti. 2° Substitutio vocis synonimae, v. g. *ego te abluo*, loco *baptizo*, non invalidat Sacramentum. 3° Transpositio verborum formae, si sensum non mutet, non officit valori; secus est, si eum mutet. 4° Interpolatio alicuius extranei, v. g. *ego te baptizo* (silete) *in nomine* etc. et interruptio brevis, v. g. per sternutationem, non vitiat formam substantialiter. 5° Additio vocum, et sensuum, qui sensum formae non invertunt, et penitus corrumpunt, non obest valori Sacramenti, v. g. *ego te baptizo in nomine Dei Patris, qui te creavit* etc. 6° Subtractio vocis, et syllabae, quae sensum non mutat, non invalidat Sacramentum, v. g. omisso ly *ego* in forma Baptismi; secus foret, si sensus corrumperetur. 7° Si corruptio fiat in initio vocis, facilius fit mutatio substantialis, quam si fiat in fine. Non tamen fit mutatio substantialis, si error contingat vel in quantitate syllabarum, vel in genere, v. g. *hoc est corpus meus;* vel quando mutatur una littera, v. g. *calis*, pro *calix*, oc pro *hoc*, *corpus* pro *corpus*, quia manet sensus verborum. 8° Substitutio scriptionis, nutuum etc. loco verborum facit mutationem substantialem, excepto Matrimonio. 9° Quando minister verba consueta formae cum aliqua mutatione tantum accidentali legitimum verborum sensum non invertente profert, cum errore interno, quem hoc modo exterius manifestat, et intendit inducere, validum Sacramentum conficit; quia privata eius intentio nequit nocere generali intentioni Ecclesiae, per quam ille praesumitur velle facere quod facit Ecclesia: sic si Graecus ideo usurparet panem fermentatum, ut declaret, azymum esse insufficientem, vel si quis verbis consecrationis: *Hoc est corpus meum*, haec verba adderet: *quod pro vobis tradetur*, ut ostenderet esse essentialia, valide consecraret: si vero ex corruptione formae verborum sensus vel aperte corrumpitur, vel ambiguus redditur, et ex intentione ministri volentis errorem vel haeresim inducere ambiguus sensus ad perversum determinetur; est corruptio essentialis, et nullum est Sacramentum: sic si Lutheranus Sacerdos antea Catho- Resolvuntur casus.

licus consecraret per haec verba: *hic est corpus meum*, intelligendo *hic* adverbialiter, nulla esset consecratio; si vero Catholicus ex ignorantia, vel lapsu linguae sine perverso animo his verbis consecraret, valida esset consecratio.

Mutans materiam vel formam peccat.

§ 898. Qui materiam, aut formam sciens, et volens; vel ex culpabili negligentia substantialiter mutat, graviter contra Religionem peccato sacrilegii peccat (§ 874. Coroll.), quia gravem iniuriam tum Christo instituenti, tum homini suscipienti infert. Qui vero deliberate extra casum necessitatis accidentaliter tantum mutat, peccat graviter, si mutatio sit notabilis; venialiter vero, si non sit notabilis, quia agit contra mentem Ecclesiae stricte praecipientis, ut materia, et forma Sacramentorum accurate serventur.

Resolvuntur casus.

Coroll. Pract. 1° Qui omittit aliquam vocem ad essentiam formae non spectantem sine scandalo, et contemptu, leviter; secus, graviter peccat. 2° Qui certus est, quod in pronunciatione formae errorem substantialem commiserit, tenetur sub gravi peccato eam absolute repetere, ne Sacramentum nullum reddat: si vero rationabiliter de recta pronunciatione dubitet, repetere debet sub conditione: si merus scrupulus sit, peccat graviter repetendo ob reiterationem Sacramenti, licet a peccato excusari possit ob anxietatem, et bonum finem, quem habet, Deum non offendendi. 3° Qui ordinarie in prolatione formae errare non solet, non debet eam repetere, licet ob distractiones non meminerit, an eam protulerit: secus foret, si frequenter errare soleat, ubi in prudenti, et rationabili dubio tenetur eam sub conditione repetere. 4° Sollicite cavendum, ne quid in forma bis vel ter repetatur, quia, nisi anxietas excuset, per se loquendo graviter peccatur, ob formam aliqualiter mutatam, et scandalum, quod saepe intervenit.

Art. 2. *De simultaneitate materiae, et formae in Sacramentis.*

Materia et forma debent simul existere.

§ 899. Ut valide conficiatur Sacramentum, materia, et forma debent moraliter simul existere, spectata uniuscuiusque Sacramenti natura: alias enim non verificatur forma, nec fit unum compositum morale (§ 892. Schol. 2.). Et quidem in SS. Eucharistia materia et forma debent physice coexistere, quia ly *hoc*, *hic*, demonstrat materiam praesentem. In Baptismo, Confirmatione, Extrema Unctione, et Ordine talis coniunctio simultanea materiae, et formae requiritur, ut dum minister pronunciat formam, censeatur adhuc applicare materiam, ad quod sufficit, ut saltem secundum aliquam sui partem physice materiae proxime coexistat. In Poenitentia Absolutio dari potest notabili tempore post Confessionem, uti fit in iudiciis. In Matrimonio consensus unius coniugis tamdiu differri potest, quamdiu censetur permanere consensus alterius, quia hoc exigit natura contractus.

Et ab eodem eidem applicari.

§ 900. Materia et forma in Baptismo, Confirmatione, Extrema Unctione, et Ordine ab eodem ministro, et eidem subiecto applicari debent. Unde si Petrus in Baptismo effunderet aquam, et Paulus pronunciaret formam: vel si Petrus Paulum ablueret, et ad Andream

diceret: *Ego te baptizo etc.* Baptismus nullus esset; quia sensus formae falsificaretur.

Non licet uti materia et forma probabili.

Schol. In Sacramentis conficiendis nefas esse uti materia, et forma tantum probabiliter valida, certa et tutiori relicta, nisi urgeat necessitas, dictum iam et demonstratum fuit alibi (§ 445. cum Coroll.).

Conveniens fuit institui Sacramenta.

CAP. III.

De Sacramentis Legis naturae, et scriptae.

§ 901. Porro licet Deus per semetipsum sine ullis Sacramentis homini gratiam conferre potuerit, Divinae tamen Sapientiae, et naturae humanae consentaneum omnino fuit, ut per signa quaedam externa coelestis gratia daretur, adeoque Sacramenta instituerentur: 1. Ad sanandam primaevam hominis superbiam, qui, dum Deo subiici noluit, a signis externis, ceu instrumentis ad salutem necessariis, dependere debuit. 2. Ad eruditionem; naturale enim est homini, ut per sensibilia ad spiritualia deducatur. 3. Ad fidem firmandam: cum enim Christus peccatorum veniam, Spiritum S. et iustitiam nobis promiserit, signa sensibilia instituit, quibus eum quasi pignoribus obligatum haberemus, et fidelem in promissis esse, non dubitaremus. 4. Ad fidem protestandam; scilicet ut per Sacramenta, ceu voces sensibiles, coram hominibus fidem nostram profiteremur. 5. Ad distinctionem fidelium, et Ecclesiae coadunationem, quae fit per eiusmodi signa sensibilia. 6. Ad nostram sanctificationem, ut ex dicendis patebit.

An in statu Innocentiae fuerint?

Schol. 1. Homo in quadruplici statu considerari potest: nempe Innocentiae, a creatione Adami usque ad eius lapsum: Legis naturae, ab Adamo lapso usque ad Moysen: Legis scriptae, a Moyse usque ad Christum: Legis Evangelicae, a Christo usque ad finem mundi. Quaeritur, an in his statibus instituta fuerint Sacramenta. De statu Innocentiae Sacramentis silet S. Scriptura, et Traditio; et Deus pro statu illo brevissimo non videtur instituisse Sacramenta tam cito abolenda: ergo nulla in eo extiterunt. Verosimilius etiam est, quod vi praesentis decreti nulla futura fuissent in statu Innocentiae, si diutius perseverasset, Sacramenta: quia Adamo non peccante, vi praesentis decreti nulla opus fuisset gratia medicinali, neque Christus in carne venisset (t. 1. § 321. Schol.), nec consequenter Sacramenta suam ex morte Christi virtutem traxissent, adeoque non fuissent nostris similia. An vero virtute alterius decreti futura fuissent, quis consiliarius Dei fuit, ut definiat!

An in lege naturae fuerint Sacramenta?

Schol. 2. In lege naturae fuerunt vera Sacramenta tam pro parvulis, quam adultis in remedium peccati originalis, et actualis. Ita docet S. Augustinus *l.* 5. *contr. Iul. c.* 11. *Non est credendum, ante datam Circumcisionem famulos Dei, quandoquidem illis inerat Mediatoris fides, nullo eius Sacramento opitulatos esse parvulis suis, quamvis, quid illud sit, aliqua necessaria causa Scriptura tacere voluerit.*

necdum peractam, modo in N. L. ad esse Sacramenti elevatum fuit.

Schol. 2. Ioannes Marshamus Anglus in *Canone Chronico p.* 73. negat, Circumcisionem primo a Deo institutam, et Abrahamo praescriptam fuisse; sed hunc ritum ab Ægyptiis primitus institutum, inde ad Colchos, Arabes, et Iudaeos propagatum fuisse. Verum hanc sententiam Benedictus XIV. *de Fest.. Domini* audacem, et novitatem appellat; adeoque certum est, Hebraeos ritum Circumcisionis ab Ægyptiis non accepisse, sed iubente Deo Abrahamum primum omnium circumcisum fuisse. Nam 1. *Gen.* 17. *v.* 11., dicitur, quod Circumcisio esset signum a Deo institutum, quo in Abrahami semine Divinum foedus dignosceretur: sane Circumcisio non solum signum foederis, sed etiam ut stigma corporeum a Deo originem habuit; alias populum Dei ab Ethnicis non distingueret. Item omnes Ethnici in S. Scriptura vocantur incircumcisi; et *Exod.* 12 praecipitur, omnes peregrinos, qui in Hebraeorum coloniam ad Phase celebrandum transire voluerint, esse circumcidendos: ergo hic ritus apud solos Iudaeos obtinuit. Unde *Iosue* 9. circumcisis ex praecepto Dei Israelitis in deserto natis dicitur: *Hodie abstuli a vobis opprobrium Ægypti:* quod tamen opprobrium non foret, si etiam ipsi Ægyptii circumcisi fuissent. 2. Testantur hoc Scriptores profani cum Iosepho, qui *l.* 4. *ant. c.* 10 ait: *Constat, quod nulli alii in Palaestina Syri circumcidantur, praeterquam nos.* Accedit auctoritas PP. S. Iustini in *Dial. cum Tryph.* Origenis *l.* 1. *contr. Cels. etc.* 3. Demonstratur refutando errorem Herodoti, et Diodori Siculi, quorum testimonio nititur Marshamus; tum quia Moysi maior fides adhibenda est, quam Herodoto, longo tempore post eum viventi. Deinde Diodorus Siculus ait, Circumcisionem ab Ægyptiis accepisse Troglodytas, id est Arabes, qui posteri Abrahae sunt ex Ismaele; unde etiam pueros suos anno aetatis 13° circumcidunt, quia Ismael eorum princeps eo anno circumcisus fuit. Item Philistaeos incircumcisos fuisse, patet *Iud.* 14. *v.* 3. hi autem originem trahunt a Chasluim filiis Misraim, adeoque ab Egyptiis, *Gen.* 10. *v.* 14. Deinde apud Ægyptios soli Sacerdotes erant circumcidendi, alii nulla certa lege ad hoc obligabantur, et modo anno 14° aetatis circumcidi poterant. iuxta S. Ambrosium *l.* 2. *de Abraham. c.* 11. Denique licet post Abrahamum variae gentes circumcisionem adhibuerint, eae tamen primae fuerunt, quae ex Abrahamo per Ismaelem, et Ceturae filios descenderunt, uti Idumaei, ab Esau, Ismaelitae, et ex illis orti Turcae, et Saraceni, et Æthiopes orti e filiis Ceturae, etsi illam nec Religionis causa, nec urgente praecepto usurpaverint, sed vel ad evitandum morbi genus, quod Carbunculum vocant, vel ad profanam Sacerdotum initiationem, vel ob foecunditatem, aut munditiam corporalem; quae tamen deinde, uti notat Petavius in *not. ad S. Epiph.* Imperatorum edicto solis Iudaeis concessa fuit. Vid. Diss. D. Calmet *de Circumc.*

An Circumcisio primo a Deo Abrahamo Praecepta sit?

Schol. 3. Cardin. Gotti, P. Berti etc. putant, Circumcisionem a

An Cir-

cumcisio ad delendum originale instituta sit?

Deo institutam fuisse in remedium peccati originalis. Alii vero cum Bellarmino, Tournely etc. probabilius censent, Circumcisionem non esse institutam in remedium peccati originalis, sed tantum in signum foederis inter Deum, et Abrahamum, eiusque posteros, ita ut Circumcisio signum foret tum distinctionis populi Iudaici a caeteris nationibus; tum singularis Dei erga ipsum amoris, et providentiae; tum Religionis, ac cultus, quo populus ille Deum specialiter colere tenebatur. Ita 1. colligitur ex *Gen.* 17. *v.* 11. ubi ad hoc solum, nulla facta mentione deletionis originalis, Circumcisio instituta esse dicitur: *Hoc est pactum meum, quod servabitis inter me, et vos, et semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum ..... ut sit signum foederis inter me et vos.* Deinde *ad Rom.* 3. *v.* 1. Apostolus quaerit: *Quid ergo amplius Iudaeo est, aut quae utilitas Circumcisionis? multum quidem per omnem modum. Primum quia credita sunt illis eloquia Dei.* Ubi per ly *primum* denotatur praecipua utilitas Circumcisionis, quae ad eloquia Dei, hoc est, legem, et oracula Divina Iudaeis concredita, restringitur. 2. Huic sententiae suffragantur Patres Graeci, et Latini ante S. Augustinum, qui primus contrariam sententiam docuisse videtur. S. Iustinus in *dial. cum Tryphone* ait: *Quod genus muliebre Circumcisionis carnalis capax non est, satis id ostendit in signum datam Circumcisionem istam, non ut iustitiae opus.* S. Epiphanius *haer.* 30. probat, Circumcisionem tantum signum esse ad altiorem Circumcisionis sensum Iudaeos invitans. S. Chrysostomus *hom.* 39. *in. Gen.* ostendit, Circumcisionem nihil ad salutem profuisse, quia solum data est, ut eo velut stemmate Iudaei a caeteris distinguerentur. Tertullianus *l. contra Iudaeos c.* 3. ait, Circumcisionem in signum, non in salutem datam esse. Idem docet S. Ambrosius *l.* 1. *d. Abrah. c.* 4. et S. Hieronymus *in c.* 3. *ad Gal.* 3. Ratio est: si Circumcisio instituta fuisset in remedium originalis peccati, foeminae, pueri ante octavum diem, et Iudaei per quadraginta annos in deserto hoc remedio caruissent, quod dici non potest. Nihilominus satis probabile videtur, quod saltem pro pueris octavum diem attingentibus Circumcisionem Iudaei velut signum externum protestativum fidei pro remedio legis naturae eorum determinationi relicto (§ 901. Schol. 2.) ad delendum originale assumpserint; quo modo forte haec controversia, et dissentientes inter se opiniones amicabiliter componi poterunt. Sententiae nostrae non obstat I. quod *Gen.* 17. dicatur: *Masculus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Ergo Circumcisio ad delendum originale instituta fuit; tum quia haec comminatio ad omnes infantes extenditur, cum LXX. legant: *Masculos cuius praeputii caro circumcisa non fuerit octavo die;* qui tamen nonnisi ob peccatum originale deleri, id est aeternum damnari, et pactum aliud irritum facere non potuit, nisi illud cum Adamo initum. *Resp.* Verba illa: *octavo die*, desunt in Codicibus Hebraicis, Chaldaicis, et in nostra Vulgata, et ideo textus interpretari potest non de infantibus, sed

de adultis, non de morte aeterna, sed de separatione a commercio cum populo Dei, non de praecepto Adao imposito, sed de lege Abrahamo, et eius posteris data. Imo si etiam de infantibus octo dierum intelligeretur, eadem teneret explicatio. Vid. doctiss. Calmet. II. S. Augustinus *l.* 17. *de Civ. c.* 27. S. Gregorius *l.* 4. *Mor. c.* 3. Innocentius III. *c. Maiores*, Ven. Beda *l.* 1. *in Luc. c.* 8. *etc.* contrarium docent. *Resp.* Hi Patres nobis quidem adversantur, sed ab iis cum reverentia recedimus. S. Augustinus utens versione LXX. inductus fuit, ut textum de parvulis explicaret; maxime, quia hic locus ad probandum contra Pelagianos peccatum originale illi conducere videbatur.

CAP. IV.

De Sacramentis novae Legis.

In nova Lege septem Sacram. instituta sunt.

§ 903. Abrogatis autem a Christo cum veteri Lege antiquis Sacramentis (§ 464.), Christus in nova Lege vera, et proprie dicta Sacramenta instituit, numero septem, scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium. 1*mo*. Quia S. Scriptura, et Traditio septem haec Sacramenta memorat, uti patebit, cum de singulis Sacramentis in specie sermo erit. 2*do*. Septenarium hunc Sacramentorum numerum semper agnovit Ecclesia: et licet antiqui Patres non omnes omnium horum Sacramentorum meminerint, cum eorum instituti, et scribendi ratio hoc non exigeret, et res haec erat vulgo notissima; omnium tamen Sacramentorum mentio apud diversos Patres occurrit, uti ex decursu patebit: imo S. Agustinus omnium septem Sacramentorum meminit, uti *l.* 5. *contra Donat. c.* 20. ait*: Si ... per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super Oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponuntur.* Ubi Baptismi, Extremae Unctionis, Eucharistiae et Poenitentiae meminit. *L.* 2. *contr. Petil. c.* 104. recenset *Sacramentum Chrismatis,* seu Confirmationis. *L.* 1. *de Bapt. c.* 1. Sacramentum *Ordinationis. L.* 9. *de Gen. ad litt. c.* 1. Sacramentum *Matrimonii.* 3*tio*. Hic numerus septenarius definitus est a Concilio Londoniensi a 1237. Constantiensi 1415. Florentino 1439. et Tridentino, quod *Sess.* 7, *can.* 1. definit: *Si quis dixerit, Sacramenta N. L. . . . esse plura vel pauciora, quam septem, videlicet, Baptismum etc. anathema sit.* 4*to*. Ecclesia Graeca septem haec Sacramenta semper tenuit, uti patet ex eius Ritualibus a Goare, Habert, et Martene collectis, Epiphanio Graeco *l. de Relig. Christ.* Ioanne Palaeologo in *Conf. fid.* Ieremia Patriarcha Constantin. in *Censura contra Confessionem Augustanam.* Coptos Iacobitas septem Sacramenta admittere, ostendit Sollerius in *Append. ad Patriarch. Alex. Sect.* 3. 5*to*. Rationem congruentiae affert Florentinum: Per Baptismum enim spiritualiter renascimur: per Con-

firmationem augemur in gratia, et roboramur in fide: Renati autem et roborati nutrimur Divina Eucharistiae alimonia: Quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per Poenitentiam spiritualiter sanamur: Spiritualiter etiam, et corporaliter, prout animae expedit, per Extremam Unctionem: Per Ordinem vero Ecclesia gubernatur, et multiplicatur spiritualiter: Per Matrimonium corporaliter augetur.

Solvuntur objectiones. *Schol.* Protestantes in definiendo numero Sacramentorum non satis conveniunt. In *Apologia August. Conf.* tria numerantur: Baptismus, S. Coena, et Absolutio: sed D. Schubert notat, conditionate tantum in ea tria Sacramenta statui, si nimirum per Sacramenta intelligantur ritus, qui habent mandatum Dei, et quibus addita est promissio gratiae; secus, si tertius character adiiciatur, scilicet, ut actio divinitus instituta circa elementum sensibile versetur; quo modo duo tantum sunt Sacramenta, nempe Baptismus, et S. Coena, I. Quia S. Scriptura nullibi septem Sacramenta definit; imo duo solum innuit, *Ioan.* 19. ubi dicitur, ex latere Christi fluxisse sanguis, et aqua, id est, iuxta expositionem S. Chrysostomi Baptismus, et Eucharistia. *Resp.* Praeter S. Scripturam, etiam Traditio numerum septenarium Sacramentorum confirmat, uti suis locis apparebit. Sane nullibi etiam S. Scriptura duo tantum Sacramenta esse dicit: nam *Ioan.* 19. solum praecipua Sacramenta, quibus Ecclesiae unitas deprehenditur, denotantur, aliis non exclusis. II. SS. Patres qui in suis Catechesibus duo tantum Sacramenta Baptismum et Eucharistiam assignarunt, et reliqua nomine Sacramenti improprie dicti compellarunt. *Resp.* Patres in Catechesibus illa Sacramenta solum explicarunt, quae Catechumeni recipiebant. Quod autem reliqua nomine proprio Sacramenti nuncuparint, ex eo patet, quia vim effectivam gratiae ex institutione Christi illis tribuerunt. III. Magister Sententiarum hunc numerum septenarium primus excogitavit. *Resp.* Ille antiquam Traditionem secutus fuit; alias certe impune, et sine contradictione hoc non fecisset.

Art. 1. *De Lotione pedum.*

Lotio pedum non est Sacramentum. § 904. Cum septem, et non plura sint N. L. Sacramenta (§ 903.), hinc lotio pedum non est Sacramentum. 1mo. Enim haec lotio a Christo solummodo ad exemplum humilitatis facta fuit: *Exemplum dedi vobis.* 2do. Per lotionem illam nulla gratia collata fuit, sed tantum ostensum est, pietatis, et humilitatis exercitiis quotidiana venialia deleri; et ideo Christus ait: *Vos mundi estis.* 3tio. Haec lotio nullis verbis consecratoriis ad esse Sacramenti determinata fuit, et Ecclesia nunquam illam pro Sacramento habuit; imo illae Ecclesiae, quae illam in administrando Baptismo adhibuerunt, iamdudum eam praetermiserunt. Ergo non est Sacramentum.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 1. Dices I. In lotione pedum reperiuntur omnia ad rationem Sacramenti requisita: signum externum: institutio Christi: appromissio gratiae: *Non habebis partem mecum: Ioan.* 13. et prae-

ceptum; *Exemplum dedi vobis. Resp.* Non est signum constans, nec permanens, nec efficax gratiae sanctificantis; neque enim S. Petrus dicitur damnandus praecise ex defectu lotionis, sed ratione inobedientiae, si obluctari pergeret. II. S. Ambrosius *l.* 3. *de Sacr. c.* 1. vocat hanc lotionem *mysterium, et sanctificationem*. Et S. Bernardus *serm.* 1. *in Coena*, hanc lotionem, ait, *pro Sacramento* esse, non pro solo exemplo. *Resp.* Hi Patres sumunt Sacramentum latius, et pro aliquo Sacramentali operanto remissionem venialium, non per se, sed ob exercitium humilitatis.

Schol. 2. Nonnulli etiam antiqui, uti S. Dionysius, Professionem Religiosam Mysterium, et Sacramentum appellant, sed sensu latiori, quia est velut alter Baptismus, quo peccata remittuntur, non quidem ex opere operato, sed ex opere operantis, propter fervorem charitatis eorum, qui mundo renuntiant. **An Religiosa Professio sit Sacramentum**

Art. 2. *De Sacramentum dignitate, et excellentia.*

§. 905. Septem autem haec Sacramenta non ita inter se sunt paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius. Ita definivit Tridentinum *Sess.* 7. *c.* 3. *Si quis dixerit, haec septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius; anathema sit.* Equidem hae voces: *nulla ratione*, teste Pallavicino in *hist. Trid.* studiose adiectae sunt, quia nonnulli putabant, hunc Canonem omittendum esse, eo quod in quovis Sacramento sit propria excellentia, ob quam ob aliquam rationem possit caeteris aequiparari. **An omnia sint paria?**

Schol. Si ordo naturae et generationis spectetur, Sacramenta eum Tridentino bene ita collocantur: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium (§ 903.). Ordine vero perfectionis, et dignitatis SS. Eucharistia primum locum inter omnia Sacramenta tenet, ad quam reliqua velut finem tendunt, quia Christum ipsum substantialiter continet. Deniquo ordine necessitatis Baptismus est prior, deinde respectu lapsorum Poenitentia, tum respectu communitatis ad Sacramenta administranda Ordo, et Matrimonium ad convenientem propagationem Ecclesiae. **Ordo Sacramentorum.**

§ 906. Porro Sacramenta N. L. a Sacramentis V. L. non sola rituum externorum, et caeremoniarum diversitate differunt, uti definit Tridentinum *Sess.* 7. *can.* 2. Nec propter solam fidem nutriendam instituta sunt, uti idem Tridentinum *Sess.* 7. *can.* 5. statuit: **Sacramenta N. L. ab illis V. L. differunt.**

Art. 3. *De gratia collata a Sacramentis N. L.*

§ 907. Sacramenta N. L. gratiam ex opere operato causant in illis, qui nullum obicem ponunt. 1° Iuxta S. Scripturam Sacramenta N. L. in non ponentibus obicem causant gratiam virtute operis externi a Christo instituti, et subiecto debite applicati; non vero ex merito seu ministrantis seu recipientis Sacramentum, quod est causare ex opere operato: sic *Ioan.* 3. *v.* 5. *vis regenerandi* tribuitur aquae, velut instrumento. *Act.* 8. Impositioni manuum, vis acci- **Sacramenta N. L. causant gratiam ex opere operato.**

piendi Spiritum Sanctum ad robur. *Ioan.* 6. Manducationi carnis Christi, vis *aeternum vivendi. Ioan.* 20. Absolutioni, et *Iac.* 5. Unctioni, vis *remittendi peccata.* 2. *Ad Tim.* 1. Impositioni manuum, vis *gratiam* producendi. Matrimonio in Cana Galilaeae, vis *sanctificandi.* Ergo causant gratiam ex opere operato. Merito proinde definit Trident. *can.* 6. *Si quis dixerit, per ipsa N. L. Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam... anathema sit.* 2° Patres docent, *vim sanctificandi* nostris Sacramentis inditam esse, uti Tertullianus *de Bapt. c.* 4. Ea vim sanctificandi habere ex seipsis seu *institutione Christi*, et non ex merito ministrantis, uti S. Augustinus *l.* 4. *contr. Cresc. c.* 16. Eorum causalitatem similem esse causalitati rerum naturalium, v. g. *ignis ad calefaciendum.* Ergo causant gratiam ex opere operato. 3° Adversarii concedunt, baptizandos esse infantes. Sed in illis Baptismus non operatur gratiam ex opere operantis, quia illi fidem actualem non habent, nec fides Ecclesiae sufficit, iuxta adversarios, sed personalis requiritur. Ergo ex opere operato causat gratiam. Sed NB. in non ponentibus obicem, quia utique requiruntur dispositiones praeviae, scil. fidei, spei, et aliarum virtutum actus, velut conditiones necessariae in adultis.

Quid sit causare ex opere operato?

Schol. 1. Theologi duplicem modum producendi gratiam distinguunt: unum *ex opere operantis*, quando gratia conceditur a Deo intuitu fidei, seu meriti, vel ministrantis, vel suscipientis Sacramentum: alterum *ex opere operato*, quando gratia producitur vi et efficacia operis externi Sacramentalis a Christo instituti, ac subiecto rite applicati, non autem ex merito ministrantis, seu recipientis Sacramentum; licet non sine praeviis dispositionibus suscipientis, quae tamen non sunt causae effectrices, nec Sacramentis vim tribuunt, utpote quam habent ex meritis Christi, sed tantum removent obstacula, ut Sacramenta vim suam exercere possint, et ut per illa merita Christi nobis applicentur: hae tamen dispositiones non requiruntur in parvulis earum incapacibus, sed tantum in adultis. Unde fallitur Calvinus, dum fingit, Sacramenta agere ex opere operato idem apud nos esse, ac esse causas principales gratiae, cum eas instrumentales solum esse dicamus. Deinde falluntur illi, qui putant, nos docere, Sacramenta virtute sua naturali sanctificationem in nobis causare. Rursus falluntur illi, qui censent, agere ex opere operato apud nos idem esse, ac physice per qualitatem insitam causare gratiam; cum tamen nos modum agendi ex opere operato, an scilicet physice, vel moraliter causent, ad controversias Scholasticas amandemus. Denique mentitur Calvinus, dum docet, Catholicos per opus operatum praevias in suscipiente dispositiones excludere. Hic modus loquendi, *ex opere operato*, non quidem quoad verba, sed tamen quoad sensum apud antiquos, maxime S. Augustinum *l.* 4. *contr. Cresc. c.* 16. occurrit.

Solvuntur obiectiones.

Schol. 2. Sociniani, et Anabaptistae omnem Sacramentorum usum, et fructum in eo constituunt, quod sint nuda signa Christianae pro-

fessionis, et distinctionis fidelium ab infidelibus. Lutherus et Calvinus non aliam in Sacramentis vim agnoscunt, quam mere externam, et obiectivam ad excitandam fidem. I. Quia S. Scriptura soli fidei, non vero Sacramentis vim sanctificandi tribuit, nisi quatenus fidem excitant: *Marc. ult. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Et *solus Deus potest peccata dimittere: Luc. 5.* *Resp.* Ex citato textu solum sequitur, quod solus Baptismus non salvat; sed non sequitur, quod Baptismus non salvet. Deinde solus Deus auctoritate propria peccata dimittit. II. S. Augustinus *q. 59. in l. quaest. V. et N. T.* ait: *Nec coeleste donum poterit consequi, qui se per aquam, non per fidem commutari credit.* Et S. Bernardus *serm. de Coen.* ait: *Sicut investitur Canonicus per librum . . . sic divisiones gratiarum diversis sunt traditae Sacramentis.* Et Tertullianus *l. de poenit.* Baptismum vocat *fidei obsignationem*. *Resp.* Praeterquam quod liber citatus non sit S. Augustini, loquitur ille de causa formali iustificationis, quae utique non est aqua, licet sit causa instrumentalis efficiens. S. Bernardus non comparat Sacramenta cum libro etc. ratione efficientiae, sed ratione diversitatis signorum in Sacramentis. Tertullianus Baptismum sigillum fidei vocat, non quia fidem excitat, sed quia baptizatus fidem hoc signo testatur. III. Si Sacramenta causant gratiam ex opere operato, Deus esset obligatus, illa percipientes iustificare. *Resp.* Haec obligatio non ex necessitate, sed libera Dei promissione descendit.

Schol. 3. Quaerunt hic Scholae, quomodo Sacramenta N. L. causent gratiam, an physice, per realem influxum, motum, et contactum; an moraliter, movendo, et excitando Deum ad gratiam conferendam. Okam et alii docent, Sacramenta N. L. esse causas tantum per accidens, seu meras conditiones, ad quarum praesentiam Deus confert gratiam. Verum hoc modo non salvatur causalitas Sacramentorum. Thomistae docent, Sacramenta N. L. per modum instrumenti physici physice in nobis gratiam causare. Altissiodorensis vult, Sacramenta non esse causas proprie efficientes, sed quasi materiales, et continere gratiam, sicuti vas continet medicinam. Vasquez vero putat, illa conferre gratiam per modum impetrationis. Verosimilior sententia est, Sacramenta N. L. esse tantum causas morales gratiae sanctificantis, dum instar chirographi moraliter continentis pretium meritorum Christi movent efficaciter Deum, ex pacto, quo se libere obstrinxit, ut ad praesentiam signorum Sacramentalium assistat, et gratiam digne suscipientibus conferat. Nam 1. hic modus explicandi causalitatem Sacramentorum est sanior, et Philosophiae accommodatior, quam causalitas physica, ubi vix intelligi potest, quomodo res materialis physice ad rem spiritualem efficiendam concurrere possit: certe non debemus Mysteriis fidei nostrae plus obscuritatis affundere sine gravi ratione, quam in scipsis contineant, ne nostris subtilitatibus haereticis nova arma contra nos suppeditemus. 2. Nonnulla Sacramenta causant gratiam, quando physice non amplius existunt:

An Sacramenta physice vel moraliter causent?

sic Sacramenta, quae in usu consistunt, et Baptismus ficte susceptus causat gratiam, quando iam actio absoluta est, et fictio recessit; ubi concipi non potest, quomodo physice influant. Non obstat I. quod S. Scriptura dicat, nos renasci *ex aqua, per lavacrum;* et quod Tridentinum dicat, Sacramenta *continere* gratiam; quae omnia physicam causalitatem indicant. *Resp.* Particulae *ex* et *per* denotant quidem veram causalitatem, sed non physicam, cum moralis sufficiat, quo modo per sanguinem Christi redempti sumus. II. Patres dicunt, causalitatem Sacramentorum vix explicari posse, et eam cum veris causis physicis comparant: et Ecclesia in benedictione fontis Baptismalis orat, ut Deus aquis vim regenerandi impertiatur. *Resp.* Patres et Ecclesia solam veram, et realem causalitatem Sacramentorum indicant, non vero physicam.

Quomodo Sacramenta V. L. causabant? *Schol.* 4. Quaerunt ulterius Scholae, an etiam Sacramenta V. L. gratiam ex opere operato contulerint. Magister Sententiarum *l.* 4. *d.* 1. Sacramentis V. L. omnem vim causandi etiam ex opere operantis detrahere videtur. S. Bonaventura *in* 4. *d.* 1. approbat sententiam Hugonis Victorini, docentis, Sacramenta V. L. gratiam contulisse ex opere operato, non quidem per se, et primario, quia nullam annexam habebant Dei promissionem, sed per accidens, et secundario propter fidem, cuius erant signa protestativa. Ubi notat D. Habert, quod, dum Tridentinum definit, Sacramenta N. L. differre a veteribus, et continere, ac causare gratiam, non attingat quaestionem Scholasticam, an Sacramenta V. L. producant, vel non producant gratiam; an ex opere operato, vel ex opere operantis, et sic intactam relinquat sententiam tum Magistri Sententiarum, tum Hugonis Victorini. Verior tamen est sententia, Sacramenta V. L. non habuisse vim gratiam causandi ex opere operato, sed tantum ex opere operantis, hoc est, ex fide, et pietate seu ministrantis, seu suscipientis Sacramentum. Ita colligitur 1. ex discrimine inter Sacramenta Novae, et Veteris Legis; nam ex Lege *nemo iustificabatur apud Deum: ad Gal.* 3. et impossibile, erat *sanguine taurorum et hircorum auferri peccata: ad Hebr.* 10. 2. Ita docent Patres. S. Basilius *l. de Spir. S. c.* 14. *Quid confers lavacra cum lavacris, quae solam nominis appellationem habent communem?* S. Chrysostomus or. *de Bapt. Christi: Iudaica expiatio nequaquam a peccato expiabat.* S. Augustinus *q.* 25. *in Num. Si per se attendantur Sacramenta vetera, nullo pacto possunt mederi.* Et Eugenius IV. in Decreto ait: *Illa Sacramenta V. L. non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant.* Igitur Sacramenta V. L. causabant solum gratiam ex opere operantis, hoc est, ex fide et pietate, seu ministrantis, seu suscipientis: tum quia ideo Abraham Circumcisio reputata est ad iustitiam, quia credidit: et *Lev.* 4. in oblatione hostiae pro peccato dicitur: *Orabit pro eo Sacerdos et dimittetur ei:* tum quia iustificatio in V. L. observationi mandatorum adscribitur: *ad Rom.* 2. *Factores legis iustificabuntur:* et soli illi praemium aeternum promittitur: *Is.*

36. *v.* 4. *Qui tenuerint foedus meum, nomen sempiternum dabo eis.* Non obstat I. quod ex citato loco *Lev.* dicantur peccata in V. L. per orationem Sacerdotis esse dimissa: et *Deut. ult.* repletus est Iosue spiritu sapientiae, *quia Moyses posuit super eum manus suas*, ubi particula *quia* veram causalitatem denotat: offerebant etiam veteres Deo sacrificia, ut eum placarent: et Apostolus 1. *ad Cor.* 10. ait, quod *eamdem nobiscum escam spiritualem manducaverint. Resp.* Per antiqua Sacramenta peccata solum quoad immunditiam legalem, non vero quoad reatum culpae, remissa fuerunt, quod nonnisi per opus operantis, scilicet fidem et contritionem recipientis fiebat: illa autem manus impositio erat mera ad regendum populum designatio. Sacrificia illa ex opere operantis solum reatum culpae diluebant. Apostolus dicit, quod eamdem inter se escam, et potum spiritualem, id est, a Deo datum habuerint; quae erant figura Eucharistiae quidem, sed non Sacramenta V. L. ex defectu stabilis institutionis. II. S. Augustinus *tr.* 26. *in Ioan.* ait, veteres eamdem nobiscum escam spiritualem manducasse: et S. Ambrosius *l.* 7. *in Luc.* ait: *Sanctificavit Lex, iustificat gratia. Resp.* SS. PP. solum volunt, veteribus eamdem gratiam collatam fuisse, sed non per eamdem virtutem Sacramentorum ex opere operato.

Art. 4. *De gratia sanctificante*

§ 908. Causant igitur Sacramenta N. L. gratiam sanctificantem, ceu primarium suum effectum (§ 907); non tamen omnia per se causant primam gratiam, sed tantum Sacramenta mortuorum, Baptismus, et Poenitentia; reliqua vero Sacramenta vivorum causant solum secundam gratiam, sive augmentum gratiae sanctificantis. Quippe non omnia Sacramenta sunt instituta ad remittenda peccata, sed tantum Baptismus, et Poenitentia, ille ad delendum originale, haec ad peccatum actuale; adeoque non praesupponunt in subiecto gratiam sanctificantem, sicut Sacramenta vivorum, uti suis locis dicemus. **Effectus Sacramentorum est gratia sanctificans.**

Schol. 1. Gratia sanctificans vel est *prima*, quae homini necdum in gratia constituto primo datur; et Sacramenta, quae eam conferunt, dicuntur Sacramenta *mortuorum*, uti Baptismus, et Poenitentia. Gratia *secunda* est eadem gratia sanctificans, quae augetur, et Sacramenta, quae eam conferunt, dicuntur Sacramenta *vivorum*, uti Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo, et Matrimonium. **Sacramenta vivorum et mortuorum.**

Schol. 2. Quaeritur, an etiam Sacramenta vivorum saltem per accidens in subiecto adulto existente in peccato mortali, cuius conscientiam inculpabiliter non habet, vel quando putat, se contritum ad Sacramenta accedere, cum tamen tantum sit attritus, primam gratiam causare possint. Communior est Theologorum sententia, quod Sacramenta vivorum saltem per accidens primam gratiam conferre possint. Ita S. Thomas de Confirmatione 3. *p. q.* 79 *a.* 3. docet, quod si quis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non ha- **An Sacramenta vivorum per accidens primam gratiam causent?**

bet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento consequatur remissionem peccatorum. Talis enim non ponit scienter obicem; et sicuti Sacramenta mortuorum in iustificato per Contritionem per accidens causant secundam gratiam; ita Sacramenta vivorum per accidens causare possunt primam gratiam, cum primus gradus gratiae non sit excellentior secundo. Nec obstat I. quod hic effectus non habeatur in S. Scriptura, neque in Traditione. *Resp.* Ex hoc solum sequitur, hoc non esse de fide; non vero, quod pia S. Thomae sententia falsa sit. II. Eucharistia est cibus spiritualis animae: sed hic animae mortuae nihil prodest, sicut nec cibus corpori mortuo. *Resp.* Disparitas est, quod cibus spiritualis Eucharistiae alitum in se convertat, non vero cibus corporalis, qui mortuo nihil prodesse potest.

Art. 5. *De gratia Sacramentali.*

Sacramenta conferunt specialem gratiam Sacramentalem.

§ 909. Praeter gratiam sanctificantem, Sacramenta N. L. conferunt gratiam peculiarem cuique Sacramento propriam, quae propterea *Sacramentalis* dicitur, et iuxta S. Thomam super gratiam sanctificantem, virtutes, et dona, addit Divinum quoddam auxilium ad consequendum Sacramenti finem. Sic Baptismus addit auxilia ad praestanda Christiani hominis officia: Confirmatio ad profitendam intrepide fidem: Eucharistia ad exercenda pietatis officia, et in iis perseverandum: Poenitentia ad evitanda peccata, et pro iis satisfaciendum: Extrema Unctio ad morbi incommoda patienter ferenda, et tentationes vincendas: Ordo, ad rite obeunda Ecclesiastica munia: Matrimonium ad ferenda eius onera, et liberos bene educandos. Ratio est, quia unumquodque Sacramentum ad specialem finem destinatur, ad quem assequendum specialis illa gratia requiritur.

Quid sit haec gratia Sacramentalis?

Schol. Gratia Sacramentalis non est habitus a gratia sanctificante distinctus, sed ei solummodo addit aliquod ius, ad obtinenda, cum opus fuerit, auxilia gratiae necessaria ad proprios cuiusque Sacramenti effectus obtinendos: quippe habitus a gratia sanctificante distinctus est omnino superfluus; quia illa omne id praestare potest, quod ille praestare deberet: nam gratia sanctificans animam, eiusque facultates perficit in ordine ad exercendos actus supernaturales proprios cuiusque Sacramenti: ergo gratia Sacramentalis super sanctificantem adiicit solummodo ius fundatum in Divina promissione, qua se Deus gratuito obstrinxit, ut dignae Sacramentorum susceptioni gratiam illam, seu ius auxilia illa obtinendi, annecteret. Porro hoc ius non officit, quin haec gratia sit gratuita, cum non in nostris meritis, sed sola Dei misericordia fundetur, et solo titulo fidelitatis Dei debitum dici possit. Auxilia vero haec opportuno loco, et tempore a Deo conferuntur, cum necessitas hoc postulat; et ius ad illa percipienda per peccatum mortale amittitur.

Sacramentum aequa-

§ 910. Porro idem specie Sacramentum aequalem semper gratiae effectum illis confert, qui aequaliter sunt dispositi: quia quando

causa, et dispositio sunt aequales, idem est effectus: si vero inaequaliter sint dispositi, inaequalem etiam ex opere operato effectum producit: tum quia ita docet Tridentinum *Sess.* 6. *c.* 7. *In baptizatis iustitia recipitur . . . . secundum propriam cuiuscumque dispositionem, et cooperationem:* tum quia Sacramenta agunt adinstar agentium naturalium, quae pro diversa subiecti dispositione inaequalem effectum producunt. Iiter dispositis aequalem gratiam confert.

ART. 6. *De Charactere.*

§ 911. Praeter gratiam sanctificantem (§ 908.), et Sacramentalem (§ 909.), tria Sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio, et Ordo imprimunt animae Characterem indelebilem, unde iterari non possunt. Hoc dogma Catholicum ex S. Scriptura satis efficaciter probari non posse, observant, recentiores Theologi. Unde probatur: 1° ex Traditione S. Cyrillus *praef. in Catech.* vocat Baptisma *signaculum sanctum et indelebile.* S. Ambrosius *l. de init. signaculum spirituale.* S. Augustinus *tr.* 6. *in Ioan. Tene, quod accepisti, non mutatur, sed agnoscitur, Character est Regis mei, non ero sacrilegus, corrigo desertorem, non muto Characterem.* Ubi indicat, etiam in Apostatis Characterem Baptismi remanere, adeoque Baptismum non esse iterandum, quando se convertunt. Et cum *ep.* 185. induxisset Donatistam sic loquentem: *Quare ergo me non baptizas?* respondet: *Quia non facio iniuriam Characteri Imperatoris, cum errorem corrigo desertoris.* De Confirmatione idem S. D. *l.* 2. *contra litt. Petill.* ait: *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut Baptismus.* Ergo sicut Baptismus, ita Confirmatio imprimit Characterem. De Ordine *l.* 2. *contr. ep. Parm. c.* 4. probat, Baptismum, et Ordinem idcirco iterari non posse, quod consecratione quadam conferantur. 2° Innocentius III. in *c. Maiores, de Bapt.* loquitur de Charactere per Baptismum impresso, velut de re vulgo notissima. Eugenius IV. in Decreto ait, *inter Sacramenta tria esse, Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, quae Characterem imprimunt in anima indelebilem; unde in eadem persona non iterantur.* Et idem definit Tridentinum *Sess.* 7. *can.* 9. 3° Existentiam Characteris S. Thomas probat ex eius officiis, quae sunt: 1. Aptum reddere hominem ad cultum Divinum, et res sacras percipiendas, vel perficiendas. 2. Configurare Christo per potestatem ab eo acceptam. 3. Fidelem a caeteris distinguere. 4. Facere, ut Sacramenta eum imprimentia iterari non possint. Hinc in Baptismo datur Character familiae; in Confirmatione militiae Christi; in Ordine potestatis et ministerii Ecclesiastici. Tria Sacramenta imprimunt Characterem.

Schol. 1. Characteris nomine Theologi intelligunt signum spirituale animae impressum, et indelebile, per quod Christiani distinguuntur, et apti redduntur ad aliquid sacrum recipiendum, vel peragendum. Protestantes existentiam Characteris negant. I. Quia nulla eius fit mentio in S. Scriptura, et nullus ante Petrum Pictaviensem, Solvuntur obiectiones.

successorem Magistri Sententiarum in Cathedra Parisiensi, eius meminit. Unde B. Albertus M. *in 4. d.* 6. docet, vix in scriptis SS. PP. aliquid de Charactere reperiri. Scotus *in 4. d.* 6. docet, eum propter Innocentii III. et Romanae Ecclesiae auctoritatem tantum admittendum esse. Et Gabriel Biel ait, neque S. Scripturam, neque scripta SS. PP. nos cogere ad eum admittendum. *Resp.* Pro S. Scriptura sufficit nobis Traditio. Ante Petrum Pictaviensem citati Patres Characteris meminerunt. Antiqui Theologi docent, Characterem non habere fundamentum in veteri Traditione in sensu, quo Scholastici de eo disputant, an scilicet sit qualitas, vel relatio rationis; uti B. Albertus M. et Biel ipsi testantur, non vero in sensu a Tridentino definito. Scotus et Caietanus Characterem ex Traditione aperte admittunt, licet non satis bene velint, eum ex PP. probari non posse. II. Catholici probant, tria Sacramenta iterari non posse, quia imprimunt Characterem; et ex eo, quod iterari non possunt, probant existentiam Characteris: ergo errant in circulo. *Resp.* Non est circulus, quando ex diverso genere causae probatio deducitur, v. gr. effectus per causam, vel causa per effectum. Sic probamus, Sacramenta iterari non posse ex Charactere, ceu effectu, et Characterem a Sacramentis, tamquam a causa.

Quid sit Character? *Schol.* 2. De natura Characteris variae sunt Scholasticorum opiniones. Durandus putat, eum esse tantum relationem rationis, seu denominationem extrinsecam. Verum, licet haec sententia fidei non adversetur, recedit tamen a proprio sensu Ecclesiae, quae docet, Characterem animae imprimi; quod de relatione rationis nonnisi abusive dicitur. Scotus vult, Characterem esse relationem realem, extrinsecus animae advenientem, qua anima Christo assimilatur. Verum Character a Sacramento producitur, cum e contra relatio per veram actionem non producatur. Recentiores Philosophi volunt, Characterem esse certam animae modificationem, quae cum Thomistis etiam ad genus qualitatis, et quidem ad potentiam revocari potest, quae dat agere aut pati, cum per Characterem homo deputetur ad sacra vel suscipienda, vel conficienda.

Eius indelebilitas et subiectum. *Schol.* 3. Est de fide, Characterem in vita deleri non posse, quia Tridentinum eum vocat signum indelebile: an vero sit delendus in altera vita, incertum est, cum Ecclesia nihil circa hoc definiverit: conformius tamen est definitioni Concilii, eum in altera vita non esse delendum, sed in Beatis ad gloriam, in damnatis ad poenam remanere. Subiectum Characteris immediatum est intellectus; ordinatur enim ad executionem cultus Divini, qui est quaedam fidei protestatio, adeoque in eodem subiecto, in quo fides, scilicet in intellectu, esse debet. In Christo Domino, qui est splendor gloriae, Character non fuit. Denique nec auctoritate, nec ratione probari potest, Sacramenta veteris Legis Characterem impressisse.

CAP. V.

De Auctore Sacramentorum N. L.

§ 912. Vis productiva gratiae, et Characteris a Christo instituente Sacramentis N. L. concessa fuit, adeoque certa, ac vera est sententia, Christum Dominum omnia et singula N. L. Sacramenta immediate, et per seipsum instituisse. Nam 1° nullum est Sacramentum, cuius aperta mentio non fiat in S. Scriptura, uti in decursu patebit; ac proinde cuius immediata mentio non videatur ad Christum referri debere. Unde Apostoli vocant se tantum *ministros* et *dispensatores mysteriorum Dei*: 1. *ad Cor.* 4. *v.* 1. 2° S. Ambrosius *l.* 4. *de Sacr. c.* 4. ait: *Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Iesus?* Deinde Tridentinum *Sess.* 7. *can.* 1. definit: *Si quis dixerit, Sacramenta N. L. non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta... anathema sit.* Quod autem inclinet in eam sententiam, quae docet, illa *immediate* esse a Christo instituta, patet ex *Sess.* 14. *cap.* 1. ubi ait, Extremam Unctionem apud Marcum insinuatam, per Iacobnm autem Apostolum fidelibus *commendatam* ac *promulgatam* esse. Et *Sess.* 21. *c.* 2. docet, id esse discriminis inter Sacramenta, et Sacramentalia, quod Ecclesia nil possit in substantiam Sacramentornm, sicut potest in ritus, et caeremonias. Ergo si Ecclesia nil potest in materia, et forma mutare, signum est, substantiam Sacramentorum esse a Christo immediate institutam. Christus Sacram. N. L. instituit.

Schol. 1. Catholici omnes consentiunt, Baptismum et Eucharistiam immediate esse a Christo instituta. Item Christum saltem mediate esse omnium Sacramentornm Auctorem: at disputant, an omnia immediate instituerit; nam Magister Sententiarum, Hugo Victorinus, et S. Bonaventura putarunt, Apostolos pro concessa sibi a Christo potestate nonnulla Sacramenta, maxime Confirmationem, et Extremam Unctionem, instituisse: imo Alexander Alensis censet, Sacramentum Confirmationis longe post Apostolorum tempora in Concilio Meldensi, circa an. 845. institutum fuisse. Nam I. S. Cyprianus *Serm. de ablut. ped.* ait: ***Ipse summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor, et auctor; in caeteris homines Spiritum S. habuere auctorem. Resp.*** Auctor huius sermonis non de Sacramentis, sed de caeremoniis Sacramentorum, et Liturgia loquitur. II. Christus potestatem a Patre acceptam Apostolis suis communicavit: ergo etiam potestatem instituendi Sacramenta. ***Resp.*** Falsum est, quod omnem omnino potestatem illis dederit; nam ly ***sicut me misit vivens Pater,*** non omnimodam paritatem denotat. Solvuntur obiectiones.

Schol. 2. Bellarminus et nonnulli alii volunt, esse de fide, quod Christus immediate omnia Sacramenta N. L. instituerit. Verum sententia negativa hodie est communior. 1. Quia in definitione Tridentini citata, particula *immediate* non reperitur, et licet inferatur ratiocinio Theologico, hoc tamen ad faciendum fidei decretum non sufficit; nam Christus potest dici Sacramentorum institutor, licet potestate sua An sit de fide, omnia Sacramenta esse immediate a Christo instituta?

Apostolis concessa nonnulla Sacramenta per eos instituisset, sicuti potest dici miraculorum patrator, licet multa miracula per Apostolos patrata sint. 2. Iodocus Ravestein Theologus Lovaniensis in Tridentino praesens, particulam *immediate* studiose a Patribus omissam fuisse testatur, ad cavillationes evitandas; unde etiam salva fide hac re adhuc in Scholis disputatur. Nec obstat I. quod Tridentinum definiat, omnia Sacramenta a Christo instituta esse: ergo immediate; nam de mediata institutione nulla fuit controversia. ***Resp.*** Definitio est contra haereticos, qui aliqua Sacramenta, ut Confirmationem etc. ne quidem mediato a Christo instituta esse dicunt. II. Idem Tridentinum *Sess.* 14. dicit, Sacramentum extremae Unctionis a S. Iacobo tantum promulgatum, a Christo vero institutum esse. ***Resp.*** Hic Concilium iterum nihil definit de institutione immediata. Eodem modo *Sess.* 21. *c.* 2. institutionem immediatam non attingit.

An potestas instituendi Sacram. homini puro communicari possit? *Schol.* 3. Potestas instituendi Sacramenta per propriam auctoritatem supremam, et independentem soli Deo propria, nec ulli creaturae communicabilis est. Potestas etiam excellentiae instituendi Sacramenta, quae humanitati Christi tamquam instrumento Divinitati coniuncto concessa fuit, adaequate, quantum ad omnes effectus, nulli purae creaturae communicari potest; nam haec fundatur in unione hypostatica, et requirit meritum de condigno primae gratiae sanctificantis. Potest tamen communicari inadaequate purae creaturae, quia nulla est implicantia, quod homo ex concessione Dei instituat signum externum, et annectat vim gratiae productivam, quia nonnisi de congruo ex libera Dei acceptatione gratiam nobis mereretur, adeoque adaequate illi haec potestas non communicaretur.

CAP. VI.

De Ministro Sacramentorum.

Solus homo viator est minister Sacramentorum. § 913. Porro solus homo viator potest esse idoneus ordinarius Sacramentorum minister. Nam 1° solis hominibus dedit Christus potestatem Sacramenta administrandi, uti quando *Matth.* 28 iussit, ut Apostoli baptizarent: consecrarent, *Luc.* 22. peccata dimitterent, *Ioan.* 20. Et Apostolus statum viatoris in ministro supponit, quando *ad Hebr.* 5. ait, ministrum debere *esse ex hominibus assumptum, qui condolere possit iis, qui ignorant, et errant.* Unde S. Chrysostomus ait *l.* 3. *de Sacerd.* quod potestatem ligandi et solvendi Deus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluerit. 2° Ratio est: Sacramenta N. L. constant verbis humano modo prolatis (§ 893.). Ergo ab homine proferri, adeoque Sacramenta a solis hominibus administrari possunt.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 1. Lutherus *l. De Miss. priv.* non solos homines, sed etiam Angelos, imo daemones administrare Sacramenta posse docet. I. Quia efficacia Sacramentorum non nititur qualitate personae ministri, sed verbo Christi, quod fidem in suscipiente excitare potest, quocumque

tandem modo, servato tamen ritu a Christo praescripto, proferatur. *Resp.* Efficacia Sacramentorum ex institutione Christi nititur saltem qualitate essentiali personae Christi ministri, quae est, ut minister sit homo viator. II. Iudas membrum diaboli baptizare potuit: ergo etiam diabolus potest. *Rsp.* Iudas, non ut membrum diaboli, sed ut verus homo minister Christi, et potestatem ab eo habens, Sacramentum administravit.

An Angeli, Daemones et Beati possint esse ministri?

Schol. 2. Sancti Angeli possunt esse Ministri extraordinarii Sacramentorum, non quidem ex institutione olim a Christo facta, sed per miraculum, et extraordinaria Dei commissione. Ita S. Thomas 3. *p.* *q.* 7. Sic Nicephorus refert, SS. Angelos consecrasse S. Ampilochium in Episcopum, et Angeli leguntur pluribus SS. Eucharistiam ministrasse. Putant etiam Salmanticenses, non esse implicantiam, ut daemones secundum extraordinariam providentiam ministrarent vera Sacramenta, quod tamen de facto non fit: unde si constaret, Sacramentum a daemone administratum esse, non deberet ut verum admitti, sed potius ut illusio diabolica repelli, nisi adesset evidentissima revelatio, hoc ex speciali Dei dispensatione, et iussione factum esse. Homo denique comprehensor, et beatus est de lege Dei ordinaria, sive ex vi institutionis Christi absque ulla nova commissione minister idoneus Sacramentorum, sed tamen extraordinarius, quantum ad circumstantiam status: quippe homo etiam beatus retinet Characterem, et miraculose resurgendo potest adhibere materiam et formam cum debita intentione: ergo potest administrare Sacramentum. Hinc colligunt Salmanticenses, poenitentem absolutum a Sacerdote beato non teneri denuo confiteri Sacerdoti viatori.

Non quivis homo est idoneus minister.

§. 914. Non tamen quilibet homo Christianus, excepto Baptismo in casu necessitatis, est idoneus Sacramentorum minister; sed tantum ille, qui per legitimam Ordinationem ministerii potestatem accepit. Sic testatur S. Scriptura, ad hoc munus quosdam prae caeteris esse electos, et deputatos: *ad Eph.* 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos . . . alios autem Pastores et Doctores ad consumationem Sanctorum in opus ministerii, Ioan.* 20. solis Apostolis Christus dixit: *Quorum remiseritis peccata etc.* Id quod specialiter probabitur, cum de Sacramentis in specie tractatus erit.

Solvuntur objectiones.

Schol. Iuxta Lutherum in *l. de capt. Babyl.* et in *Articulis* a Leone X. damnatis, omnes homines baptizati habent potestatem omnia Sacramenta administrandi, licet ad tollendam confusionem non oporteat, omnes hac potestate uti, sed eos solum, qui legitime sunt vocati, exceptis tribus casibus: 1. Quando quis est in loco privato domi suae. 2. Quando nemo alius adest, et urget necessitas. 3. Quando alius adest, sed non satis bene instructus. Ex quo infert, publicos ministros non differre a caeteris potestate, aut dignitate, sed solo usu potestatis: item ministrum fieri posse laicum, sicuti laicus fit minister. I. Quia omnes, etiam mulieres, concionari possunt: *Ioel.* 2. *v.* 28. *Prophetabunt filii vestri, et filiae.* Maria soror Moysis prophetavit,

Exod. 15. Beatissima Virgo Maria, *Luc.* 1. Quatuor filiae Phillppi, *Act.* 21. Et Apostolus 1. *ad Cor.* 11. iubet, ut *mulier velato capite prophetet*. *Resp.* Sermo ibi est de Prophetia, seu praedictione futurorum, seu de explicatione privata nonnullorum obscuriorum S. Scripturae locorum, quorum solutionem ex privata inspiratione Spiritus S. forte mulier aliqua cognoscit, quae in privatis collationibus proferri poterant. II. Baptizatus quilibet Spiritum Christi habet; ubi vero est Spiritus Christi, ibi omnis potestas, et libertas, etiam Sacramenta administrandi. *Resp.* Spiritus Christi tribuit nobis ea solum, quae ad satisfaciendum obligationi, et vocationi nostrae sunt necessaria.

Minister ut causa instrumentalis ad productionem gratiae concurrit.

§ 915. Minister Sacramentorum tamquam vera instrumentalis causa simul cum Sacramento proxime et active concurrit ad gratiam Sacramentalem: dicitur enim remittere peccata, *Ioan.* 20. et ita statuit Tridentinum *Sess.* 14. *can.* 3. *et* 10. Cuius ratio est, iuxta S. Thomam, 3. *p. q.* 64. *a.* 1. quia eadem est ratio ministri, et instrumenti, sive Sacramenti; utriusque enim actio exterius exhibetur, et sortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis Dei. Sed Sacramenta sunt causae efficientes gratiae sanctificantis (§ 907.). Ergo etiam eorum ministri.

Art. 1. *De necessitate intentionis in Ministro.*

In ministro requiritur intentio.

§ 916. Ut autem minister Sacramentum valide administret, requiritur in eo intentio faciendi quod facit Ecclesia. Nam 1° 1. *ad Cor.* 4. dicitur: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Sed minister, et dispensator debet prudenter, et fideliter gerere negotia Domini sui, adeoque ex intentione proprie dicta. Ergo etiam minister Sacramentorum. 2° Ita definivit Concilium Constantiense, quod *Sess. ult.* suspectos in fide interrogari iubet, *an credant, quod malus Sacerdos cum debita materia et forma, et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat Sacramenta.* Idem statuit Eugenius IV. in Decreto pro Armenis in Conc. Flor. Et Trident. *Sess.* 7. *can.* 11. *Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt, et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; anathema sit.* 3° Ratio est, quia administratio Sacramentorum debet esse actio humana; alias enim frustra Christus solos homines Sacramentorum ministros constituisset: sed actio humana non est, nisi fiat voluntarie cum advertentia rationis, et intentione: ergo intentio requiritur.

Intentio quotuplex?

Schol. 1. *Intentio* est deliberata voluntas aliquid faciendi. Intentio 1. alia est *directa*, quando quis deliberate vult aliquid facere, v. g. administrare Sacramentum, seu facere quod facit Ecclesia; alia est *reflexa*, quando quis se reflectens super administrationem iam directe intentam, distinctiori, et novo modo vult hanc administrationem, prout est ritus ab Ecclesia frequentatus, seu Sacramentum. Intentio directa 2. alia est *operis*, qua quis vult simpliciter administrationem, v. g. seu caeremoniam ab Ecclesia frequentatam, nec cogitat de eius

virtute, vel effectu: alia est intentio *finis*, qua quis intendit v. g. sanctificationem per Sacramentum. 3. Intentio operis alia est *interna*, seu *mentalis*, sive voluntas, qua quis non tantum serio exterius, sed etiam intus, et in animo vult simpliciter, et generatim facere quod facit Ecclesia, quid quid tandem de Sacramento, eiusque virtute quis sentiat: alia est *externa*, per quam minister exterius, et quidem serio, ac cum debitis circumstantiis externum Ecclesiae opus perficit, licet intus statuat, illud non perficere, sed tantum fingere, et simulare. Intentio interna 4. alia est *actualis*, qua quis actu vult, v. g. conficere Sacramentum: alia est *virtualis*, qua opus fit virtute praecedentis actualis intentionis, quae etsi actu praeterierit, censetur tamen moraliter permanere, quatenus ex eius virtute minister operatur: alia est *habitualis*, seu propensio voluntatis acquisita per actus frequentatos, v. g. frequentem Sacramentorum administrationem, faciendi opus aliquod: vel potest etiam dici intentio, quam praecessit voluntas operis faciendi, quae tamen postea nullo modo nec per se nec per aliud est causa actionis, nec in eam influit. Alia est *interpretativa*, quae est talis dispositio voluntatis, ut interpretemur, aliquem consensurum, vel facturum aliquid, si ei in mentem veniret. Alia est intentio *absoluta*, quando minister sine modificatione vult aliquid facere, v. g. Sacramentum administrare. Alia est *conditionata*, quando vult sub conditione.

Schol. 2. Protestantes requirunt quidem intentionem ponendi actum, quem Ecclesia Sacramentum vocat, licet non requiratur intentio Sacramentum ut tale administrandi. Ita D. Schubert. *Th. Pol.* *p.* 2. *c.* 2. *Sect.* 4. Quia vero docent, Sacramenta solum iustificare, quatenus repraesentando promissiones Christi fidem suscipientis excitant, quam vim habent independenter ab intentione ministri; ideo sequi ex eorum doctrina videtur, nullam in Sacramentis esse intentionis necessitatem: hinc etiam Lutherus *art.* 12. a Leone X. damnato, ait: si non serio, sed ioco absolverit, si tamen quis credat, se absolutum, verissime absolutus est. Nam I. *Ad Philipp.* 1. S. Paulus gaudet praedicari verbum Dei quacumque intentione, licet aliqui hoc facerent, ut S. Paulo invidiam crearent, quia etiam hoc modo verbum fructuosum esse poterat: ergo etiam verbum Sacramentale, etsi ex ioco prolatum, utile erit. *Resp.* Aliud est intendere non concionari, aliud intendere concionari ob malum finem. S. Paulus de hoc posteriori loquitur, quo modo et nos concedimus, Sacramentum esse validum, si minister intendat vere conferre, licet ob malum finem. Deinde qui etiam intendit non concionari, fructum facere potest, quia verba concionalia non dependent ab intentione; verba vero Sacramentalia sunt practica, et dependent ab intentione. II. S. Alexander Episcopus Alexandrinus ratum habuit Baptismum, quem S. Athanasius adhuc puer, aliis pueris per iocum contulit. *Resp.* Historia haec non est verosimilis: tum quia a solo Ruffino, Socrate, et Sozomeno sine testimonio ullius probati auctoris narra-

Solvuntur obiectiones.

tur, et quidem fama incerta, cum addat, *ferunt:* et ipsi hi historici factum diversimode referunt: tum quia S. Alexander creatus est Episcopus a. c. 311. quo tempore S. Athanasius puer non fuit, cum a. 325. S. Alexandro in Episcopatu, utpote solum 25 annos natus, adeoque iuxta mores illorum temporum nondum Presbyter, succedere non potuisset. Supposita autem facti veritate, illud nil probat, cum etiam subiude pueri seniores in ludo serio imitentur, et veram intentionem in puero S. Athanasio S. Alexander deprehendit, maxime cum solos Catechumenos rite dispositos baptizaverit. III. S. Genesius valide fuit baptizatus per mimum, qui in theatro mysteria Christianorum derisorie repraesentabat coram Diocletiano sine intentione. *Resp.* S. Genesius baptizatus est vel per Baptismum flaminis, seu perfectam charitatem; vel per Baptismum sanguinis, quia Martyrium sustinuit. Bellarminus etiam putat, mimum interius a Deo motum veram baptizandi cum intentionem habuisse. IV. S. Augustinus *l.* 7. *de Bapt. c.* 53. docet, integritati Baptismi non officere, si fallaciter detur; additque, se hoc idem affirmaturum de Baptismo mimice, et derisorie dato, si esset in Concilio Episcoporum, qui eum errantem posset in rectam viam reducere; et *tr.* 5. *in Ioan.* docet, Baptismum ab ebrioso collatum esse validum. *Resp.* S. Augustinus per fallaciam intelligit fictionem, seu defectum debitae dispositionis fidei et rectae de Baptismo sententiae in haeretico, quae liceitati, non tamen valori Baptismi officit. Putat tamen D. Habert, fatendum esse, S. Augustinum eo tempore, quo nihil de hac re expresse definierat Ecclesia, de hoc Baptismo dubium fuisse. In altero loco non loquitur de actu ebrioso, seu ebrio actu vino madente, sed de peccatore habente consuetudinem se inebriandi: vult quippe in primo loco probare, Baptismum ab haeretico, in altero, a peccatore collatum, esse validum. V. Minister est instrumentum Christi, in cuius virtute agit: ergo non requiritur in eo intentio: nam etiam instrumentum a publico Notario sine intentione factum, valet. *Resp.* Minister est instrumentum animatum, et liberum, quod prudenter, et cum intentione agere debet. Notarius contrahentes non obligat, sed obligationem ab iis contractam scripto commendat. ad quod nullo eius consensu opus est: minister vero nomine Christi Sacramentum perficit, et sanctificationem producit.

An intentio externa iuxta Catharinum sufficiat?

Schol. 3. Ambrosius Catharinus O. P. Archiepiscopus Compsensis opusculum *De intentione ministri* edidit, in quo docet, validum esse Sacramentum, si minister serio adhibens ritum externum, adeoque habens intentionem solum externam, habeat in animo contrariam voluntatem Sacramentum penitus irritandi, et apud se dicat: nolo facere hunc ritum ut sacrum, nolo esse Sacramentum, nolo baptizare; vel si decernat fingere in animo et simulare. Ita sententiam Catharini explicant, et defendunt P. Serry, et P. Contenson: unde eius sententiam non satis exacte emollit D. Tournely, dum putat, Catharinum non reiicere intentionem internam operis externi Ecclesiae, seu

tantum finis et effectus Sacramenti, seu ritus externi sub ratione formali Sacramenti; siquidem Catharinus quaestionem expresse movet de ministro derisorie baptizare intendente, et putat, intentionem internam contrariam cum externa administratione sine signo externo voluntatis contrariae serio peracta, esse incompossibilem. Haec Catharini sententia needum ab Ecclesia damnata est, tum quia eius scripta needum proscripta sunt; imo hoc opusculum sub oculis Patrum Tridentini, et Romae a. 1552. prodiit; tum quia P. Serry refert, hanc sententiam Romae a 1645. publice a Zacharia Pasqualigo propugnatam esse, et iureiurando testatur, sibi Consultores ac Praesules primae notae saepe affirmasse, in hac propositione ab Alexandro VIII. damnata: *Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat; intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo facere quod facit Ecclesia;* aliud contineri a Catharini sententia, qui admittit necessitatem intentionis externum ritum faciendi, cum e contra haeretici totum iustificationis negotium fidei tribuentes omnem intentionem reiiciant, et Sacramentum externa subsannatione collatum validum esse dicant; quod Catharinus negat. Nihilominus dicendum est, ad valorem Sacramenti necessariam esse internam ministri intentionem, qua velit non fingere nec simulare, sed vere ac serio facere simpliciter et generatim saltem id, quod facit Ecclesia (§ 916.). Non tamen requiritur, ut minister intendat facere vel effectum Sacramenti, vel ritum Ecclesiae formaliter, ut Sacramentum est, vel etiam facere quod facit Ecclesia Catholica Romana; sed sufficit, ut simpliciter et generatim velit facere quod facit Ecclesia, quaecumque illius sit et de Ecclesia, et de Sacramento, eiusque fine ac effectu sententia. Nam 1. Tridentinum exigit intentionem faciendi quod facit Ecclesia; non vero quod Ecclesia intendit. 2. Demonstrat hoc praxis Ecclesiae, quae non iterat Baptismum a Pelagianis, Iudaeis et Paganis collatum, licet non intendant conferre spiritualem Baptismi effectum: virtus enim Sacramentorum non a privata ministri intentione, sed a Christo dependet, et illa necessario agunt: ergo minister rite ministrans, effectum impedire nequit. 3. Non requiritur intentio interna et privata ritum a Christo institutum perficiendi, ut Sacramentalem, seu ut verum Sacramentum, quia validus est Baptismus a Iudaeo vel Haeretico collatus, qui sine hac intentione eo ipso verum Sacramentum perficiunt, quod serio exterius velint, ritum Christi et Ecclesiae implicite ac generatim, prout est ritus Christi et Ecclesiae, perficere. Ita approbavit Baptismum a Iudaeo collatum Nicolaus I. a Bulgaris consultus: et Innocentius IV. scribens in *l. 3. Decret. t. de Bapt. c. 9.* ait: *Non est necesse, quod baptizans sciat, quid sit Ecclesia, quae baptizat;* et supponit, aliquem Saracenum, qui nescit, quid sit Baptismus, aut Ecclesia, rogatum, ut faciat quod facit Ecclesia, et hoc re ipsa facientem, valide baptizare. Sane pendente dubio circa collatum Baptismum, in Concilio Nicaeno et controversia cum Donatistis solum

exploratum fuit, an materia et forma rite applicata fuerit, nulla facta mentione de intentione privata ministri. 4. Non requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia Catholica et Romana; sed sufficit generatim velle quod facit Ecclesia, quamcumque Ecclesiam minister in mente habeat, Lutheranam aut aliam; nam qui intendit facere quod facit Ecclesia Lutherana, ille generatim intendit facere quod facit vera et universalis Ecclesia, licet ex errore credat, Lutheranam Ecclesiam esse veram; qui error privatus non destruit veritatem intentionis generalis faciendi quod facit Ecclesia Christi, adeoque nec valorem Sacramenti. Non obstat I. S. Thomas, qui 3. *p. q.* 64. *a.* 9. ait: Alii melius *dicunt, quod minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, cuius est minister; in verbis autem, quae profert, exprimitur intentio Ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur:* ergo sola intentio externa Catharini sufficit. *Resp.* S. Thomas loquitur de intentione interna mentali expressa et in actu signato volente Sacramentum conficere, quam dicit non esse necessariam; requirit tamen intentionem internam mentalem implicitam et virtualem contentam in intentione generali faciendi quod facit Ecclesia, quam virtualem intentionem dicit non esse mentalem, non quasi non sit in mente, sed quia magis est in opere, quam mente: vult quippe ibi tollere scrupulum suscipientis Sacramentum, et dicit, prudenter posse praesumi intentionem internam faciendi quod facit Ecclesia, in ministro, si serio ritum externum ponat. II. Innocentius IV. loc. cit. dicit: *Non est necesse, quod baptizans gerat in mente facere quod facit Ecclesia; imo si contrarium gereret in mente, scilicet non facere, quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est, dummodo baptizare intendat. Resp.* Innocentius solum vult, non requiri intentionem effectus per Sacramentum producendi; affert enim exemplum Saraceni, qui rogatus baptizat, non credens per immersionem aliud fieri, quam madefactionem, nec intendit baptizare ad operandam iustificationem; quia tamen intendit dare, quod ab alio petitur, et conferre, quod conferunt alii baptizantes, valide baptizat; secus foret, si hoc non intenderet. III. Minister exterius ritum Christi serio observans, licet contrariam intentionem in mente gerat, ritum Christi debite observat, forma Sacramentorum operatur independenter ab intentione ministri. *Resp.* Intentio ministri ad ritum a Christo institutum, et ut forma operetur, essentialiter ex institutione requiritur. IV. Quando minister interius dicit: *nolo conficere Sacramentum,* et tamen serio ponit actum externum, habet duas voluntates contrarias, inter quas illa est vera, quae effectum obtinet; altera tantum est velleitas, uti patet in mercatore proiiciente merces in mare. *Resp.* Voluntas faciendi ritum externum, et voluntas non agendi seu simulandi habent diversa obiecta, prior ritum externum, altera defraudationem Sacramenti, ita ut voluntas serio agendi sit voluntas medii, altera voluntas finis, adeoque simul consistere possunt, nec una superatur ab alia:

voluntas vero servandi merces est inefficax, et superatur ab illa servandi vitam, cum sit circa idem obiectum, scilicet servandi merces et proiicendi merces. V. Tridentinum requirit intentionem conficiendi Sacramentum, et animum serio absolvendi: ergo verum Sacramentum conficiendi. *Resp.* Tridentinum solum requirit intentionem generalem faciendi quod facit Ecclesia, adeoque confusam et implicitam operis, prout Sacramentum est, et animum serio absolvendi, non vero solum simulandi.

Art. 2. *De qualitate intentionis.*

§ 917. 1. Ad valide conficiendum Sacramentum optima quidem est intentio actualis, cui etiam ob dignitatem Sacramentorum semper studeri debet; non tamen requiritur, sed virtualis (§ 916. Schol. 1.) sufficit. Haec enim intentio sufficit, ut actio aliqua censeatur humano et rationali modo fieri, et intentio actualis durante actione Sacramentali vix est possibilis, ac plurimis scrupulis foret exposita. Ergo virtualis sufficit. Qualis intentio requiratur?

2. Intentio vero habitualis (loc. cit.) non sufficit, tum quia cum hac nullo actu voluntatis influente non exercetur actio vero humana: tum quia alias etiam ebrius Sacramentum administrare posset. Ex quo proinde etiam sequitur, quod intentio *interpretativa* non sufficiat, utpote quae non est intentio, sed solum esset, si de ea cogitaretur, adeoque causa actionis humanae esse nequit.

Coroll. Pract. 1*mo.* Defectum intentionis non supplet Christus, nec Ecclesia. 2*do.* Qui de more ponit actiones requisitas ad Sacramentum, et studiose non omisit intentionem, nec habuit contrariam, sed attente peragit quod facit, non potest prudenter dubitare de intentione: non enim requiritur, ut ore vel corde dicat: *intendo hoc facere;* imo hae reflectiones hominem saepe magis turbant. 3*tio.* Per distractiones non evertitur essentia Sacramenti, dummodo minister sit ita animo praesens, ut debito modo materia et forma applicentur: imo voluntaria etiam distractio sub administratione Sacramenti per se loquendo est tantum peccatum veniale, etiam sub consecratione; in qua tamen distractionem voluntariam ob gravem irreverentiam mortale esse, censet Concina etc. non vero per notabilem partem Canonis: fit autem mortale ratione periculi aliquid omittendi, et ratione contemptus actualis vel virtualis, qualem ille habere censetur, qui nonnisi oscitanter Sacramenta administrare consuevit * (4*to.* Si constet, quempiam aut baptismum contulisse, aut aliud Sacramentum ex iis, quae iterari nequeunt, administrasse, omni adhibito externo ritu, sed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi, quod facit Ecclesia, urgente necessitate, erit Sacramentum iterum sub conditione perficiendum. Si tamen res moram patiatur, sedis apostolicae oraculum erit exquirendum. Ita Benedictus XIV. *De Syn., lib. 7. cap. 4.*). * Resolvuntur casus.

Art. 3. *De intentione conditionata.*

Intentio conditionata qualis sufficiat? § 918. 1. 'Ad valorem Sacramenti requiritur intentio absoluta, nec valet conditionata pendens in futurum, v. g. si concubinam dimiseris; nam non est in potestate ministri posita actione Sacramentali suspendere valorem Sacramenti; imo si sub administratione non intendat conferre validum Sacramentum, nec postea erit validum, sive conditio impleatur, sive non, quia actio Sacramentalis tunc non amplius est, quando conditio impletur.

2. Valet tamen Sacramentum cum intentione conditionata de praeterito, vel praesenti, v. g. baptizo te, si non es baptizatus, etc. quia haec conditio est extra causam posita, adeoque non suspendit actionem et intentionem, sed statim facit transire in absolutam, et efficacem. Illud tamen notandum, per septem prima saecula usum formae conditionatae incognitum fuisse, quae modo saeculo octavo innotuit, licet non universaliter demum saeculo 13tio receptus fuerit.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1mo. Non licet Sacramenta administrare sub conditione de praeterito, vel praesenti, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis, nisi rationabilis causa adsit. 2*do*. Si vero rationabilis causa necessitatis, vel prudens ratio dubitandi, et non tantum inanis scrupulus de valore Sacramenti collati, vel nunc conferendi adsit, potest et debet conferri sub conditione de praeterito vel praesenti, v. g. si non es baptizatus, si es rite dispositus etc. et in prudenti dubio, an Confessarius poenitentem absolverit, licite addit conditionem: si nondum te absolvi etc. in his enim casibus prudens ratio culpam ministri removet. Hae autem conditiones non necessario ore exprimi debent, sed sufficit fieri sola mente saltem implicite et virtualiter volendo administrare Sacramentum secundum institutionem Christi, sicuti quis potest, et debet. 3*tio*. Qui consuetudinarios absolveret sub conditione, ut peccandi consuetudinem evitent, absque eo, quod vellet effectum Absolutionis usque ad verificatam conditionem suspendere, sed tantum eos in bono proposito vellet confirmare, valide et absolute absolveret.

Intentio ad determinatum ferri debet. § 919. Intentio ministri debet esse determinata ad certam materiam et personam: debet enim ferri in illud, quod per formas Sacramentorum significatur, quod est materia et persona determinata.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1mo. Si Sacerdos habens coram se duas hostias, et volens unam consecrare non determinaret aliquam, neutra consecraretur: secus foret, si putaret, unam tantum se habere hostiam, cum habeat duas sibi cohaerentes, ubi utraque consecrata foret, si, uti communiter fit, haberet intentionem materiam appositam consecrandi, nisi forte intentionem suam ad illam hostiam, quam videt, restringeret. 2*do*. Si Caium ablnas, et dirigas formam ad Titium, Baptismus foret invalidus: valet tamen, si error sit tantum speculativus circa personam, v. g. si absolvas Petrum, putans esse Paulum si baptizes masculum, putans esse puellam, quia intentio fertur ad

personam praesentem. *3tio.* Si Episcopus nollet ordinare censura irretitos, eorum Ordinatio foret invalida; unde haec restrictio fieri non debet.

Art. 4. *De simulata Sacramentorum administratione.*

§ 920. Non licet etiam ex gravi causa simulare administrationem Sacramentorum. Ita definit Innocentius XI. damnans hanc propositionem: *Urgens metus gravis est causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi.* Et Innoc. III. *c.* 7. *de celebr. Miss.* dicit, quod gravius peccet Sacerdos, qui simulat conficere Corpus Christi, quam ille, qui conficit in peccato mortali. Et S. Congregatio habita a. 1625. relata a Benedicto XIV. *t.* 2. *Bullar.* requisita, an, cum Sacerdotes coguntur a Turcis, ut baptizent eorum filios, non ut Christianos efficiant, sed ut foetore etc. liberentur, possint saltem ficte eos baptizare, adhibita materia Baptismi sine debita forma; respondit: negative. Ratio est, quia talis simulatio est iniuriosa Sacramento, et grave reale mendacium: imo Sacerdos non consecrans hostiam, causam idololatriae tum sibi, tum aliis praeberet. Non licet simulare Sacramenta.

Coroll. Pract. 1mo. Non licet proferre verba consecratoria sine intentione consecrandi, etsi Sacerdoti etiam mors intentetur. *2do.* Non licet hostiam non consecratam pro consecrata praebere peccatori, quem Sacerdos ex sola Confessione scit esse indignum; imo nec licet, si Sacerdos cum hostia non consecrata teneret simul consecratam pro adoratione populi, quia adhuc mentiretur. *3tio.* Non licet formam Absolutionis sine intentione super indispositum proferre, licet Sacerdoti gravissima mala intententur; sed debet tantum dare benedictionem. Resolvuntur casus

Art. 5. *De fide Ministri.*

§ 921. Ad valorem et veritatem Sacramenti non requiritur in ministro Fides. Hoc dogma ex S. Scriptura evidenter probari non potest, uti communiter observant Theologi, adeoque probatur ex Traditione. 1mo. Hanc S. Stephanus P. opposuit S. Cypriano dicens: *Si quis a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam.* Cum vero traditionis huius initium non inveniatur, recte concludit S. Augustinus, eam ab Apostolis descendere *l.* 2. *de Bapt. c.* 7. Decretum S. Stephani confirmavit Concilium Arelatense I. a. 314. *can.* 8. Nicaenum I. a. 325. *can.* 19. ubi Paulianistas formam Baptismi adulterantes rebaptizari iubet, adeoque alii haeretici non rebaptizabantur: Constantinopolitanum I. a. 381. *can.* 7. ubi solos haereticos ritum Baptismi adulterantes rebaptizandos statuit: Arelatense II. a. 452. *can.* 16. et 17. Quibus accedit auctoritas Concilii plenarii, in quo hanc quaestionem terminatam fuisse dicit S. Augustinus *l.* 2. *de Bapt. c.* 9. quod Bellarminus putat fuisse Nicaenum I. alii vero cum Sirmondo, et Petro de Marca Arelatense I. Denique Tridentinum *Sess.* 7. *can.* 4. statuit: *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine* Fides in ministro non requiritur ad valorem.

P. et F. et S. S. cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit. 2do. Ad eamdem Ecclesiae fidem tuendam integros libros saeculo 4to scripserunt contra Donatistas rebaptizantes S. Optatus Milevitanus, et S. Augustinus; cumque Donatistae auctoritatem S. Cypriani obiicerent, respondit S. Augustinus, Magistrum esse excusandum, tum quia pacem et unitatem servavit, tum quia quaestio de Baptismo haereticorum nondum erat discussa: at vero discipulos esse damnandos, cum schisma fecerint, et veritas iam omnibus discussis ambagibus in plenario Concilio fuerit confirmata: *l.* 2. *de Bapt. c.* 9. 3tio. Rationes affert S. Augustinus, tum quia recedens ab Ecclesia retinet Baptismum et Ordinem: ergo valide baptizat: tum quia sequeretur, nos continuo de rite collato Baptismo anxios esse posse, cum non constet, an non saltem ab haeretico occulto baptizati simus: tum quia virtus Sacramentorum non a qualitate et fide ministri, sed ab institutione Christi dependet.

Controversia rebaptizantium.

Schol. 1. Saeculo 3° S. Cyprianus Episcopus Carthaginensis, S. Firmilianus Episcopus Caesareensis in Cappadocia, aliique negarunt, rata esse Sacramenta ab haereticis collata, et baptizatos ab eis rebaptizabant. Controversia haec acerrime agitata fuit inter S. Stephanum P. et S. Cyprianum: pondere rationum videbatur esse superior S. Cyprianus, auctoritate traditionis S. Stephanus. Primus erroris auctor non fuit S. Cyprianus, sed cum ab Agrippino decessore suo hausit, qui annis 39. ante S. Cyprianum in Concilio Carthaginensi a. 217. celebrato baptizatos ab haereticis rebaptizari iussit. Pro sententiae suae defensione plures epistolas scripsit S. Cyprianus: celebravit etiam tres Carthaginenses Synodos: primam anno 255. Episcoporum 32. secundam a. 256. Episcoporum 71. et deinde Synodicam epistolam direxit ad S. Stephanum P. qui rescripsit: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est,* adiectis gravissimis comminationibus in eos, qui suo decreto non acquiescerent. His commotior factus S. Cyprianus a. 256. tertiam Synodum Episcoporum 87. pro confirmanda sua sententia collegit; cumque S. Stephanus pariter ad Orientales scripsisset, et Excommunicationis poenam suo decreto non obedientibus comminatus fuisset, id resciens S. Cyprianus ad Firmilianum Episcopum Caesareensem scripsit, qui illi durius sententiam S. Stephani exagitans, respondit, iam pridem in Concilio Iconiensi Baptismum ab haereticis collatum reiectum fuisse. Interim tamen tum S. Cyprianus, tum Firmilianus candide fatentur, multos etiam inter suos pro more Ecclesiae Romanae baptizatos ab haereticis non rebaptizasse. Unde S. Cyprianus caeterique ei adhaerentes, hanc controversiam non ad fidei dogma, sed ad disciplinam dumtaxat pertinere censuerunt, cum illi se a communione contrariam praxim inter suos sequentium non semoverint, licet S. Stephanus P. quaestionem de Baptismo ab haereticis dato ad fidem pertinere censuerit, ac saltem implicite definiverit, uti patet ex eius solemni decreto a S. Cypriano *ep.* 74. relato, et ex poenis privationis communionis intentatis, licet contradicentes non actu privavé-

rit, sed intra minas solummodo haeserit, cum nullus veterum executionis intentatae huius poenae meminerit. Falsum autem est, quod nonnulli ex Novatoribus, et cum cis Launoius putant, S. Stephanum P. impugnantem S. Cyprianum in oppositum errorem lapsum fuisse, approbando omnem Baptismum etiam adulteratum ab haereticis; siquidem ille non alium haereticorum Baptismum ratum habuit, quam qui in nomine P. et F. et S. S. collatus fuit. Denique S. Cyprianus et S. Firmilianus, teste S. Augustino *l.* 2. *de Bapt. c.* 4. ab errore rebaptizantium recesserunt; quod tamen non omnino certum D. Tournely videtur.

Schol. 2. Donatistae saeculo 4° etiam docuerunt, Baptismum ab haereticis collatum non valere, sed non eo modo, quo S. Cyprianus et S. Firmilianus: hi enim non habebant pro haereticis contrarium docentes, nec rebaptizabant baptizatos a Catholicis sibi in hac sententia contrariis: cum e contra Donatistae rebaptizarent etiam Catholicos contrarium docentes, quos veluti haereticos habebant, et errorem hunc post absolutam Ecclesiae definitionem defenderent. Rationes rebaptizantium sunt: I. 2. *Ad Cor.* 6. *v.* 14. nulla est conventio lucis ad tenebras. *Ioan.* 20. Christus dedit Apostolis Spiritum S. ad remittenda peccata, quem haeretici non habent. Et idem S. Ioannes in Epistola sua monet, ut nec *ave* haereticis dicamus. Et *Iac.* 5. pro Extrema Unctione requiritur oratio fidei, quae omnia in haeretico non sunt. Ergo nec valet Sacramentum ab eo collatum. *Resp.* Non est conventio lucis ad tenebras, id est consentiens errori haeretici nequit ab eo licite et fructuose Sacramentum recipere; secus, si non consentiat, et ex iusta causa ab eo petat. Ad Sacramenta legitime administranda requiritur quidem in nonnullis Sacramentis, ut quis Spiritum S. per manus impositionem acceperit, saltem quoad Characterem; at vero ut aliis Spiritum S. per Sacramenta conferat, non requiritur, ut ipse eum habeat. S. Ioannes communionem familiarem cum haereticis prohibet. Ad Extremam Unctionem requiritur oratio fidei obiective sumptae seu obiecti credendi, quod etiam haereticus proferre potest; non vero fidei formaliter sumptae, seu actus, quo quis credit formaliter. II. Canon Apostolorum 45. et 46. Baptismum ab haereticis collatum reiicit. Eumdem Tertullianus, S. Basilius *ep.* 2. *ad Amphil.* et S. Cyrillus Ierosolymitanus *praef. in Catech.* reiecerunt. *Resp.* Duo illi Canones Apostolorum sunt spurii (§ 477. Schol. 4.). S. Basilius, Tertullianus et S. Cyrillus sententiae rebaptizantium adhaeserunt. Unde colligimus, quaestionem de Baptismo haereticorum non fuisse ubique elucidatam, nisi sub finem saeculi 4°, et Ecclesiam per 200. fere annos turbasse; cuius ratio est, quod Concilium Arelatense I. a. 317. celebratum non statim ad notitiam Orientalium venerit; et Concilium Nicaenum reiiciendo Baptismum Paulianistarum implicite solum aliorum haereticorum Baptismum approbavit, quod nonnullis non satis clare innotuit. III. S. Dionysius Alexandrinus apud Eus. *l.* 7. *c.* 14. et teste S. Hieronymo in re-

Solvuntur obiectiones.

baptizantium dogma consensit, et Sixto successori S. Stephani P. suasit, ut a ferenda censura in hanc sententiam abstineret. Item S. Athanasius or. 2. *contr. Arian.* Baptismum Arianornm reiecit. Et S. Optatus Milev. *l.* 1. *contr. Parmen.* nullum esse apud haereticos Baptismum, non vero apud Schismaticos, ait. *Resp.* Quidam putant, S. Dionysium dogmati rebaptizantium subscripsisse. Sed D. Tournely eum ab hoc errore absolvit: tum quia S. Cyprianus nunquam ad eum provocavit: tum quia S. Basilius in *ep. ad Amphiloch. c.* 1. testatur, S. Dionysium admisisse Baptismum Montanistarum: tum quia alias mediatorem pro S. Cypriano apud S. Stephanum non egisset. Ad summnm ergo S. Dionysius censuit, excusandos esse rebaptizantes, usque dum res mature discussa fuisset; et ideo visus est S. Hieronymo in sententiam S. Cypriani propendisse, circa quam tamen solum haerebat, et Sixtum P. consuluit. De mente S. Athanasii dubium esse censet D. Habert: nam or. 3. *contr. Arian.* vanum vocat Arianorum Baptismum. Quia tamen S. Athanasins in Synodo Alexandrina a. 362. decrevit, redeuntes ad unitatem Ecclesiae Episcopos et Presbyteros cum honoribus recipiendos, videtur solum reiicere Baptismum haereticorum quoad effectum Sacramenti in illis, qui haeresi consentiunt. S. Optatus eorum solum haereticorum Baptismum reiicit, qui formam adulterabant. IV. Innocentius I. *ep.* 18. Baptismum Arianorum, non vero Ordinationem recipit. S. Leo I. *ep.* 79. ait, haereticos per Sacramenta non posse dare sanctificationem. S. Gregorins M. *l.* 11. *ep.* 67. iubet, repeti Bonosianorum Baptisma. Pelagius apud Gratianum ait: non est Corpus Christi, quod Schismaticus conficit. Urbanus II. *ep. ad Lucium* ait, Sacramenta haereticorum formam, non vero virtutis effectum habere. *Resp.* Innocentius I. nunquam dixit, Ordinationem haereticorum quoad substantiam et Characterem esse invalidam; sed tantum vult, ordinatos ab iis ad Ecclesiam cum suis honoribus non esse recipiendos, et manus illis imponendas pro reconciliatioue, non pro Ordinatione. S. Leo docet, per Sacramenta haereticorum non dari sanctificationem illis, qui haeresi consentiunt. S. Gregorius Baptismnm Bonosianorum reiicit, quia non baptizabant in nomine SS. Trinitatis. Pelagius alludit ad corpus Christi mysticum seu Ecclesiam, quae non est apud Schismaticos. Urbanus vero virtutem Sacramentis haereticorum negat in illis, qui haeresi consentiunt. V. Unus est Baptismus in una Ecclesia: ergo extra illam nullus est. Item ab haeretico nequit haberi effectus spiritualis Sacramentorum, quia nemo dat, quod non habet: ergo nec ipsum Sacramentum. *Resp.* Baptismus haereticornm unus est cum Baptismo unius Ecclesiae, a qua vim habet. Deinde alind est Sacramentum, aliud effectus Sacramenti; illud etiam malus minister velut causa instrumentalis conferre potest, et consequenter etiam effectum, quia non sua sed Christi virtute agit.

Art. 6. *De probitate Ministri.*

§ 922. Non solum autem fides (§ 921.), sed etiam probitas ministri ad valorem Sacramenti non requiritur; unde ministri improbi sive publici, sive occulti, qui omnia necessaria rite observant, Sacramenta valide conficiunt. Hoc probatur iis rationibus, quibus dogma praecedens: quibus accedit definitio Concilii Constantiensis, quod hunc articulum 4tum Wicleffi damnavit: *Si Episcopus vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non confirmat, non consecrat, non baptizat.* Et Trident. *Sess.* 7. *can.* 12. ita statuit: *Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere Sacramentum; anathema sit.* Idem probat S. Augustinus multis libris contra Donatistas conscriptis. Et *tr.* 5. *in Ioan.* ait: *Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus? . . . quod dabatur a Paulo, et quod dabatur a Petro, Christi erat, et quod datum est a Iuda, Christi erat . . . non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: Hic est, qui baptizat.* Et Nicolaus I. *ad consulta Bulgar. c.* 71. *Non potest solis radius per cloacas et latrinas transiens aliquid exinde contaminationis attrahere: proinde qualiscumque Sacerdos sit, quae sancta sunt, coinquinare non potest.*

Probitas ministri ad valorem Sacram. non requiritur.

Schol. Donatistae errorem, Baptismum ab haereticis collatum nullum esse, ad omnes peccatores sive publicos, sive occultos extenderunt, teste S. Augustino *l.* 2. *contr. Crescon. c.* 28. sed argumentis Catholicorum tandem convicti restrinxerunt ad solos peccatores publicos, quos negant Sacramenta valide conficere, teste eodem S. D. *l.* 2. *contr. Parmen. c.* 12. Eumdem errorem secuti sunt saeculo 12mo Apostolici, teste S. Bernardo *Serm.* 66. *in Cant.* Item Albigenses, teste S. Antonino *sum. p.* 4. *t.* 11. *c.* 7. Waldenses, Hussitae et Anabaptistae, et Ioannes Wicleffus, qui non solum peccatores publicos et occultos, sed etiam bonos in praesenti, sed malos aliquando futuros et praescitos negat, Sacramenta valide posse conficere. I. Quia *Ps.* 140. dicitur: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Eccl.* 34. *v.* 4. *Ab immundo quis mundabitur?* Et *v.* 30. *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius? Matth.* 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Et *Ioan.* 9. *Deus peccatores non audit. Resp.* Nomine olei intelligitur adulatio, uti ex contextu patet, non vero Sacramentum. Ecclesiasticus loquitur de somniis, quae cum sint mendacia, verum docere non possunt: sicut immundus res alias mundare nequit, nisi sit sola causa instrumentalis. In altero textu sermo est de immunditia legali per contactum mortui contracta. Minister malus non est arbor mala, quia arbor mala est homo de suo faciens, non vero ex virtute Christi, sicuti facit minister Sacramentorum. Verba: *Deus peccatores non audit*, non sunt Christi, sed caeci nati inscite vel incaute loquentis. II. S.

Solvuntur objectiones.

Augustinus *l.* 3. *de Bapt. c.* 22. ait: *Maligni et invidi . . . remissionem peccatorum dare non possunt.* Et S. Hyeronimus in *c.* 3. *Soph. Sacerdotes, qui Eucharistiae serviunt, impie agunt in legem Christi, putantes, Eucharistiam imprecantis verba facere, non vitam, ac necessariam esse tantum solemnem orationem, et non merita Sacerdotum. Resp.* S. Augustinus loquitur de privata oratione ad obtinendam remissionem, non de Absolutione Sacramentali; vel loquitur de suscipientibus Sacramenta malitiae ministri consentientibus. S. Hyeronimus alludit ad litteralem significationem Eucharistiae, quae gratiarum actionem significat, ad qnam praeter consecrationis verba, bona vita ad meritum requiritur. III. Impii ministri non habent intentionem Christi et Ecclesiae, quae est, ut pura conscientia Sacramenta administrentur: imo in ministro malo, Sacramenta essent mala, utpote mala actio ministri. *Resp.* Impii ministri habent intentionem terminatam ad substantiam actionis, faciendi quod facit Ecclesia, et hoc sufficit, licet non habeant terminatam ad modum actionis, quia bonum male faciunt. Actio ministri mala est in genere moris, non in genere entis seu Sacramenti, quod Christus per ministrum conficit.

Art. 7. *De requisitis in Ministro ad licitam Sacramentorum administrationem.*

Ad licitam ministrationem requiritur status gratiae.

§ 923. Licet autem nec fides, nec probitas in ministro ad valorem Sacramenti requiratur, ut tamen minister solemnis licite conficiat Sacramentum solemniter, requiritur in eo status gratiae sub peccato mortali, per se loquendo. Ministris enim veteris Testamenti iam dicebatur *Lev.* 21. *v.* 6. *Sancti erunt Deo suo, et non pollunt nomen eius: incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt.* Et ratio petitur tum ex eo, quod agat tamquam minister Christi, tum quod conficiat rem sanctissimam, tum quod ad hoc habeat specialem consecrationem et gratiam. Unde S. Augustinus *conc.* 1. *in Ps.* 103. ait: *Videant qualem rationem habituri sint cum Deo, qui sanctis non sancte utuntur.* Et Rituale Romanum ait: *Impure et indigne Sacramenta ministrantes in aeternae mortis reatum incurrunt.*

An in dispensante Eucharistiam requiratur status gratiae?

Schol. Quaeritur, an etiam dispensans Eucharistiam in peccato mortali peccet mortaliter. Respondet P. Layman affirmative, tum quia est ministerium sanctissimum: tum quia repraesentat Personam Christi SS. Eucharistiam in ultima Coena dispensantis: ergo in Sacramentum et Personam Christi gravem irreverentiam committit. Non obstat. I. quod dispensans non sit minister Sacramenti. Nam *Resp.* licet non sit minister conficiens, est tamen dispensans. II. Portans SS. Eucharistiam ab uno loco in alium, non peccat mortaliter: ergo nec dispensans. *Resp.* Portans non ponit actionem proxime ordinatam ad conferendam ex opere operato gratiam, sicuti dispensans.

Resolvuntur casus.

Coroll. Pract. 1*mo.* Confessarius absolvens in peccato mortali, tot peccata mortalia committit, quot poenitentes absolvit. 2*do.* Sa-

cerdos celebrans in mortali peccat tripliciter, conficiendo, suscipiendo, et indigne ministrando Sacramentum: sufficienter tamen se accusat, dicendo: celebravi in mortali. *3tio.* Dispensans in mortali pluribus SS. Eucharistiam unicum peccatum mortale committit, quia est unum ministerium, et ex parte communicantium unicum convivium. *4to.* Ad Sacramenta licite administranda non debet quis in mortali existens necessario praemittere Confessionem, sed sufficit Contritio perfecta, excepta SS. Eucharistia, ad quam requiritur Confessio. *5to.* Diaconus cantans Evangelium et Subdiaconus Epistolam in Missa nonnisi venialiter peccant, nisi quis ob notorium peccatum grave scandalum praeberet, quia haec officia non versantur immediate circa SS. Eucharistiam: nec peccat graviter in mortali exercens Ordines minores, tangens res sacras, conficiens Sacramentalia, consecrans Templa, benedicens Abbates, etc. conficiens S. Chrisma, conferens primam Tonsuram, praedicans verbum Dei, quae non sunt actiones Christi, nec conferunt immediate animae sanctitatem. *6to.* Minister necessitatis, v. g. laicus, in necessitate baptizans cum conscientia peccati mortalis* (iuxta D. Thomam 3. *p. q.* 64. *a.* 6.)* non peccat mortaliter sed tantum venialiter, quia non vi status, et officii, sed tantum permissive Sacramentum administrat.

§ 924. Non licet petere vel recipere Sacramentum a ministro indigno, praesertim Excommunicato non tolerato, excepto Baptismo in casu necessitatis, et Poenitentia in articulo mortis; quia tenetur quis impedire peccatum alterius, si sine suo incommodo fieri possit. Quod si vero iusta et gravis causa subsit, v. g. praeceptum annuae Confessionis et Communionis, nec alius dignus sine gravi incommodo adiri possit, licet petere et suscipere Sacramenta ab indigno tolerato, quia tunc iusta causa petendi excusat: id quod multo magis licet, quando de malitia ministri certo non constat. *Non licet ab indigno Sacram. petere.*

§ 925. Eodem modo minister, qui confert Sacramentum indigno, per se loquendo, si scienter faciat, peccat mortaliter. Quippe Christus *Matth.* 7. praecipit: *Nolite dare Sanctum canibus.* Talis enim cooperaretur peccato alieno, et in re gravi ageret contra obligationem sui officii, vi cuius tenetur fideliter administrare Sacramenta. *Minister non debet Sacramentum conferre indigno.*

Coroll. Pract. 1*mo.* Minister Sacramenti, debet saltem prudenter iudicare, adhibita morali diligentia, suscipientem esse dignum. 2*do.* Peccatori publico, id est, iuridice convicto, vel publice peccanti, sine sufficientibus signis peractae poenitentiae, publice vel privatim petenti Sacramentum, negandum est, excepta Poenitentia: non tamen sufficiunt leves, sed requiruntur violentae de indignitate suspiciones. *3tio.* Peccatori occulto publice petenti non est negandum Sacramentum, si per hoc infamaretur: *c. Si Sacerdos, de off. iud. ord.* Si vero peccator occultus occulte petat, cui sine scandalo et infamia negari potest, denegandum est, dummodo indignitas ex sola Confessione Sacramentali cognita non fuerit, ubi non licet frangere sigillum. *Resolvuntur casus*

CAP VII.

De subiecto Sacramentorum.

Subiectum Sacramentorum. § 926. Praeter Materiam, Formam et Ministrum, ut Sacramenta gratiam actu causent, debent applicari *Subiecto* capaci, quod iuxta praesentem Christi institutionem est solus homo viator. Nam *ad Hebr.* 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum.* Et ratio est, quia nec Angelis, cum sint incorporei (t. 1. § 178.) signa sensibilia gratiae sanctificantis applicari possunt: nec creaturis irrationabilibus, cum sint gratiae sanctificantis incapaces: nec hominibus defunctis, qui cum sint in termino, non possunt proficere in gratia, nec proinde percipere effectum Sacramentorum, ex institutione Dei solis vivis convenientem.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Dices I. Mus comedendo SS. Eucharistiam, Sacramentum recipit: ergo brutum est subiectum capax. *Resp.* Mus recipit quidem rem, quae re ipsa est Sacramentum, seu ut quamdam rem quantum ad species sensibiles naturalem, sicuti ciborium etiam recipit; non vero prout Sacramentum est, seu receptione et applicatione Sacramenti. II. Christus fuit simul viator et comprehensor; et tamen iuxta S. Thomam Sacramentum Corporis sui suscepit: ergo aliquis Beatus est subiectum capax Sacramenti. *Resp.* Christus D. ut viator SS. Eucharistiam sumere potuit, non quidem ad gratiam, sed ad spiritualem dulcedinem.

Art. 1. *De requisitis in subiecto ad valide Sacramenta suscipienda.*

In subiecto requiritur intentio. § 927. Ut vero homo adultus Sacramentum valide percipiat, non sufficit in eo mera capacitas, sed requiritur vera et interna intentio, seu consensus voluntatis in ritum Ecclesiae, quem percipit, ita ut plane invitus et reluctans valide Sacramentum non recipiat. Ita constat 1° Ex perpetua Ecclesiae Traditione. Concilium Carthaginense III. a. 396. et IV. a. 398. *can.* 79. et Arausicanum I. a. 442 statuunt, aegrotos, qui usum rationis vel linguae amiserunt, non esse baptizandos, nec absolvendos, nisi constet ex testibus, eos prius voluisse baptizari vel absolvi. Innocentius III. in *c. Maiores de Bapt.* expresse asserit, illum, qui nunquam consensit, sed penitus contradixit, nec rem, nec Characterem suscipere Sacramenti, *quia plus est* inquit, *expresse contradicere, quam minime consentire.* Rituale Romanum prohibet, ne baptizetur adultus, qui ex morbo aut alio casu in amentiam incidit, si, dum esset rationis compos, Baptismum non petiit. Ratio est, quia susceptio Sacramenti est quaedam initiatio, consecratio, et Religionis professio, quae sine voluntatis motu intus reluctante fieri non potest.

Solvuntur obiectiones *Schol.* 1. Dices 1. Macedonius asecta, teste Theodoreto a Flaviano sub specie accusationis de monte abductus, inscius ad Sacerdotium promotus fuit; quo cognito, verbis alios proscindens, baculo etiam

Episcopum persecutus fuit; eius nihilominus Ordinatio ratificata fuit. *Resp.* D. Tournely censet, hanc Ordinationem fuisse invalidam, nisi forte solum ex metu et humilitate reluctans simpliciter consenserit: quomodo etiam Paulinianus frater S. Hieronymi ordinatus fuit. II. S. Augustinus *tr.* 26. *in Ioan.* ait: *Intrare quisque Ecclesiam potest nolens, accedere ad Altare potest nolens, accipere Sacramentum potest nolens; credere non potest, nisi volens.* Unde etiam Florentinum intentionis suscipientis non meminit. *Resp.* S. Augustinus vel loquitur de Sacramento SS. Eucharistiae, quae in esse permanente consistit; et sic ab invito vel nesciente, licet sine fructu, percipi potest; vel si de Baptismo loquatur, intelligendus est de infantibus aut adultis, tantum secundum quid invitis. Florentinum consensum in suscipiente supponit. III. In infantibus non requiritur ad valorem Sacramenti intentio: ergo nec in adultis, maxime quia valor Sacramenti ab intentione ministri tantum dependere videtur. *Resp.* Christus voluit, ut in infantibus Baptismus sine eorum intentione, cuius sunt incapaces, valeat, non vero in adultis. Deinde valor Sacramenti pendet ab intentione ministri, ceu causa efficiente ministeriali; a consensu vero suscipientis, tamquam conditione necessaria.

Schol. 2. Caietanus docet, in subiecto ad valorem Sacramenti sufficere capacitatem sine contrarietate, id est, ut quis mere passive se habeat, licet neque velit, neque nolit ritum Sacramentalem percipere. Verum communior est sententia, in adulto, ut Sacramenta valide percipiat, requiri veram et internam intentionem seu consensum voluntatis in ritum Ecclesiae, quem percipit; uti patet ex rationibus in hoc paragrapho allatis, quibus accedit S. Augustinus *l.* 4. *de Bapt. c.* 24. dicens: *Si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet.* Et S. Thomas 3. *p. q.* 68. *a.* 7. ait: *Si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum Baptismi, rebaptizandus esset.* Cuius ratio est, quia Sacramenta humano modo recipi debent; quod non fieret, si eum voluntate et intentione interna non suscipiantur. Deinde Christus Sacramenta ut media ad salutem conducentia instituit: sicuti ergo nullus nisi volens ad salutem perducitur, ita nullus nisi volens Sacramenta, ceu sanctitatis et salutis principia, recipere potest. Non obstat I. Innocentius III. in *cap. Maiores, de Bapt.* dicens: *Tunc ergo Characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obsistentem.* Et S. Thomas *in* 4. *d.* 6. *q.* 1. *a.* 2. *quaestiunc.* 3. inquit: *Intentio vel voluntas in baptizato non requiritur quasi causans deletionem culpae originalis, sed solum quasi removens prohibens, scilicet contrariam voluntatem.* Ergo sufficit in subiecto neutralitas. *Resp.* Innocentius loquitur de illis, qui ex metu Sacramenta suscipiunt, qui voluntatem efficacem et simpliciter suscipiendi Sacramentum habent, licet secundum quid et inefficaciter susceptio haec sit illis involuntaria. S. Thomas solum vult, quod intentio suscipientis non concurrat active in genere causae efficientis ad deletionem culpae

Qualis debeat esse intentio?

originalis; non vero, quod non concurrat dispositive. II. Extrema Unctio confertur etiam iam sensibus destitutis, in quibus nulla est intentio. *Resp.* In his supponitur voluntas recipiendi hoc Sacramentum, quia bonus Catholicus in vita saepe hanc voluntatem habet.

Schol. 3. Ex dictis (§ 916. Schol. 3.) apparet, quod in adulto non sufficiat intentio percipiendi mere externum ac materialem Ecclesiae ritum: non tamen requiritur, ut eum expresse tamquam verum Sacramentum intendat; sed sufficit, ut serio et ex animo generatim velit percipere id, quod facit Ecclesia.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Qui plane est invitus, vel nullam omnino habet intentionem, invalide suscipit Sacramentum: qui vero metu inductus suscipit, valide suscipit; vult enim simpliciter, licet sit illi involuntarium secundum quid: excepto Sacramento Matrimonii. 2° Qui casu comederet Hostiam consecratam, putans esse panem communem, non acciperet gratiam, nec satisfaceret praecepto Communionis Paschalis.

Intentio virtualis et interpretativa subinde sufficit. § 928. Ad validam susceptionem Sacramenti in adulto sufficit intentio virtualis; imo in Baptismo, Confirmatione, Poenitentia, et Extrema Unctione sufficit intentio interpretativa. Nam suscipiens Sacramentum habet se mere passive. Ergo sufficienter determinatur per intentionem virtualem actus praeteriti adhuc permanentis, nec per contrariam revocati. Deinde Ecclesia illis etiam, qui subita vi morbi oppressi sui amplius compotes non sunt, in quibus proinde nec actualis nec virtualis intentio adest, Sacramentum Baptismi, Poenitentiae et Extremae Unctionis confert, quando ex vita praeterita Christiana colligit, eos haec Sacramenta eatenus desiderasse, quatenus Catholico more decedere voluerunt. Ergo Ecclesia censet, in hoc casu sufficere intentionem interpretativam ad validam et fructuosam Sacramenti susceptionem.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Adulti, qui aliquando habuerunt intentionem suscipiendi Sacramenta, et hoc propositum nunquam retractarunt, etiam in somno et amentia valide Sacramenta suscipiunt. 2° Si quis ratione utens, ore tantum renuat, corde vero consentiat in Baptismum, Confirmationem et Ordinem, valide haec Sacramenta suscipit.

Fides non requiritur in subiecto. § 929. Non tamen ad valorem Sacramentorum requiritur in subiecto Fides, excepto Sacramento Poenitentiae. Nam Ecclesia ratum semper habuit Baptismum, quem haeretici legitimo ritu perceperunt. Et S. Augustinus *l.* 3. *de Bapt. c.* 14. ait: *Fieri potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, et perversam fidem.* Excipiendum tamen est Sacramentum Poenitentiae, in quo actus poenitentis, scilicet Contritio, Confessio et Satisfactio sunt materia Sacramenti, quae fidem et pietatem aliquam includunt, et praesupponunt.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Dices I. Concilium Arelatense I. *can.* 8. statuit, Afros ad Ecclesiam redeuntes denuo esse baptizandos, si interrogati non responderint Trinitatem: et Arelatense II. *can.* 27. statuit, Bonosiacos baptizatos in Trinitate, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum Chrismate, et manus impositione in Ecclesia reci-

piendos esse: ergo fides in subiecto supponitur. *Resp.* In primo Canone non est sermo de fide baptizati, sed de forma Baptismi, an non adulterata fuerit. In altero non statuitur, Bonosiacos esse rebaptizandos, sed tantum sine professione fidei per manus impositionem non esse in sinum Ecclesiae recipiendos. II. S. Augustinus *l.* 7. *de Bapt. c.* 53. ait: *Valet Baptisma receptum sine simulatione et cum aliqua fide.* S. Optatus *l.* 5. *contr. Parmen. Principalem locum Trinitas postulat, sine qua res ipsa non potest geri; hanc sequitur fides credentis.* Et S. Ambrosius *l.* 1. *de Spir. S. c.* 3. *Plenum est Baptismatis Sacramentum, si Patrem et Filium et Spiritum S. fatearis; si unum neges, totum subrues. Resp.* S. Augustinus nomine fidei intelligit voluntatem recipiendi Sacramentum seu intentionem. S. Optatus et S. Ambrosius non ad valide, sed licite et cum fructu recipiendum Sacramentum fidem requirunt: de quo sit.

Art. 2. *De requisitis ad ea recipienda cum fructu.*

§ 930. Ut vero Sacramenta non solum valide, sed etiam licite et cum fructu suscipiantur, requiruntur in subiecto praeviae ex fide et pietate dispositiones. Ita docet Tridentinum, quod *Sess.* 7. *can.* 6. definit, *Sacramenta N. L. continere gratiam, quam significant, eamque non ponentibus obicem conferre;* et *can.* 7. ait, *eam, quantum est ex parte Dei, omnibus dari.* Ergo supponit in potestate hominis esse, oblatam in Sacramentis gratiam non recipere, adeoque praevias ex fide et pietate dispositiones requiri. Cuius ratio est, quia quodlibet Sacramentum habet proprios suos effectus, ad quos producendos subiectum debet esse dispositum; cum gratia sanctificans sit forma perfectissima in ordine supernaturali, quae sicuti formae naturales dispositionem in subiecto requirit. Ad licite Sacramentum recipiendum quae dispositiones requiruntur?

§ 931. 1. Quare, ut licite et fructuose Sacramenta mortuorum, scilicet Baptismus et Poenitentia suscipiantur, praeter voluntatem illa suscipiendi, in subiecto Fides, Spes et Attritio requiruntur. De Fide patet *ad Hebr.* 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quia inquirentibus se remunerator sit.* De Spe, *Matth.* 9. *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* De Poenitentia, *Act.* 2. *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Vid. Trid. *Sess.* 6. *c.* 6. Quippe nulli datur de facto venia peccatorum sine retractatione et dolore supernaturali de peccatis a se commissis: sine fide autem non potest voluntas erigi ad spem firmam, nec ad timorem supernaturalem, adeoque nec ad dolorem. Quae dispositio requiratur?

2. Ad recipienda vero licite et cum fructu Sacramenta vivorum, praerequiritur in subiecto status gratiae. Haec enim Sacramenta primario instituta sunt ad augendam gratiam sanctificantem. Ergo per se loquendo eam in subiecto iam supponunt.

Coroll. Pract. 1° Peccat graviter peccato sacrilegii, qui aliquod Sacramentum vivorum in peccato mortali suscipit, ob gravem irreverentiam et obicem effectui Sacramentali positum. 2° Suscipiens Sacra- Resolvuntur casus.

mentum debet esse liber ab omni censura: hinc qui etiam per Contritionem constitutus in gratia susciperet Sacramentum, non remota prius censura, committeret sacrilegium; quia grave praeceptum Ecclesiae, ob reverentiam erga res sacras datum, violaret. 3° Si quis Sacramentum cum peccato veniali tantum habituali suscipit, per se loquendo nullo modo peccat; si autem cum veniali actuali, v. g. voluntaria distractione, peccat tantum venialiter, quia uberiorem Sacramenti fructum impedit.

CAP. VIII.

De Sacramentalibus, eorumque effectibus.

Sacramentalia quid? § 932. Praeter Sacramenta a Christo instituta, Ecclesia etiam instituit *Sacramentalia*, quae sunt Caeremoniae Sacrae ab Ecclesia institutae ad delenda peccata venialia.

Quod sint? *Schol.* Sex vulgo Sacramentalia numerantur, hoc versu comprehensa: *Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens*, id est: 1. *Oratio Dominica*, quae tamen improprie inter Sacramentalia numeratur, cum potius sit opus morale, quam caeremonia ab Ecclesia instituta. 2. *Aqua lustralis*, cuius usus Apostolicae institutionis esse videtur, cum prima eius institutio nullibi legatur; nam decretum Alexandri I. vel est supposititium, vel usum Aquae lustralis non primo instituit, sed institutum solum confirmat. Vid. Baronium ad an. 132. et Card. Bonam *de reb. Lit. l. 1. c.* 20. Eius meminit Theodoretus *l.* 5. *c.* 25. *hist.* et S. Hieronymus in S. Hilarione *p.* 2. *t.* 4. 3. *Eulogiae, seu panes benedicti* fidelibus distributi, quorum frequens est mentio apud Auctores 4[i] saeculi: meminit eorum S. Augustinus *l.* 2. *de pecc. mer. c.* 26. Paulinus Nolanus *ep.* 25. Concilium Laodicenum *can.* 82. in Concilio Aquisgranensi c. 64. sancitum est pro Monachis, ut Fratribus eo die non communicantibus Eulogiae per manus Sacerdotis in refectorio distribuantur. Usus earum apud Graecos hactenus viguit; cum enim consuetudo SS. Eucharistiam domum asportandi obsolevit, usus Eulogiarum, seu panis benedicti apud Graecos et Latinos substitutus est, ad compensandam utcumque SS. Eucharistiae Communionem, et fovendam fidelium unionem; qui proinde panis religiosa mente, tamquam aliquid Sacramentale sumendus est, et caute servandus, ne pereat, uti Hincmarus observat. 4. *Confessio generalis publica*, quae est ritus antiqui repraesentatio, quo publice poenitentes initio Quadragesimae e templo eiecti, in Coena Domini reconciliabantur; et perfecta poenitentia palam absolvebantur. 5. *Eleemosyna*, quae non est proprie Sacramentale, sed opus morale. 6. *Benedictio* ab Episcopis et Presbyteris impertita, quae ab ipso Apostolorum tempore descendit, et iam olim in veteri Testamento in usu fuit; imo Deus ipse *Num.* 6. Sacerdotibus formam benedicendi praescripsit, promisitque, se confirmaturum eorum benedictiones. Denique *Benedictionem cinerum* nonnulli inter Sacramentalia numerant.

Est hic ritus antiquissimus, qui iuxta Meratum *t. 1. p. 2.* ex eo descendit, quod olim publico poenitentes conspersi fuerint cinere, quao poenitentium consuetudo postea omnibus communis facta fuit: hinc Concilium Agathense *can.* 63. iubet, ut initio Quadragesimae poenitentes cinere conspergantur.

§ 933. Ex modo dictis (§ 932. Schol.) patet, Ecclesiam habere potestatem instituendi Sacramentalia, uti ex antiquissimo eorum in Ecclesia usu hic explicato apparet: et haec ipsa Sacramentalia spiritualem habent effectum, quia alias vana et superstitiosa forct eorum institutio. Porro effectus Sacramentalium alius est *communis* cum aliis caeremoniis, quod nimirum aliquid spirituale significent: sic Aqua lustralis ablutionem internam; Panis benedictus unionem charitatis; Confessio internum animi dolorem; Benedictio Sacerdotalis benedictionem a Deo datam; Cineres poenitentiam significant. Deinde adinstar aliarum caeremoniarum sunt actus meritorii, utpote a virtute Religionis imperati. Praeterea habent effectus suos *speciales*, uti patet ex usu Ecclesiae, quae in benedictione eorum speciales a Deo effectus postulat; unde ex precibus Ecclesiae obtinent vim peculiarem ad speciales effectus inducendos; quorum 1us est collatio gratiarum actualium per modum impetrationis, repraesentando Deo preces Ecclesiae in eorum benedictione fusas. 2us Remissio peccatorum venialium, de qua in Scholiis agetur. 3us Remissio poenae temporalis pro peccatis mortalibus et venialibus quoad culpam deletis adhuc debitae, applicando ex thesauro Ecclesiae satisfactionem aliquam Christi pro poena delenda; et ideo haec remissio fit per modum Indulgentiae. 4us Expulsio et cohibitio daemonis, ne noceat, tum per modum impetrationis secundum datam explicationem; tum per modum imperii ob potestatem Ecclesiae traditam a Christo, daemonibus imperandi, *Marc. ult. In nomine meo daemonia eiicient.* 5us Aliqua utilitas temporalis, v. g. sanitas, remotio mali impendentis per grandines, locustas, etc. quod Sacramentalia iterum praestant, vel per viam impetrationis, vel per modum adiurationis, quae constat tum invocatione Divinae virtutis, ut usui harum rerum assistat; tum imperio in daemones, ne noceant. Hinc quando adiurantur v. g. locustae etc. adiuratio ad illas directe non ordinatur, sed ad creaturam rationalem, v. g. daemonem, qui eas movet, ne noceat. Eodem modo benedicimus sal, panem, tum ut ob preces Ecclesiae saluti temporali prosint: tum ne daemon ad nocendum nobis iis utatur. Notant tamen Salmanticenses, horum effectuum consecutionem non esse omnino infallibilem, quia non fundatur in aliqua speciali Dei promissione, sed in communi lege de efficacia orationis, quae non semper sortitur effectum, praesertim si pro aliis fiat.

Effectus Sacramentalium.

Schol. Quaeritur hic, quomodo Sacramentalia causent remissionem peccatorum venialium. Respondetur 1° Sacramentalia non causant remissionem venialium mere obiective, seu excitative, excitando animum ad actum honestum, per quem tolluntur venialia; quia hoc modo etiam aliae res, quae non sunt Sacramentalia, v. g. Imagines,

Quomodo Sacramentalia causent remissionem venialium?

per solum aspectum excitare possunt ad pium motum detestationis venialium. 2° Sacramentalia non tollunt venialia immediate, quia non sunt forma, per quam venialia excluduntur. 3° Sacramentalia causant remissionem mediatam venialium, et quidem ex opere operato: scilicet pius et religiosus usus v. g. aquae lustralis ob efficaciam orationum Ecclesiae producit et causat gratiam actualem, per quam homo excitatur ad aliquem actum, v. g. doloris, venialibus repugnantem, per quem deinde fit immediata remissio venialium. Unde per Sacramenta et Sacramentalia diverso modo remittuntur venialia: tum quia effectus immediatus Sacramenti est gratia habitualis; Sacramentalium vero gratia actualis: tum quia Sacramentum valide susceptum infallibiliter infert remissionem peccati gratiae sanctificanti vel eius augmento oppositi: Sacramentalia vero pie suscepta producunt quidem ob efficaciam precum Ecclesiae gratiam actualem, sed quia haec immediate veniali non opponitur, sed tantum mediante aliqua operatione, ad quam voluntatem inclinat, et quae ob libertatem voluntatis omitti potest; ideo non infert infallibiliter remissionem venialium, et etiam non omnia venialia remittuntur, quia gratia illa actualis non opponitur omnibus, nisi mediante actu v. g. Charitatis, qui non semper ad destruenda omnia venialia, ob inordinatum affectum ad aliqua remanentem, se extendit. Haec sententia a Salmanticensibus probatur tum ex eo, quia Sacramentalia per viam impetrationis haec auxilia moventia ad actus, quibus venialia immediate excluduntur, ob preces Ecclesiae efficaces causare possunt: tum quia Sacramentalia aliquo modo ex opere operato remissionem venialium peccatorum causare debent; si enim ex solo opere operantis causarent, non essent melioris conditionis, quam alia non Sacramentalia, quae etiam ex opere operantis venialia delere possunt. Hinc S. Thomas 3. *p. q.* 87. *a.* 7. *ad* 3. docet: *Dicendum, quod per praedicta tolluntur quidem peccata venialia, quantum ad culpam, tum virtute alicuius satisfactionis, tum etiam virtute charitatis, cuius motus per praedicta excitatur.* Et Alexander I. in *c. Aquam, d.* 3 ait: *Aquam sale conspersam in populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur.* Item Ecclesia in benedictione Aquae lustralis orat: *Ut sit sumentibus salus mentis et corporis.* Ergo Aqua benedicta sanctificat, adeoque ex opere operato causat remissionem venialium, non immediate, sed mediate, ita ut ad usum Sacramentalium sequatur quidem infallibiliter effectus immediatus, seu gratia actualis ob efficaciam orationum Ecclesiae, quia tamen haec gratia non necessitat, sed inclinat ad operandum, et quia talis actus debet esse liber, qui proinde etiam non esse potest, et etiam aliquando actu non est; hinc remissio semper et infallibiliter non sequitur.

TRACTATUS XIV.

DE BAPTISMO.

CAP. I.

De natura, et divisione Baptismi.

§ 934. Primum inter caetera N. L. Sacramenta locum *Baptismus* obtinet (§ 905. Schol.), qui est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo: ita *Catech. Rom. p.* 2. *c.* 2. sive Sacramentum N. L. ad spiritualem hominis regenerationem a Christo institutum, per aquam tamquam materiam, in verbo, scilicet SS. Trinitatis invocatione. Baptismus quid?

Schol. 1. Baptismi nomen a graeca voce βαπτίσμα fluit, quae latine immersionem seu ablutionem significat. Quadruplex huius nominis significatio apud sacros Scriptores occurrit. *Prima* est litteralis, quo modo mersionem seu ablutionem, uti mox dictum est, significat. *Secunda* est caeremonialis seu legalis, et significat ablutiones legales, quibus Iudaei utebantur. *Tertia* est metaphorica seu figurata: unde Baptismus subinde in S. Scriptura significat ablutionem, *Luc.* 12. *v.* 50. subinde Martyrium, *Marc.* 10. *v.* 38. subinde copiosam gratiae Dei diffusionem, *Act.* 1. *v.* 5. subinde diluvium universale figuram Baptismi, 1. *Petr.* 3. *v.* 21. subinde transitum maris rubri, 1. *ad Cor.* 10. *v.* 2. *Quarta* est Sacramentalis, quam hic consideramus: et hoc modo spectatus variis nominibus in S. Scriptura exprimitur. A materia dicitur *Lavacrum; ad Eph.* 5. *v.* 26. A forma dicitur *Sigillum, Signaculum, Obsignatio fidei, Sacramentum SS. Trinitatis, et fidei*. Ab effectibus dicitur *Lavacrum regenerationis et renovationis; ad Tit.* 3. *v.* 5. *Ablutio peccatorum; Act.* 22. *v.* 16. *Vitae novitas; ad Rom.* 6. *v.* 4. *Sanctificatio;* 1. *ad Cor.* 6. *v.* 11. *Sepultura hominis cum Christo in mortem; ad Rom.* 6. *v.* 4. *Circumcisio non manufacta; ad Coloss.* 2. *v.* 11. A Caeremoniis dicitur *Vestimentum candidum* a S. Cyrillo Ieros. et *Unctio* a S. Nazianzeno. Eius nomina.

Schol. 2. Baptismus triplex est: Baptismus *sanguinis*, sive Martyrium: Baptismus *flaminis*, seu desiderium suscipiendi Baptismum: et Baptismus *fluminis*, seu aquae, qui est N. L. Sacramentum modo descriptum. Baptismus quotuplex?

Schol. 3. Protestantes varias definitiones Baptismi falso suo systemati accommodatas procudunt. Melanchton in *loc. com.* Baptismum definit, quod sit signum, quo Deus nobiscum agit, et nos in gratiam recipit. Verum haec definitio omni Sacramento, imo et verbo praedicationis convenit, et supponit, Baptismum esse nudum signum gratiae sanctificantis, non vero productivum, quod falsum est (§ 907.). Calvinus Baptismum definit, quod sit signum initiationis, quo in Ecclesiae societatem cooptamur, et inter filios Dei. Verum haec definitio finem Baptismi secundarium solum explicat, et iterum innuit, quod Baptismus non sit signum efficax. Sociniani Baptismum definiunt, Definitiones Protestantium.

quod sit publicum professionis Christianae Symbolum, quo per intinctionem in aquam homines illius Religionis initiantur. Verum e hac definitione sequitur, Baptismum esse nudam et otiosam caeremoniam ad salutem non necessariam; quod falsum esse ex dicendis patebit.

CAP. II.

De institutione et origine Baptismi.

Baptismus est verum Sacramentum.

§ 933. Baptismus est verum N. L. Sacramentum a Christo Domino institutum. Baptismus enim habet omnia ad Sacramentum N. L. requisita (§ 889). Est quippe 1° signum sensibile, seu externum a Christo institutum: *Matt.* 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eo: in nomine Patris et Filii et Spiritus S.* ubi baptizatio seu ablutio, et invocatio SS. Trinitatis est signum externum. 2° Hoc signnm habe vim productivam gratiae sanctificantis, et promissionem illius: *Ioan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* 3° Est permanenter institutum signum cum mandato illud observandi: *Matth.* 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos etc.* Ergo est verum N. L. Sacramentum.

An Baptismus ab Hebraeis acceptus sit?

Schol. 1. Spencerus, Grotius, Lightfootus et Lamindns Pritannus *de ing. moderat. l.* 3. c. 2. volunt, lustrationes et Baptismum legalem Iudaeorum ex ritibus gentilibus acceptum fuisse, et Christum antiquata Circumcisione Baptismum apud Iudaeos usitatum retinnisse, non rem novam instituendo, sed iam usitatam ad altiorem finem elevando, et salvifica gratia decorando. Verum communior est Theologorum sententia, Baptismum Christianorum ab Hebraeis originem suam non trahere. 1. Quia apud Iudaeos per Circumcisionem, non vero per Baptismum, Ethnici in foedus deducebantur; nullibi enim legitur, lustrationes fuisse olim signum foederis, nec initiationis symbolum, sed ritum, quo Pontifices, Levitae, aliique profani, leprosi ac omnes vel ob contractam immunditiam, vel ob sacrorum reverentiam utebantur. Testantur hoc ipsi Rabbini in *Gemarra* docentes, quod circumcisus licet non baptizatus pro Proselyto habendus sit; et Schicardus ex Raf-Alphes demonstrat, Baptismum a nonnullis solum Hebraeis, scilicet Samaritanis, Circumcisioni additum fuisse. Ergo non erat mysterium initiationis: et Iosephus *l.* 13. *antiquit. c.* 9. narrans, quomodo in expeditione Hircani Idumaei inter Iudaeos adsciti fuerint, solius Circumcisionis, non vero Baptismi meminit 2. Opposita Spenceri sententia non est apta ad confutandos haereticos Socinianos; et forte ab illis conficta fuit, ut persuadeant, Baptismum necessarium quidem esse ut symbolum professionis Christianae conversis a Gentilitate, non vero natis ex parentibus Christianis, sicuti non erat necessarius olim ex Hebraeis et Proselytis genitis. Non obstat 1. quod *Gen.* 35. Iacob convocata domo sua, dicat: *Abiicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini:* Hebraice והטהרו

(*Vehittaharu*) quod Abenezra de ablutione corporis interpretatur. *Resp.* Haec ablutio non fuit signum initiationis, sed facta est ob reverentiam loci, ad quem ascendendum erat, sive ob pollutionem occisorum contrectatorum. II. Maimonides in libro *Isure biab parech.* 13. scribit, triplici ritu Israelitas in foedus intrasse, Circumcisione in Ægypto, *Exod.* 12. *v.* 48. Baptismo in deserto ante datam Legem, *Exod.* 19. *v.* 10. et post datam legem, oblatione, *Exod.* 24. *v.* 5. Addit, pro masculis necessariam fuisse Circumcisionem cum Baptismo, pro foeminis Baptismum et Sacrificium. Et in Talmud Babylonico *l. Iebamoth* legitur, baptizandos tantum esse Ethnicos, nec tingendum filium Ethnicae mulieris, si gravida facta fuerit iam Proselyta. *Resp.* Maimonides aut errat, aut intelligendus est de ritu Baptismi a nonnullis Hebraeis superaddito ad distinctionem aliarum genitum, quae circumcidebantur. Talmud Babylonicum fabulis scatet, et Ethnici solum ad expiandas immunditias a Iudaeis baptizati sunt. III. Pharisaei interrogantes S. Ioannem de auctoritate sui Baptismi, de usu eius plane non dubitarunt: ergo apud eos initiationis signum erat. *Resp.* Baptizati a S. Ioanne iam in Ecclesiam Iudaeorum per Circumcisionem adsciti erant; adeoque Baptismus non erat initiationis mysterium, sed purgatio caeremonialis, de qua Pharisaei mirari non poterant, qui norant, lustrationes a Iudaeis saepissime adhiberi.

Schol. 2. Quaeritur ulterius, quo tempore Baptismus a Christo institutus fuerit. Tertullianus, S. Chrysostomus et S. Leo putant, Christum modo post Resurrectionem suam Baptismum instituisse. Alexander Alens. *p.* 4. *de Sacr. q.* 8. quem videtur sequi Canus *de loc. Theol. l.* 8. *c.* 5. docet, Baptismum quoad materiam a Christo institutum esse, quando Christus in Iordane baptizatus est: quoad formam, *Matth.* 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos, etc.* quoad finem, *Ioan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit etc.* quoad effectum, *Marc. ult. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit:* quoad efficaciam, quando de latere Christi exivit sanguis et aqua. Ita integra Baptismi institutio post mortem Christi facta fuit. Scotus vero docet, Baptismum institutum fuisse, *Ioan.* 3. quando Christus dixit: *Nisi quis renatus fuerit etc.* Probabilius est; Christum Dominum Baptismum ante passionem suam instituisse tunc, quando in Iordane baptizatus fuit. Nam 1. *Ioan.* 4. *v.* 2. baptizabant iam discipuli Christi non Baptismo Ioannis; alias nullam exinde invidiae causam sumere potuissent discipuli Ioannis, qua tamen exardescebant, *Ioan.* 3. *v.* 26. Et S. Petrus, *Ioan.* 13. dicitur lotus, et ea lotione a peccatis purgatus, quod nonnisi Baptismo Christi convenit: nec etiam Ordinationis Sacerdotalis et Communionis SS. Eucharistiae in ultima Coena sine Baptismo capaces fuissent Apostoli, uti S. Augustinus *ep.* 153. ratiocinatur: ergo Baptismus a Christo ante suam passionem institutus fuit. 2. In Baptismo Christi in Iordane materia Baptismi consecrata et sanctificata fuit, et regenerandi vi donata, uti docet S. Ambrosius *l.* 2. *in Luc. n.* 83. S. Nazianzenus *or.* 39. et S. Thomas

Quando Baptismus institutus sit?

3. *p. q.* 66. *a.* 2. Designata est etiam forma Baptismi, *Pater in voce, Filius in homine, Spiritus S. in columba,* uti notat S. Augustinus *tr.* 6. *in Ioan.* Effectus Baptismi innotuit, dum coeli aperti sunt, et Spiritus S. in specie columbae descendit: ergo Baptismus tunc institutus fuit. Non obstat I. quod modo post resurrectionem, *Matth.* 28. forma Baptismi a Christo determinata fuerit: et quod Sacramenta vim sanctificandi ex passione Christi acceperint, ex cuius latere, iuxta S. Augustinum *tr.* 15. *in Ioan.* profluxerunt. *Resp.* Forma Baptismi iam ante passionem Christi fuit instituta, et Apostolis privatim tradita, et post resurrectionem solum in publico proposita. Cum vero Sacramenta moraliter solum gratiam causent (§ 907. Schol. 3.), sufficit, quod Passio Christi tunc inchoative extiterit, et Sacramenta vim suam ab ea acceperint. Sacramenta ex Christi latere fluxerunt, quantum ad meritum et pretium persolutum, non quantum ad institutionem, et pretii applicationem; alias etiam Eucharistia modo post mortem Christi instituta fuisset. II. In Iordane Christus non sustinuit personam Legislatoris, sed peccatoris, et nihil de Baptismo praescripsit: ergo eum non instituit. *Resp.* Christus sustinens personam peccatoris simul Legislator fuit: sic etiam in Cruce poenam peccatorum perferens, tamquam Legislator antiquam Legem abrogavit, dicendo: *Consummatum est.* Et Baptismi designavit materiam et formam in Iordane, adeoque in actu signato instituit. III. Immediate post colloquium cum Nicodemo Christus, eiusque Apostoli baptizarunt. *Resp.* Apostoli nonnisi post institutum in Iordane Baptismum baptizarunt.

CAP. III.

De materia Baptismi remota.

Materia remota Baptismi.

§ 936. Materia remota Baptismi necessaria, est omnis et sola aqua naturalis. Probatur hoc 1° ex S. Scriptura: *Ioan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. non potest introire in regnum Dei. Matth.* 28. *v.* 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos etc.* Intelligi autem hic aquam naturalem, constat ex *Act.* 8. *v.* 36. ubi Eunuchus Philippo dixit: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Et descenderunt uterque in aquam et baptizavit eum.* 2° Constat ex perpetua Traditione et praxi Ecclesiae, quae semper illos ut haereticos damnavit, qui aquam in Baptismo non adhibuerunt, et Baptismum in alio liquore, quam in aqua collatum semper reiecit. Sic Gregorius IX. reprobavit Baptismum in cerevisia collatum, apud Raynal. a. 1241. Innocentius III. Baptismum cum conspersione salivae factum. Eumdem cum arena collatum ex Dionysio Alexand. apud Niceph. *l.* 3. *hist. c.* 37. Merito proinde Florentinum ait: *Materia huius Sacramenti est aqua vera et naturalis.* Et Trident. *Sess.* 7. *can.* 2. *Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa D. I. C. Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.* 3° Varias

huius institutionis congruentias PP. afferunt: Tertullianus *l. de Bapt. c.* 2. quia Deus ad Sacramentum maximo necessarium obviam materiam eligere voluit. Ambrosiaster *in c.* 6. *Ep. ad Rom.* ut sicuti aqua sordes corporis, ita per Baptismum peccata abluantur. Alias congruentias vide apud Estium *d.* 3.

Schol. Aquam in Baptismo reiecerunt Ascodrutae et Archontici, **Solvuntur obiectiones.** et Caiani, teste S. Irenaeo *l.* 1. *c.* 18. Item Quintilliani a Quintilla foemina, seu Pepuziani a vico Pepusa dicti, teste Tertulliano *de Bapt. c.* 1. Item Manichaei, aquam a malo principio productam esse putantes, et Pauliciani, teste Euthymio *p.* 2. *Panopliae c.* 21. et nonnulli Waldenses, teste Ebrardo *c.* 2. Ignem pro materia Baptismi, ex pravo intellectu illius textus *Matth.* 3. *Ille vos baptizabit in Spiritu S. et igni*, adhibebant Hermiani, umbilicos infantium comburentes, teste Philastrio in *catal. haeres.* Cathari, teste Egberto Bunnensi *Serm.* 8. *t.* 23. *Bibl. PP.* Copti etiam ignitas cruces brachiis inurunt. Flagellantes saeculo 13° exorti dicebant, unumquemque per proprium sanguinem flagellis e corpore expressum baptizari debere. Alii haeretici in necessitate unumquemque liquorem pro Baptismo sufficere credebant. Circa an. 751. nonnulli in solo vino baptizabant: et in Norwegia aliqui in defectu aquae, in cerevisia baptizabant. Marcosii, secta Gnosticorum, teste S. Epiphanio *haer.* 34. oleum aqua temperatum, et nonnulli, teste Egberto Ep. Eboracensi *c.* 42. aquam vino mixtam in Baptismo adhibebant. Rationes pro reiectione aquae in Baptismo sunt: I. Quia S. Ioannes Baptista opponit suum Baptismum Christi Baptismo in eo, quod suus sit in aqua: *Ego baptizavi vos aqua,* adeoque corporalis: Baptismus vero Christi in Spiritu S. *Ille autem baptizabit vos in Spiritu S.* adeoque spiritualis. *Resp.* Hic solum denotatur differentia inter effectum Baptismi Christi et Ioannis, non vero inter materiam utriusque. II. Verba illa *Ioan.* 3. 5. *Ex aqua et Spiritu S.* idem sonant acex spiritu aqueo; nam in Graeco legitur: ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος *ex aqua et Spiritu;* alias aqua aeque ac Spiritus S. forent materia Baptismi; ac Christus ibi redarguit Nicodemum, quod ignoraret, hominem denuo nasci posse; quod immerito illi obiecisset, si de aqua naturali intelligi vellet. *Resp.* Si quis per spiritum aqueum intelligere velit Spiritus S. energiam, non erit contra nos; secus vero, si de spirituali Baptismo tantum, qui est merum figmentum. Spiritus S. pro causa efficiente primaria gratiae, vel pro gratia velut effectu Baptismi, non vero pro materia, assignatur. Nicodemus Christi sententiam de renascentia corporali intellexit, cum de spirituali intelligendam esse, ex S. Scriptura facile nosse potuisset. III. *Matth.* 3. *v.* 11. dicitur: *Ipse vos baptizabit in Spiritu S. et igni*: ergo ignis est materia Baptismi. *Resp.* Textum hunc interpretatur communis praxis Ecclesiae, non in igne, sed aqua semper baptizantis: sumitur ergo ignis metaphorice pro virtute Spiritus S. vel si litteraliter sumere velis, referendum est, aut ad missionem Spiritus S. super Apostolos in Pentecoste in

linguis igneis, aut ad postremam mundi conflagrationem et purgationem. Vid. S. Chrysostom. *hom.* 11. *in Matth.*

Aqua debet esse benedicta. § 937. Licet autem sola aqua sit materia remota ad valorem Baptismi sufficiens, ex praecepto tamen Ecclesiae aqua solemniter benedicta ad Baptismum bene adhibetur. Est quippe haec benedictio antiquissima, utpote cuius mentio fit in *Const. Apost. l.* 7. a S. Basilio *de Spir. S. c.* 27. qui eam repetit a Traditione Apostolica, S. Cypriano *ep.* 70. S. Ambrosio *l.* 1. *de Sacr. c.* 5. et S. Augustino *Serm.* 352. Vid. Marteue *de ant. rit.* Patet item ex praxi Ecclesiae vetustissima, de qua testantur vetera Graecorum Euchologia apud Goarium *p.* 353. Ordo Baptismi, qui tribuitur Severo Alexandrino *t.* 4. *Bibl. PP.* et *Sacramentarium* S. Gregorii. Miracula etiam nonnulla hanc benedictionem comprobarunt, quae videri possunt apud Gretserum *l.* 2. *de Bened.*

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Materia Baptismi invalida est vinum etiam lymphatum, succus ex fructibus expressus, lac, oleum, mel, sanguis, urina, lachrymae, saliva, sudor, atramentum, lixivium valde densum, cerevisia, iusculum seu offa valdo densa: quod si tamen valde tenuiter cocta sit, putat Layman, eam in necessitate adhiberi posse, et si de nimia decoctione dubitetur, Baptismus sub conditione repeti debet. 2° Materiae dubiae sunt, aqua ex sale resoluta, liquor ex putatis vitibus aut incisis arboribus defluens, aqua rosacea, cerevisia valde tenuis, atramentum valde tenue, lixivium multis cineribus non permixtum, aqua aliquo vino permixta. 3° Mutatio aquae accidentalis non officit valori Baptismi: hinc valet Baptismus in aqua frigida, calida, sulphurata, ferruginea, ex glacie, nive vel pruina resoluta. 4° Peccat graviter, qui, cum possit habere aquam naturalem elementarem, adhibet dubiam; quia Sacramentum exponit periculo nullitatis: in articulo tamen mortis in defectu materiae certo validae debet adhiberi dubia sub conditione, *si sit sufficiens*, ad quod etiam tenuis probabilitas de valore sufficit; quia in hoc periculo salnti proximi consulendum est, in quantum fieri potest: si antem periculum evaserit, Baptismus sub conditione: *si non es baptizatus*, repetendus est. 5° Graviter peccat, qui in Baptismo sine necessitate utitur aqua faetulenta, et in Baptismo solemni non adhibet aquam benedictam, cui, si in fonte deficere incipiat, alia non benedicta in minori tamen quantitate admisceri potest. Si omnino defecerit vel effluxerit, nova benedicenda est, iuxta formulam in Agenda praescriptam.

Art. 1. *De materia proxima.*

Materia proxima Baptismi. § 938. Materia proxima Baptismi est immersio in aquam sive trina, sive unica, vel ablutio aut aspersio unius ex praecipuis corporis partibus per aquam. 1° De immersione constat tum ex ipsa litterali significatione Baptismi, qui tinctionem, immersionem et lotionem significat: tum ab exemplo Christi, qui ipse a S. Ioanne per immersionem baptizatus fuit: tum ex longo usu Ecclesiae tum Grae-

cae, cuius testes sunt S. Iustinus *apol.* 2. S. Cyrillus Ieros. *Catech.* 2. S. Basilius *l. de Spir. S. c.* 27. S. Chrysostomus *hom.* 6. *in Ep. ad Col.* tum Latinae, cuius testes sunt Tertullianus *contr. Prax. c.* 26. S. Cyprianus *ep.* 76. S. Ambrosius *l.* 2. *de Sacr. c.* 6. S. Hieronymus *contr. Lucif.* S. Gregorius M. *l.* 1. *ep.* 45. Ordo Romanus, Alcuinus; Walafridus, S. Thomas 3. *p. q.* 66. *a.* 7. 2° De ablutione seu infusione aut aspersione exempla habemus apud antiquos, quos refert Martene *de ant. rit.* Sic S. Laurentius S. Romanum militem aqua ex urceo effusa baptizans depingitur in agro Verano. Mabillonius in *Itin. Ital. p.* 73. refert duas sibi donatas a Ciampino cuiusdam tumuli prope Neapolim reperti figuras, ubi Baptismus repraesentatur per immersionem hominibus in pelvi existentibus, et per superinfusionem collatus. Imo collatum Baptismum infusione aquae, baptizato extra pelvim existente, probat alter Sarcophagus a Ciampino *t.* 2. *vet. mon.* productus. Clinicos, id est, decumbentes in lecto infusione baptizatos esse, patet ex *ep.* 76. S. Cypriani. Confessores item in carcere vix alio modo, quam infusione baptizari poterant. S. Paulus *Act.* 16. custodem carceris, et S. Petrus in carcere Mamertino S. Processum et S. Martinianum cum quaterdenis militibus sola infusione baptizasse aqua divinitus e saxo erumpente, videtur. Acta S. Gratiani, S. Bacchi, et S. Ludgeri infusionis in Baptismo meminerunt: et *Act.* 2. *v.* 41. et 4. *v.* 4. uno die tria, et altero quinque millia hominum a S. Petro vix alio modo quam per aspersionem baptizari potuisse videntur, maxime cum infusio et aspersio etiam sit modus abluendi. 3° Unica immersione Baptismum iam collatum fuisse certum est, saeculo enim 6° nonnullae Hispaniae Ecclesiae in odium Arianorum tres immersiones adhibentium pro asserendis tribus naturis in Divinis, unicam immersionem usurpaverunt; quem ritum S. Gregorius M. *ep.* 45. approbavit.

Schol. 1. Ritum in trina hac immersione observatum refert P. Martene *de ant. rit. l.* 1. Baptizandi ad Baptisteria, quae fons, concha, piscina, balneum dicebantur, in Ecclesia erecta accedebant, quae suas aptas officinas habebant, et subinde ad fores Ecclesiae constituta et erecta erant. Ante immersionem baptizandi in porticu versus Occidentem conversi protensa manu Satanae renuntiabant. Tum depositis vestibus toto corpore nudi servato debito pudore intra velum circa Baptisterium extensum in aquam descendebant, et a ministris apposita manu vel supra caput, aut humeros, vel infra scapulas sustentati, ter in aquam immergebantur; quo in munere in adultis vel ab eorum patrinis adiuvabantur, vel infantes manibus totos in aquam immergebant, et levabant, pronunciata interim ad immersiones Baptismi forma. Deinde baptizatus e sacro fonte exibat, et suscipiebatur a patrinis vel Diaconis, si vir esset, foeminae vero a Diaconissis, qui nudos egredientes velo, Sabanum dicto, obvolvebant, et sic veste candida deinde induebantur. Ritus immersionis.

Schol. 2. Graeci Schismatici contendunt, immersionem, et quidem Solvuntur

obiectiones. etiam trinam, esse omnino necessariam ad Baptismum, ut adeo per infusionem vel aspersionem valide Baptismus non possit conferri. Unde Marcus Ephesinus soluto iam Concilio Florentino in *ep. Encycl.* arguit Orientales, quod foedus cum Latinis ineundo duo Baptismata admiserint; et ideo Graeci a Latinis baptizatos iterum baptizare ausi fuerunt. Argumenta eorum sunt: I. Quia Baptismus ex etymo suo significat immersionem: Christus ipse per immersionem baptizatus fuit: et Apostoli per immersionem baptizarunt, uti patet *Act.* 8. de Eunucho. *Resp.* Baptismus apud Iudaeos quamlibet ablutionem significat, *Marc.* 7. *v.* 3. ubi lotio lectorum vocatur Baptismus, nec tamen lecti per immersionem abluebantur. Christus quidem et Apostoli immersionem adhibuerunt; sed illa nullibi tamquam ad valorem Baptismi necessaria praecepta fuit. II. Baptismus significat mortem et resurrectionem Christi, *ad Rom.* 6. quod non fit nisi per immersionem; unde usque ad saeculum XIII. in Ecclesia Latina, et hodie adhuc in Graeca per immersionem celebratur. *Resp.* Mors et resurrectio Christi per infusionem satis exprimitur, qua significatur peccati destructio, ceu mors spiritualis, et gratiae sanctificantis infusio, ceu resurrectio. Deinde ex dictis in hoc § patet, immersionem non ita adhibitam fuisse, ut infusio et aspersio censerentur esse invalidae. III. Cornelius Papa et cum eo Synodus Romana in *ep. ad Fabium* improbavit Baptismum Novatiano in lecto decumbenti per infusionem datum: et de eodem Baptismo dubitavit Magnus apud S. Cyprianum, et ipse S. Cyprianus liberum unicuique relinquit, quid de eo sentire velit. *Resp.* Hic Baptismus irritus declaratus non est, cum Novatianus rebaptizatus non fuerit; sed ideo improbatus fuit, quia contra Canones factus, post adeptam sanitatem sine suppletione reliquarum caeremoniarum, et omissa consignatione ab Episcopo facienda, Novatianus ad Sacerdotium promotus fuit contra Canonem 12 Synodi Nicaenae prohibentem, baptizatos in lecto in Clerum assumi. Magnus de hoc Baptismo dubitans a S. Cypriano correctus fuit, qui ideo solum libertatem sentiendi cuique reliquit, quia res needum ab Ecclesia definita erat; unde etiam censuit, sententiae contrariae patronos baptizatos in lecto rebaptizari debere. IV. *Can.* 5. *Apost.* deponitur Presbyter, qui per unam immersionem baptizavit: et Glossa in *can.* 7. Conc. Constantin. I. observat, baptizatos per unicam immersionem rebaptizari debere. *Resp. Canon.* 5. *Apost.* Baptismum illum non tamquam invalidum, sed illicitum reiicit: vel ideo quia nonnulli non baptizabant in nomine SS. Trinitatis, et ideo unicam immersionem adhibebant. Similiter Canon 7. Constantinopolitanus Baptismum Eunomianorum in forma Baptismi peccantium reiicit, uti notat Theodoretus *l. haer. fab.* V. S. Chrysostomus *de fide* ait, Christum in tribus mersionibus aquae Baptismum discipulis tradidisse: et Pelagius II. *can. Multi*, *d.* 4. *de consecrat.* ac Theodoretus *l.* 4. *haer. fab. c.* 3. hoc a Domino praeceptum esse dicunt, ut SS. Trinitas significetur. *Resp.* S. Chrysostomus non dicit, hanc traditionem ad va-

lorem esse praeceptam. Pelagius Baptismum Bonosianorum, et Theodoretus Eunomianorum formam adulterantium reiicit: sufficit autem SS. Trinitatem in forma Baptismi exprimi.

Coroll. Pract. 1° Licet Baptismus per immersionem, infusionem, et aspersionem trinam vel unicam valide conferatur; in praxi tamen excepto casu necessitatis, ut licite fiat, cuiuscumque Ecclesiae consuetudo observanda est. 2° Si quis in necessitate per aspersionem baptizaret, deberet tantum aquae aspergere ad frontem, ut ab una ad alteram partem deflueret, ut ita fieret vera ablutio. 3° Valet Baptismus, si quis in necessitate digito aqua lustrali madefacto infantem signo Crucis signet, vel strophiolo aqua madefacto eius frontem cum debita prolatione formae abluat: glacies vero, nix, et pruina nondum resoluta, quia non sunt proxime apta ad abluendum, non sunt materia valida Baptismi. 4° Minister infantem in puteum proiiciens, adiecta verborum forma cum intentione conferendi Baptismum, valide baptizat, quia omnia essentialia ponit: hoc tamen non licet, ne quidem in casu, quo infans a Tyranno occidendus alio modo baptizari non posset, quia esset directa occisio innocentis. 5° Ablui debet pars corporis principalis, uti caput: hinc infans in matris utero ita latitans, ut nulla eius pars aqua perfundi queat, baptizari non potest. An autem saltem per siphunculum baptizari valeat, cum res necdum sit definita, hinc obstetrices eum saltem sub conditione baptizare possunt, licet deinde ex utero egressus sub conditione rebaptizandus foret. 6° Si infans caput ex utero emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. Si aliud membrum, v. g. manum vel pedem emiserit, quod vitalem motum indicet, in illa urgente necessitate baptizetur, et si vivus evaserit, erit sub conditione baptizandus: *Si non es baptizatus, ego te baptizo etc.* Si vero ita baptizatus mortuus ex utero prodierit, debet in loco sacro sepeliri. Vid. Benedict. XIV. *de Syn. l. 7. c.* 5. Si mater praegnans morta fuerit, foetus quamprimum caute extrahatur, et si vivus fuerit, baptizetur, si mortuus in loco sacro, vel in eodem cum matre sepulchro sepeliri non debet. 7° Baptismus infanti secundinis involuto collatus, vel si soli capilli et non caro abluatur, dubius est, et sub conditione repetendus; unde in praxi curandum, ut aqua per frontem et scapulas defluat. 8° Non licet occidere matrem, certa etiam eius morte instante, ut salvetur per Baptismum proles in utero latens, licet ipsa mater consentiat, quia non est domina vitae suae: secus foret, si ex consilio medicorum sectio salva matris vita fieri posset: mater tamen legitime ad mortem damnata et ad mortem aegrota, servato iuris ordine, pro Baptismo prolis secari posset.

Resolvuntur casus.

CAP. IV.

De forma Baptismi.

Forma Baptismi in Ecclesia Latina.

§ 939. 1. Forma Baptismi in Ecclesia Latina legitima, et antiquissima haec est: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. Amen*. Ita patet 1° ex S. Scriptura, *Matth*. 28. *v*. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.* Ita etiam statuit Eugenius in decreto: Tridentinum *Sess*. 7. *can*. 4. Rituale Gregorii XIII. *p*. 14. et S. Pii V. *p*. 18. Accedit consensus omnium Ecclesiarum Occidentalium. Illa utitur Ecclesia Gallicana, Hispana etc. uti ex antiquissimis earum Ritualibus patet: habetur in *Sacramentario* S. Gregorii *t*. 3. *p*. 73. in Ordine Rom. *t*. 13. *Bibl*. *P*. *P*. etc. Ergo est legitima et antiquissima. 2° Invocationem SS. Trium Personarum in forma Baptismi semper expressam fuisse, ex mox dicendis apparebit. Verba autem illa, *te baptizo* exprimentia semper adhibita fuisse, et ad valorem Baptismi requiri, patet tum ex definitione Alexandri III. *c*. *Si quis, de Bapt*. et damnatione Alexandri VIII. qui hanc propositionem 27. proscripsit: *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: In nomine P. et F. et S. S. praetermissis illis: Ego te baptizo:* tum ex perpetua Traditione, quae constat ex Ritualibus Graecorum, Syrorum, Ægyptiorum et Latinorum ab Arcudio, Amalario etc. laudatis, et a Mabillonio, Martene, Thomasio, et Goario recensitis: nam in 24. Ordinibus baptizandi vetustissimis apud Martene *de ant. rit. l*. 1. *c*. 1. *a*. 18. ubique legitur verbum *baptizo*, vel *baptizatur,* uno Manuscripto Cameracensi, 300. abhinc annis exarato, excepto.

2. Forma vero baptizandi antiqua et valida apud Graecos haec est: *Baptizatur servus*, vel *serva Dei N. in nomine Patris et Filii*, *et Spiritus S*. Antiquitas huius formae patet ex Theodoro *l*. 2. *Collect*. Ioanne Moscho in *Prato spir*. *c*. 176. et ex omnibus Graecorum Ritualibus. Dicunt autem Graeci in passivo, *Baptizatur*, tum quia etiam S. Scriptura passivo utitur: *Ego a te debeo baptizari*, et ut modestia baptizantis nil sibi de primario ministerio arrogantis denotetur, uti vult Gabriel Philadelphi, *Ep*. 1. *de Sacr*. tum ut nonnullorum Graecorum errori cum Corinthiis Schismaticis dicentibus: *Ego sum Pauli, ego sum Cephae etc*. occurratur; uti vult Arcudius *l*. 1. *de Bapt*. *c*. 8. Validam vero esse hanc Graecorum formam decernit Eugenius IV. *in Decr*. Leo X. in Bulla, *Accepimus*, a. 1521. et Clemens VII. in Bulla, *Provisionis nostrae*, a. 1530. et ratio est, quia a forma Latinorum substantialiter non differt; persona enim baptizans per me, vel a me facile subintelligitur.

3. Verba autem formae ex institutione Christi inter baptizandum pronuntianda sunt. Ita docet praxis totius Ecclesiae. *Act*. 19 *v*. 2. cum S. Paulus interogasset discipulos, an Spiritum S. accepissent; et illi respondissent: *Neque si Spiritus S. est, audivimus*: statim subiunxit S. Paulus: *In quo ergo baptizati estis!* quae interrogatio sup-

ponit, formam Baptismi verbis prolatam fuisse. Testantur idem omnes PP. Tertullianus *de Bapt. c.* 2. ait: *Inter pauca verba tinctus.* S. Basilius *l. de Spir. S. c.* 12. *Fides perficitur per Baptismum, Baptismus vero fundamento fidei nititur, et utraque res per has voces impletur.* S. Augustinus *l.* 6. *de Bapt. c.* 25. *Certa sunt Evangelica verba, sine quibus non potest consecrari Baptismus.*

Schol. 1. Formam Baptismi olim adulterarunt nonnulli, qui iuxta *can.* 48. *Apost.* baptizabant in nomine trium principii expertium, vel trium Filiorum, vel trium Paracletorum; quam formam Vigilius P. a 538. denuo proscripsit. Gnostici, teste S. Irenaeo *l.* 1. *c.* 21. hac forma utebantur: In nomine ignoti Patris universorum, in veritate matre omnium, in eo, qui in Iesum descendit, in unione, et redemptione, et communione virtutum. Nonnulli etiam Ariani formam Baptismi variarunt: nam Theodorus *l.* 2. *collectan.* ait, sub Anastasio Imperatore Deuterium Episcopum Arianum quemdam nomine Barbam baptizasse sub hac forma: Baptizetur Barbas in nomen Patris per Filium in Spiritu S. Item Brunechildem Atanahildi Gothorum Regis filiam uxorem Sigeberti in Galliis rebaptizatam esse, scribit Aimonius *l.* 3. *Hist. Franc. c.* 4. quod argumento est, Gothos Arianos legitimam formam non observasse. Omnes tamen Ariani in forma Baptismi non peccarunt, uti constat ex eo, quod Concilium Nicaenum solos Paulianistas iubeat rebaptizari, et ex S. Gregorio M. qui *ep.* 67. affirmat, Arianos in nomine SS. Trinitatis baptizari. Eunomiani et Aetiani hac forma perversa in Baptismo utebantur, teste S. Epiphanio *haer.* 76. In nomine Dei increati, et in nomine Filii creati, et in nomine Spiritus sanctificantis, et a creato Filio procreati. Bonosiacos et Cataphryges in Trinitatis nomine non baptizatos esse, scribit S. Gregorius M. *ep.* 76. non tamen constat, qua forma usi fuerint: eos tamen aliquando in nomine SS. Trinitatis baptizasse, constat ex *can.* 2. Concilii Arelatensis II. ubi iubentur interrogari, an sub invocatione SS. Trinitatis baptizati sint, quod etiam de Afris Novatianis, Donatistis et Sabellianis statuit Concilium Arelatense I. Et S. Basilius in *ep. ad Amphiloc.* de Montanistis seu Cataphrygibus testatur, quod in Patrem, Filium, et Montanum seu Priscillam baptizaverint. Denique Paulianistae et Photiniani formam Baptismi corrumpebant, uti colligitur ex *can.* 7. Concilii Constantin; I. Duodecimo Ecclesiae saeculo quaestio mota fuit, an valeat Baptismus, si in forma actio baptizantis, sive verbum, *baptizo*, aut aliud aequivalens omitteretur. Petrus Pontius ex Abbate Claravallensi Episcopus Claromontanus consuluit de hac re Episcopum Parisiensem, et Stephanum Episcopum Tornacensem. Mauritius Episcopus Parisiensis hunc Baptismum reiecit: Stephanus Tornacensis ratum habuit: Pontius rem ad Alexandrum III. detulit, qui eam diremit, et Baptismum nullum esse definivit.

Haeretici formam adulterantes.

Schol. 2. Forma Graecorum est enuntiativa, *Baptizatur*, non vero deprecativa, *Baptizetur*, uti patet ex Arcudio *l.* 1. *Conc. c.* 8. Goar. in *not. ad Euchologium Graecorum p.* 363. Morino *l.* 8. *de poen.* et

Forma Graecorum.

Martene *de ant. rit. l.* 1. *c.* 14. Et qnidem Euchologium formam ita exprimit: Baptizatur servus Dei in nomine P. et F. et S. S. nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen. Alia Ritualia hanc praescribunt: Baptizatur servus Dei in nomine Patris, Amen: et Filii, Amen: et Spiritus S. Amen. Formulae Iacobitarum et Maronitarum ab his parum differunt, de quibus Naironus in *Euoplia Cath. fid. p.* 2. *c.* 2.

An forma verbo tenus exprimenda? *Schol.* 3. Sociniani nullam pro Baptismo verborum formam a Christo praescriptam esse volunt, sed baptizari in nomine P. et F. et S. S. esse in fide Patris et Filii et Spiritus S. quod etiam Vossius *diss.* 2. *de Baptismo* probare contendit. I. Quia verba illa *Matth.* 28. *In nomine P. et F. et S. S.* connectenda sunt cum illis: *Docete omnes gentes,* et verba illa: *Baptizantes eos,* intra parenthesim poni debent, ita ut sensns sit: baptizantes docete, quid sit P. F. et S. S. et ita discipulos facite. *Resp.* Haec interpretatio plane est arbitraria, et nullo fundamento innixa, adeoque frivola. II. Verba illa olim ore prolata non fuerunt: nam S. Ambrosius *l.* 2. *de Bapt.* c. 7. ait: *Interrogatus es: credis in Deum Patrem omnipotentem? dixisti: credo, et mersisti etc.* Ergo mersio verborum vicem supplere potest. Unde in libro *Sacramentorum* Gelasii legitur: *Et cum interrogas, per singulas vices mergis eum tertio in aquam,* ubi nulla mentio formae fit. *Resp.* S. Ambrosius insinuat interrogationes in Baptismo fieri solitas, quibus olim trinae mersiones respondebant, non ordine celebrandi, sed intentione celebrantium. In *Sacramentario* Gelasii in vetustissimo codice Regio, et Noviomensi apud Martene *de ant. rit. p.* 174. additur forma expressa: *Baptizo te in nomine, etc.*

An Apostoli in nomine Christi tantum baptizarint? *Schol.* 4. S. Thomas 3. *p. q.* 66. *a.* 6. putat, Apostolos olim ex dispensatione ad maiorem nominis Christi commendationem, in solo Christi nomine sine expressa invocatione SS. Trinitatis baptizasse. Verum communior hodie est Theologorum sententia, ab Apostolis Baptismum in solo Christi nomine sine expressa invocatione SS. Trinitatis collatum non fuisse. 1. Quia Christns invocationem explicitam SS. Trinitatis *Matth.* 28. expresse praecepit, a quo mandato recedendi, et in eo dispensandi nulla urgebat Apostolos necessitas; siquidem celebritas nominis Iesu Christi et eius Divinitas, baptizatis ex praemisso Catechismo, Infidelibus vero et Iudaeis per praedicationem sofficienter intimabatur, nec hodie haec ratio dispensandi in Baptismo Infidelium cessaret, qui tamen in solo Christi nomine non confertur. 19. *Act.* 2. S. Paulus quosdam discipulos interrogavit: *Si Spiritum S. accepistis credentes?* qui responderunt: *Sed neque si Spiritus S. est, audivimus.* Et Apostolus reposuit: *In quo ergo baptizati estis?* Cuius interrogationis alia causa esse non poterat, nisi quod Baptismus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus S. collatus fuerit; si enim in solo nomine Christi datus fuisset, illi Spiritum S. ignorare potuissent: neque enim dici potest, hos discipnlos Spiritum S. ex Catechismo Baptismum praecedente nosse potuisse: siquidem hoc vi-

deatur esse contra interrogationem S. Pauli, qui non ex Catechismo, sed ex ipsa forma Baptismi vult discere veritatem Baptismi horum discipulorum: dum enim quaerit: *In quo baptizatis estis?* idem sonat: in quo Baptismo, non vero; in quo Catechismo baptizati estis? hinc in Graeco legitur: *εἰστὶ οὖν ἐβαπτίσθητε*, *in quid*, sive, uti S. Chrysostomus legit, *in quem*, sivo, uti S. Ambrosius vult, *in quo Baptismo baptizati estis?* cui concordat discipulorum responsio: *In Ioannis Baptismate.* Sane si adversarii putent, baptizari in nomine Christi idem esse, ac invocato nomine Christi, per ly *in* denotari potest, in cuius invocatione baptizati estis? 3. Sententiae nostrae subscribunt Patres. Ita enim expresse hoc probat S. Cyprianus *ep.* 73. *ad Iubaian.* S. Basilius *l. de Spir. S. c.* 12. cuius titulus est: *Adversus eos, qui dicunt, sufficere Baptisma tantum in nomine Domini.* S. Augustinus *l.* 2. *contr. Maximin.* dicit: *Ex eo, quod S. Scriptura asserit, nonnullos in nomine Christi baptizatos esse, non licet inferre, eos in solo Christi nomine baptizatos fuisse, non appellato nomine Patris et Filii et Spiritus S.* Et S. Damasc. *l.* 4. *de fid. orthod.* ait, baptizari in nomine Christi non esse idem, ac baptizari invocato solo nomino Christi, sed credentes in eum ablui. Non obstat I. quod in S. Scriptura Apostoli dicantur baptizasse in nomine Iesu, *Act.* 2. *v.* 28. 8. *v.* 12. 10. *v.* 48. 19. *v.* 5. Quam sententiam etiam tenet Catechismus Romanus. *Resp.* Dicuntur baptizasse in nomine Iesu, id est, virtute, efficacia, et merito Christi: vel Baptismo a Christo instituto; unde *Act.* 19. Baptismus Christi Baptismo Ioannis opponitur: vel ritu Baptismi baptizatos ad Christianam Religionem esse assumptos. Catechismus Romanus nostram sententiam potiorem habet, et S. Ambrosii et S. Basilii auctoritate niti asserit. II. S. Cyprianus *ep.* 73. ait: *Mandatum illud: Docete omnes gentes etc. spectat ad Gentiles solum, non vero ad Iudaeos.* Et S. Hilar. *l. de Syn. n.* 85. ait. *Apostoli tantum in Iesu nomine baptizaverunt. Resp.* S. Cyprianus loquitur de publica professione fidei a baptizando praestanda, quae a Iudaeis in Christum, quem Deum esse negabant, a gentibus in Deum Unum in essentia et Trinum in Personis postulabatur: certe nomine gentium *Matth. ult.* totus mundus, uti vertit Persica, vel omnes generationes, uti legit Æthiopica versio, intelligitur. S. Hilarius vult, Apostolos solum in virtute et auctoritate Christi baptizasse, et SS. Trinitatem expresse nominasse, quia alias citata S. Scripturae loca cum illo *Matth. ult.* conciliari non possent; sicuti si Filius non dicatur Patri consubstantialis, loca ab Arianis ad hanc vocem abolendam citata cum aliis conciliari non possunt.

An valeat Baptismus in solo nomine Christi collatus?

Schol. 5. Magister Sententiarum *l.* 4. *d.* 3. et Caietanus *q.* 66. docent, bodie adhuc validum fore Baptismum in solo Christi nomine collatum, sine explicita invocatione trium Divinarum Personarum. Expuncta quidem fuit iussu Pii V. haec sententia e Commentariis Caietani: verum illa adhuc legitur in operibus Hadriani VI. quae a. 1522. eo Pontificatum tenente et sciente, Romae edita fuerunt. Ni-

hilominus haec opinio in margine *l.* 4. *d.* 3. Magistri Sent. notatur ut erronea: et ideo Theologi communiter docent, invalidum esse Baptismum sine expressa invocatione SS. Trinitatis collatum. 1. Quia Christus *Matth. ult.* Apostolis expresse praecepit, ut baptizarent in nomine P. et F. et S. S. 2. Concilium Arelatense I. *can.* 8. Afros: Nicaenum *c.* 19. Paulianistas rebaptizari iussit, quia in nomine P. et F. et S. S. non baptizati erant: et nullum Rituale reperitur, quod formam Baptismi sine expressione Patris et Filii et Spiritus S. non referat. 3. S. Ambrosius *de Myst. c.* 4. ait, *Nisi baptizatus fuerit in nomine P. et F. et S. S. remissionem non potest accipere peccatorum.* S. Basilius *t.* 2. *p.* 170. ait: *In Baptismo separare Spiritum a Patre et Filio . . . inutile est Baptismum accipienti.* S. Augustinus *l.* 6. *de Bapt. c.* 25. *Certa illa Evangelica verba, sine quibus non potest Baptismus consecrari.* Quare etiam Summi Pontifices iusserunt, iterari Baptismum sine expressa invocatione SS. Trinitatis collatum. Dices I. S. Stephanus P. teste S. Cypriano *ep.* 73. *ad Iubai.* Marcionitas non esse rebaptizandos statuit, eo quod in nomine Iesu baptizari videantur. Et Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum respondit, ratum esse Baptismum collatum sive in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi. *Resp.* S. Stephanus Baptismum in solo nomine Christi collatum ratum non habuit, uti S. Firmilianus in *ep. ad S. Cypr.* testatur; et S. Cyprianus decreto S. Stephani stimulatus verborum Stephani sensum non ita exacte expendit. Nicolaus ut Doctor privatus censuit, valere Baptismum in solo Christi nomine collatum. II. S. Ambrosius *l.* 1. *de Spir. S.* ait: *Rationem sequamur, quia, qui unum dixerit, Trinitatem signavit.* Et S. Bernardus *ep. ad Henric. Aurel.* interrogatus, quid sentiendum de Baptismo sub hac forma collato: Baptizo te in nomine Dei, et verae S. Crucis, respondet: *Ego verum hunc Baptismum puto, nec sonum vocis veritati fidei, et pietati intentionis praeiudicare potuisse. Resp.* S. Ambrosius solum vult, baptizandum, ad obtinendum Baptismi effectum, debere credere Mysterium SS. Trinitatis, cuius fidem satis exprimit, si ad interrogata respondeat, quod credat in Patrem, vel Filium, vel Spiritum S. quia nominando unam Personam satis intelligitur, alias credere. S. Bernardus privatam suam sententiam saniorum iudicio reliquit.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Invalidae sunt hae formae Baptismi: *Ego te baptizo in P. et F. et S. S.* vel: *Ego te baptizo cum P. et F. et S. S.* vel: *in nominibus P. et F. et S. S.* 2° Formae dubiae sunt: *Baptizo te in nomine Patris: baptizo te in nomine Filii: baptizo te in nomine Spiritus S.* quia non satis unitas essentiae exprimitur. Item haec: *Baptizo te in nomine Genitoris, et Geniti, et Procedentis ab utroque*, ob dissidium Theologorum, quia haec nomina tantum actus notionales exprimunt. Invalida vero est haec forma: *Ego te baptizo in nomine Patris:* vel: *in nomine Christi:* vel: *in nomine S. Trinitatis* (Schol. 5.). 3° Valet Baptismus, si in forma omittatur ly *Ego;* si

forma in vulgari idiomate proferatur; si verba transponantur, v. g. *Te ego baptizo, etc.* Si vero fiat transpositio in Divinis Personis ex animo haeretico, forma corrumpitur; si ex negligentia, Baptismus sub conditione iterandus foret. Item valet Baptismus, si quis loco *baptizo,* diceret, *tingo, abluo, mergo,* quia sunt synonima. Si quis vero plures simul baptizaret, dicere deberet: *Ego vos baptizo.* Denique particula *et* omissa non invalidat Baptismum, quia ipsa vocabula *Patris, etc.* distinctionem Personarum satis indicant.

CAP. V.

De Ministro Baptismi ordinario.

§ 940. Minister Baptismi ordinarius et ex officio est Episcopus et Presbyter: Episcopus quidem primarius, qui solus primis Ecclesiae saeculis Baptismum solemniter administrabat: Presbyter vero secundarius, et ex licentia Episcopi: 1° De Episcopo patet ex eo, quod Christus Apostolis, eorumque successoribus Episcopis dixerit, *Matth.* 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos etc.* Et S. Petrus *Act.* 2. *v.* 41. tria millia hominum baptizasse legitur. Hinc S. Hieronymus *contr. Lucifer.* ait: *Sine Episcopi iussione neque Presbyter neque Diaconus ius habet baptizandi.* Imo olim soli Episcopi solemniter celebrarunt Baptismum; nam uti notat Martene *de ant. rit. l.* 1. *c.* 1. et Benedictus XIV. in *Notificat.* 1. et Concilium Tolet. a. 694. unicum solum Baptisterium in unaquaque civitate prope Cathedralem Ecclesiam erat: et Clerus Edessenus in *ep. ad Photium* rogat, ut Ibas ad sedem suam remittatur, quia eius praesentia propter baptizandos erat necessaria. Item S. Gregorius M. *ep.* 32. *ad Roman.* scribit, ne in urbe Ravenna detineat Blondum Hortensem Episcopum, ne infantes absque Baptismo morerentur: ubi notant Patres Maurini, *quia Baptismi ordinarius minister est Episcopus.* Et ideo hodie adhuc Florentiae, Pisis, Parmae, Patavii, Bononiae, in solis Baptisteriis Ecclesiae Cathedralis infantes baptizari solent. Nihilominus tamen etiam primis temporibus Presbyteri baptizantibus Episcopis astiterunt, et simul cum eis, de eorum tamen licentia, baptizarunt. 2° Presbyteros esse ministros Baptismi ordinarios, liquet ex *Constit. Apost. l.* 3. *c.* 11. *Permittimus baptizare solos Episcopos ac Presbyteros.* Innocentius I. *ep. ad Decentium: Presbyteri seu extra Episcopum, seu praesente Episcopo baptizant.* Et Florentinum *in Decr.* ait: *Minister huius Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.* Esse vero Presbyterum ministrum Baptismi secundarium cum dependentia ab Episcopo, docet S. Ignatius *ep. ad Smyrn. Non est licitum sine Episcopo baptizare.* Et S. Ambrosius *l.* 3. *de Sacr. c.* 1. *Licet enim Presbyteri fecerint, tamen exordium ministerii est a summo Sacerdote.* Idem docet S. Hieronymus paullo ante citatus.

Minister Baptismi.

Schol. 1. Triplex est minister Baptismi: 1us *Ordinarius* ex officio, qui iure Ordinationis suae, et acceptae a Christo potestatis bapti-

Minister quae triplex?

zandi auctoritatem habet: 2us *Extraordinarius* seu ex delegatione, cui ad sacras functiones ordinato licentia baptizandi a Superiore concedi potest: 3us *Ex necessitate*, qui urgente periculo mortis in defectu alterius ministri ordinarii baptizare potest. Item administratio Baptismi duplex est: *Solemnis*, cum omnibus praescriptis ab Ecclesia caeremoniis, quae olim certis tantum temporibus fieri solebat: et *Privata*, quae exigente necessitate, quolibet tempore etiam sine caeremoniis fieri potest.

Schol. 2. Marcion, teste S. Epiphanio *haer.* 42. Pepuziani et Collyridiani, eodem teste *haer.* 49. et 79. mulieribus Baptismum solemniter administrandi potestatem concesserunt, ex eo, quod S. Paulus S. Theclae hanc potestatem etiam concesserit. Verum hoc meram fabulam esse, notat Tertullianus *de Bapt. c.* 17. Hanc mulierum temeritatem repressit Concilium Carthaginense IV. *c.* 100. Alii in ministro fidem et probitatem requirentes ad valorem, refutati sunt (§ 921. 922.).

Coroll. Pract. 1° Nemo seipsum valide baptizare potest, *c. Debitum, de Bapt.* ubi Innocentius III. statuit, rebaptizandum esse Iudaeum, qui in periculo mortis seipsum immergendo in aquam baptizavit. 2° Minister tantum unicus in Baptismo esse debet, et si plures simul baptizent, ita ut unus effundat aquam, et alter pronuntiet formam, nullus est Baptismus. 3° Si duo simul abluant, et proferant formam, et quilibet habeat intentionem baptizandi independenter ab alio, si unus citius formam absolvat, ille solus validum Baptismum confert. Si ambo simul absolvant, probabiliter adhuc unicus et validus est Baptismus, quia singuli applicant omnia ad Sacramentum necessaria, et unius actio alterius actionem non impedit, nec cum ea pugnat. Si vero plures simul baptizent cum intentione baptizandi dependenter a concursu simul baptizantium tamquam causarum partialium, dicendo v. g. *nos te baptizamus*, Baptismus, utpote contra institutionem collatus, est invalidus. 4° Ordinarie quidem licitum non est, ut unus plures simul baptizet: nihilominus in casu necessitatis posset quis valide et licite etiam per aspersionem plures simul baptizare, dicendo: *Ego vos baptizo etc.* 5° Extra necessitatem non licet cuivis Sacerdoti baptizare, sed soli Sacerdoti proprio, qui est Papa respectu totius Ecclesiae; Episcopus respectu suae dioecesis; et Parochus respectu suae Parochiae; quia collatio Baptismi est actus alicuius iurisdictionis Pastoralis, quae soli proprio Pastori competit, nisi alteri hoc committat: et ideo graviter peccant parentes, si prolem suam Parocho alieno sine licentia proprii baptizandam offerant. 6° Peregrina pariens in alieno pago potest Baptismum prolis petere vel a Parocho loci, vel eam ad proprium Parochum, si vicinus sit, transmittere. Vagi possunt eligere locum Baptismi, quem volunt, quia ad nullam Parochiam spectant. 7° Religiosus peregrinus, aut in aliquo loco subsistens peccat graviter, si extra casum necessitatis sine licentia illius Parochi baptizet. 8° Non licet, per se loquendo, prolem baptizandam deferre ad mini-

strum haereticum, tum quia hoc modo quis profiteretur, haereticum esse legitimum ministrum: tum quia sic communicaretur cum haeretico in Sacris: tum quia sic quis cooperaretur haeretico extra casum necessitatis indigne Sacramentum ministranti. Neque hoc licet, quando Catholici parentes sub gravissimis poenis adiguntur, ut prolem suam baptizandam ad Praedicantem deferant; quia per tale edictum poenale determinantur parentes ad veram Religionem contemnendam, refertque Pignatellus, Clementem VIII. iam declarasse, non licere extra necessitatem extremam, ne a Schismaticis quidem petere Sacramenta. Nihilominus de hoc casu adhuc dubitare videtur La Croix, quia in hoc casu petens Baptismum ab haeretico nihil aliud profitetur, quam quod haereticus Praedicans sit validus minister Baptismi, et in hoc casu necessitatis liceat ei prolem baptizandam offerre. Quod si mater Catholica in hoc casu advertat, se esse partui vicinam, conferat se, si tamen possit, ad locum Catholicum, ubi pariat, et prolem Catholico ritu Baptismo ablui curet: si domum redux sub gravi poena obligetur, ut nomen infantis a Praedicante libro Baptismali inscribi petat, hoc facere potest, quia sic non profitetur in Praedicante potestatem spiritualem, sed tantum cautelam adhibet, ut suo tempore testimonium suscepti Baptismi obtinere possit.

Art. 1. *De Ministro extraordinario.*

§ 941. Praeter Episcopum et Presbyterum, etiam Diaconus ex Episcopi vel proprii Sacerdotis commissione Baptismum solemniter administrare potest. Nam 1° *Act.* 8. legimus, Philippum Diaconum baptizasse Eunuchum Reginae Æthiopum. Hoc etiam permittitur Diacono in Concilio Illiberitano *can.* 77. Et in Pontificali S. Gregorii in Ordinatione Diaconi legitur: *Diaconum oportet ministrare ad Altare, baptizare et praedicare.* Et ex Ordine Romano constat, Diaconos ob multitudinem ad Baptismum confluentium baptizasse: uti observat Hallier *de Hier. Eccl. l.* 3. *a.* 3. 2° Diaconi ad hoc ordinantur, ut sint ministri Sacerdotum: ergo valde convenienter committuntur illis officia Sacerdotalia, quorum capaces esse possunt, cuiusmodi sunt praedicare et baptizare. Diaconi solemniter baptizare possunt.

Schol. Ludovicus Cellotius docet, Diaconum esse ordinarium Baptismi ministrum, cui ex officio competat, eum administrare. Verum communis est Theologorum sententia, Diaconum esse extraordinarium Baptismi ministrum, et ex delegatione tantum, non vero ex officio. Nam 1. Tertullianus *l. de Bapt. c.* 17. et S. Hieronymus *dial. adv. Lucif.* docent, Diaconis absque Episcoporum iussione potestatem baptizandi non esse. *Const. Apost. l.* 8. c. 28. statuunt: *Diaconus non baptizet.* 2. Ita definit c. *Diaconos*, *d.* 93. *Diaconi absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant* etc. c. *Constat*, *d.* 4. *de cons.* dicitur: *Constat, Baptisma solis Sacerdotibus esse tractandum, eiusque ministerium nec ipsis Diaconis explere est licitum absque Episcopo vel Presbytero.* Accedit Catechismus Romanus *p.* 2. et S. Tho- An sint ministri ordinarii?

mas 3. *p. q.* 67. *a.* 1. *Ad Diaconos non pertinet aliquod Sacramentum principaliter et quasi ex proprio officio praebere.* Non obstat I. quod Philippus Diaconus baptizaverit; et Diaconi aliquando Parochias rexerint: et iuxta *c. Fures, de furtis*, Poenitentiam dederint. *Resp.* Philippo, et aliis Diaconis Parochias regentibus munus baptizandi ab Episcopis vel Presbyteris commissum fuit. Diaconi nullam unquam Sacramentaliter absolverunt, sed ex commissione eos tantum receperunt, qui solemnis Poenitentiae gradus expleverunt: uti notat Albaspinaeus *observ.* 27. *l.* II. In Ordinatione Diaconi dicit Episcopus: *Diaconum oportet ministrare ad Altare, baptizare, praedicare.* Et Diaconatus spectat ad Hierarchiam Ecclesiasticam; adeoque Diaconi ex institutione Divina principantur, et sic ex officio baptizare possunt. *Resp.* Diaconi baptizare et principare possunt, sed supposita delegatione et commissione Episcopi vel Presbyteri. Quod si ergo Diaconus sine delegatione solemniter baptizet, fit irregularis, *c.* 1. *de Clerico non ordinato, etc.*

Art. 2. *De Ministro necessitatis.*

In necessitate qui vis baptizare potest. § 942. In casu necessitatis quilibet homo laicus vir vel foemina, fidelis vel infidelis absque solemni ritu Baptismum valide et licite administrare potest. Nam 1° ita definiunt Concilia. Concilium Eliberitanum *can.* 38. probat Baptismum a laico datum. Lateranense IV. *c. Firmiter, de sum. Trin.* ait: *Sacramentum Baptismi a quocumque rite collatum proficit ad salutem.* Conc. Florent. in *Instr. Armen.* ait: *In casu autem necessitatis non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus et haereticus baptizare possunt.* Et Nicolaus I. *d.* 4. *de cons.* docet, ratum esse Baptismum collatum a quodam Iudaeo vel Pagano. 2° Ita docent PP. Tertullianus *l. de Bapt. c.* 17. *Baptismus aeque Dei census est, ab omnibus exerceri potest, sufficiat in necessitatibus, ut utaris, sicubi aut loci aut temporis aut personae conditio compellit.* S. Hieronymus *adv. Lucif. Si necessitas cogit, scimus etiam licere laicis baptizare.* Et S. Augustinus *l.* 7. *de Bapt. c.* 53. generatim affirmat, valere Baptismum, ubicumque et a quocumque verbis Evangelicis collatum. 3° Ratio a S. Thoma petitur ex necessitate Baptismi, cuius idcirco materiam Deus voluit esse elementum aquae omnibus obvium; et consequenter etiam ministrum eius in necessitate quemcumque hominem constituit.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Calvinus *l.* 4. *Inst. c.* 15. fatetur quidem, Baptismum olim a laicis in necessitate collatum fuisse, sed hoc factum nulla ratione defendi posse. Quia tamen Calvinus non expressit, an talis Baptismus sit invalidus, vel an etiam sit illicitus; hinc etiam eius sequaces inter se non consentiunt. Witaker *de Bapt. c.* 3. putat solum esse illicitum: Vossius vero *disp.* 10. *de Bapt.* invalidum esse censet, si ab Infideli seu Gentili conferatur. Item apud Graecos Schismaticos, teste Arcudio *c.* 11. *de Bapt.* contra morem antiquum hodie usus invaluit, non baptizandi parvulos absente Sacerdote, licet in extremo vitae pe-

riculo sint constituti. Rationes sunt: I. Christus solis Apostolis mandatum baptizandi dedit. Item Concilium Carthaginense IV. *c.* 100. prohibet, mulierem baptizare. Eliberitanum *c.* 38. vult, ut in necessitate fidelis solum et non bigamus baptizet. Et Conc. Compendiense statuit, ut baptizati a Presbytero non baptizato rebaptizentur. *Resp.* Apostoli ordinarii solum ministri Baptismi a Christo instituti sunt ex officio, non exclusis laicis, qui in necessitate etiam licite baptizare possunt. Conc. Carthag. excipit casum necessitatis, dum addit: *Nisi necessitate cogente.* Sensus Canonis Eliberitani est, in necessitate, quando plures adsunt laici, ad baptizandum eum esse eligendum, qui fidelis sit, nec inter poenitentes recensitus, nec bigamus: si tamen talis non adesset, alium baptizare posse. Canon Compendiensis corruptus est, et ideo emendator Decreti Gratiani expunxit haec verba: *et omnes, quos baptizavit,* tamquam imperite adiecta. II. Tertullianus *l. de Virg. vel.* ait: *Non permittitur mulieri in Ecclesia . . . tingere.* Et S. Augustinus *l.* 2. *contr. ep. Parmen. c.* 13. ait: *Etsi laicus necessitate compulsus Baptismum dederit, nescio an pie quisquam dixerit, Baptismum esse repetendum.* S. Cyprianus et Firmilianus eodem modo Baptismum haereticorum et laicorum reiecerunt, teste S. Basilio in *ep. ad Amphil.* ubi ait: *Veteres eodem plane loco habuerunt Baptismum haereticorum et laicorum; idcirco eos velut a laicis baptizatos iusserunt, ad Ecclesiam venientes vero Baptismo expurgari.* Et S. Hieronymus *dial. adv. Lucif.* probat, Arianum Sacerdotem cum suis honoribus esse recipiendum ex eo, quod a laicis baptizati rebaptizentur, non vero baptizati ab Ariano Sacerdote: et *ibid.* ait: *Novam rem asseris, ut Christianus quisquam factus sit ab eo, qui non fuit Christianus.* Ubi saltem Baptismum a Pagano collatum reiicit. *Resp.* Tertullianus a publico solum ministerio Baptismi mulieres excludit. S. Augustinus iuxta D. Tournely circa Baptismum ab Infideli collatum aliquando dubius fuit; sed postea *l.* 7. *de Bapt. c.* 53. absolute docuit, eum ratum esse, a quibuscumque Evangelicis verbis conferatur. S. Cyprianus et Firmilianus Baptismum haereticorum et laicorum aeque reiecerunt; sed haec sententia postea in Concilio plenario saltem consequenter damnata fuit, quia invaliditas Baptismi haereticorum, quam illi defendebant, nullitati Baptismi a laicis collati innitebatur. S. Basilius errorem S. Cypriani sequebatur, qui tamen in citata epistola liberum cuique relinquit, sequi Ecclesiae suae Traditionem in suscipiendo vel reiiciendo haereticorum Baptismo. S. Hieronymus ibi argumentatur, non ex sua, sed ex Luciferianorum sententia, ut argumentum ad hominem faciat. Et in altero loco solum vult, quod rectam fidem nemo ab haeretico discere possit; non vero, quod Baptismum recipere nequeat. III. Gregorius III. *c. Quos, d.* 4. *de consecr.* ait: *Quos a Paganis baptizatos esse asseruisti, ut denuo baptizes in nomine SS. Trinitatis, mandamus. Resp.* Gregorius de iis Paganis loquitur, qui non servarunt formam a Christo praescriptam.

Coroll. Pract. 1° Si plures adsint, dum quis in necessitate bapti- Resolvun-

I in casu. zandus est, hic ordo servari debet: si adsit Sacerdos, praeferendus est in Baptismo Diacono, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, vir foeminae, nisi pudoris gratia deceat, foeminam potius, quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi foemina melius nosset formam: quapropter curare debet Parochus, ut fideles, praesertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant. Addunt nonnulli, praeferendum esse non excommunicatum excommunicato, Catholicum haeretico; baptizatum non baptizato. 2° Si quis inferior praesente Sacerdote vel Diacono in casu necessitatis baptizet, peccat graviter. Circa alios vero inferiores Clericos, item virum et foeminam non videtur esse plus quam culpa venialis, si debitus ordo non servetur; imo nulla culpa erit, si causa iusta subsit, v. g. quia in casu necessitatis obstetrix melius scit modum baptizandi, vel virum non decet accedere ad prolem non omnino ex utero genitam: peccat tamen graviter, qui praesente fideli baptizato, non baptizatum, infidelem vel haereticum ad Baptismum assumit. 3° Praesente Sacerdote excommunicato praeferendi sunt alii inferiores Clerici, et in eorum defectu etiam laici in casu necessitatis. Parenti etiam prohibetur baptizare propriam prolem, praeterquam in articulo mortis, quando alius non reperitur; unde illi, si fieri possit, praeferenda est etiam mulier. Item quando infans needum totaliter ex utero egressus est, mulier etiam Parocho ob honestatem in baptizando praeferri debet.

CAP. VI.

De subiecto Baptismi.

Subiectum Baptismi. § 943. Omnes homines filii Adae sunt subiectum capax Baptismi. Nam 1° Christus, *Matth.* 28. dicit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos etc.* et hoc semper observavit universa Ecclesia, quae neminem petentem Baptismum unquam reiecit: de Gentilibus etiam in infirmitate petentibus, patet ex Siricio *ep.* 1. De Catechumenis in periculo mortis constitutis, constat ex Conc. Carthagin. III. *c.* 34. etc. 2° Ratio est: Universalis est Christi redemptio (t. 1. § 327.), et in Adam omnes moriuntur (t. 1. § 267.). Ergo ad expiandum originale peccatum Baptismus pro omnibus institutus est.

An B. V. baptizata sit? *Schol.* Etiam Beatissima Virgo Maria, licet originalem labem non contraxerit, baptizari tamen potuit, quia effectus Baptismi etiam est initiatio et cooptatio in Ecclesiam Christi; unde etiam et quidem verosimiliter ab ipso Christo baptizata fuit.

An mortui baptizari possint? § 944. Subiectum Baptismi capax est solus homo vivus; unde nec mortui, nec vivi pro mortuis baptizari possunt. Ita 1° habetur in Codice Canonum Ecclesiae Africanae *c.* 18. *Ne mortuos homines baptizari faciat Presbyterorum ignavia.* Et in Conc. Chartag. *c.* 6. idem statuitur. Sane mortui sunt extra statum viae: ergo nullius Sacramenti capaces (§ 926.). 2° Nec pro mortuis vivi baptizari possunt, tum quia ille solus et idem renasci debet ex aqua et Spiritu, qui na-

tus est ex carne: tum quia defuncto sine Baptismo, utpote in Ecclesiam non recepto, nil prodesse possunt suffragia viventium, cum quibus ille membrum eiusdem corporis non est.

Schol. Cataphryges seu Montanistae, teste Philastrio, *haer.* 49. et Archontici, teste Theodoreto *haer. fab. l.* 1. *c.* 2. mortuos etiam baptizabant. Cerinthiani vero et Marcionitae, teste S. Epiphanio *haer.* 28. vivos pro mortuis baptizabant: et Marcionitae, ac Manichaei, narrante Hermonopulo *l. de Sect.* c. 2. quoties apud eos aliquis sine Baptismo moritur, sub lectulo defuncti virum vivum occultant, et mortuum interrogant, an baptizari velit; tunc occultatus sub lecto respondet: volo: et deinde hunc vivum loco defuncti baptizant. Quare haeretici hoc fecerint, difficile est divinare: videtur tamen hic abusus descendisse ex pravo intellectu verborum S. Pauli 1. *ad Cor.* 15. *v.* 29. *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid et baptizantur pro illis?* Verum licet haec verba multum torqueant Interpretes, quorum novem explicationes affert Estius *in Ep. S. Pauli;* probabilior tamen videtur esse D. Calmet sententia, in *diss. de Bapt. pro mortuis*, S. Paulum ex consuetudine nonnullorum vivos pro mortuis baptizantium probare resurrectionem mortuorum, non approbando hanc consuetudinem, sed ex ea argumentum ad hominem pro fide resurrectionis ducendo. Haeretici rebaptizantur?

§ 945. Non solum autem mortui, sed etiam infantes in utero matris penitus adhuc occlusi ante aperitionem partus, Baptismi non sunt capaces. Ita statuitur *c. Si ad matris, de cons. d.* 4. desumpto ex S. Augustino *l.* 6. *contr. Iul. c.* 14. et c. 115. *d.* 4. ex S. Isidoro accepto: *Qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest.* Ratio est, tum quia in hoc casu corpus infantis aqua ablui non potest, quod tamen ad Baptismum essentialiter requiritur (§ 938.): tum quia mater pro infante baptizari non potest, cum infans non sit pars matris, sed propria ac distincta persona. Infans in utero matris baptizari nequit.

ART. 1. *De Baptismo infantium.*

§ 946. Infantes vero nati, sunt Baptismi capaces. 1° Quia in S. Scriptura traditur praeceptum Baptismi universale, *Matth. ult. Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Et *Ioan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. non potest introire in regnum Dei:* comminatio est generalis, nulla facta exceptione infantium; ex quo sequitur, omnes capaces regni coelorum esse etiam capaces Baptismi: sed infantes sunt capaces regni coelorum. quia Christus ipse, *Matth.* 19. *v.* 14. dicit: *Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum coelorum:* ubi veri parvuli, et non solum humiles intelliguntur, quos parentes ad benedicendum Christo offerebant, et quidem parvuli rationis usu adhuc destituti, quia a S. Luca c. 18. βρέφω, infantes *in cunis*, et *a parentibus portati* προσέφερον vocantur. Deinde *Act.* 16. Lydia Purpuraria cum omni domo sua, et 1. *ad Cor.* 16. *v.* 15. Stephanae domus baptizata esse dicitur, inter Infantes sunt Baptismi capaces.

quas infantes non fuisse vix probabile est. Certe parvuli contrahunt peccatum originale (t. 1. § 267). Ergo spiritualis regenerationis, effectus Baptismi, *ad Tit.* 3. *v.* 5. etiam capaces sunt. 2° Probatur ex Traditione. Conc. Carthaginense a. 418. anathema dicit illis, qui parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negant. Idem statuerunt Concilia, Milevitanum a. 416. c. 2. Bracearense a. 578. et Tridentinum *Sess.* 7. c. 13. *Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut praestare omittere eorum Baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae; anathema sit.* Vide *Summam* Conc. *Carranz.* a me emendatam. Idem docent Patres: S. Irenaeus *l.* 2. *adv. haer. c.* 39. *Omnes per eum* (Baptismum) *renascuntur in Deum, infantes et parvuli.* Origenes *in c.* 6. *Ep. ad Rom. Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulis dare Baptismum.* S. Augustinus *l.* 1. *de pecc. mer. c.* 26. *Parvulos baptizandos esse concedunt Pelagiani, qui contra auctoritatem universae Ecclesiae procul dubio per Dominum et Apostolos traditam venire non possunt.*

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Waldenses, teste Ermenegardo: Apostolici, teste S. Bernardo *Serm.* 66. *in Cant.* Petrobusiani, teste Potro Cluniacensi: Abailardus et Petrus de Brixia, uti patet ex Conc. Later. sub Innocentio II. *can.* 23. Cathari, teste Ekberto Monacho: et denique Anabaptistae, duce Nicolao Pelargo vel Storkio, Baptismum parvulis nihil prodesse docent. I. Quia Baptismum praecedere debet fides, *Matth.* 28. *Act.* 8. *Marci ult.* imo etiam poenitentia, *Act.* 15. cuius infantes non sunt capaces. *Resp.* Fides et poenitentia solum in adultis praerequiritur ad Baptismum (t. 1. § 374.). Infantibus sufficit fides Ecclesiae, et in adultis requiritur poenitentia ob peccata actualia, quorum infantes non sunt capaces; originale enim non est materia poenitentiae. II. Eucharistia non datur infantibus: ergo nec Baptismus dandus est, maxime quia sunt increduli. *Resp.* Olim etiam SS. Eucharistia parvulis data fuit, quam disciplinam deinde mutavit Ecclesia, quia SS. Eucharistia solis adultis est necessaria, Baptismus etiam parvulis, qui regeneratione necessario indigent ob contractum peccatum originale, non vero reparatione virium per alimentum spirituale post lapsus quotidianos, quorum non sunt capaces. Deinde infantes non sunt increduli positive, sed tantum negative, id est, non habent fidem actu, quam supplet fides Ecclesiae, per quam fidem suam profitentur.

Expedit infantes baptizare. § 947. Infantes non tantum capaces sunt Baptismi (§ 946), sed etiam expedit eos baptizare, uti patet ex definitione Concilii Tridentini citata, addendo etiam Canonem 14, ubi dicitur: *Si quis dixerit, huiusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim poena ad Christianam vitam cogendos, nisi*

ut ab Eucharistia aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit. Ratio autem petitur, 1. Ex aeternae damnationis periculo, cui parvuli non baptizati forent subiecti. 2. Ex *ep.* S. Cypriani *ad Fidum*, quod nempe omnes sive infantes, sive maiores possint habere eamdem Divini muneris largitatem. 3. Ne occasionem capiat improbitas, merito infans sanctificatur, et ab unguiculis Spiritui consecratur. Ita S. Naz. *or.* 40.

Schol. 1. Erasmus, in *ep. Paraphr. in Matth.* praefixa, videtur velle, non expedire, ut parvuli baptizentur, nec eos, si adulta aetate Baptismum suum ratum non habuerint, ad vitam Christianam esse cogendos. Nam I. Veteres olim hoc expedire non putarunt? ita censuit Tertullianus *de Bapt. c.* 18 et S. Gregorius Naz. non urgente periculo parvulos non esse ante triennium baptizandos voluit, *or.* 40. *Resp.* Hi patres fuerunt quidem contrariae sententiae, sed quoad hoc a tota Ecclesia deserti sunt. II. Æquum videtur, ut imitemur exemplum Christi, qui modo an. 30 ad Baptismum venit. *Resp.* Christus Baptismo non indiguit, et eum tunc solum instituere voluit, cum praedicationem suam auspicaretur. III. Multi olim praeclari viri Baptismum ad graudaevam aetatem distulerunt, uti S. Ambrosius, S Paulinus, Constantinus M. etc. *Resp.* Particularia facta in exemplum trahi non debent: nonnulli Baptismum distulerunt, ut voluptatibus liberius indulgerent, quos semper reprobavit Ecclesia: alii, ut melius se disponerent ad illum, quorum pietas laudata fuit, consilium vero non semper approbatum; unde si in lecto propter infirmitatem baptizandi erant, iuxta D. Tournely ad SS. Ordines inepti habebantur.

Solvuntur obiectiones.

Schol. 2. Licitum non est baptizare infantes Infidelium, invitis eorum parentibus, si civiliter solum Principi sint subiecti; tum quia nihil tale nec Principes, nec Pontifices unquam attentarunt, quod tamen Christiani hi imperantes non omisissent, si licitum esse iudicassent: tum quia si hos infantes baptizare liceret, consequenter eripiendi essent e potestate parentum, ut Christiane educarentur, et sic violaretur ius naturae, quod habent parentes in proles suas, ne iisdem spolientur; quod si vero in eorum potestate relinquerentur, manifestum foret et contemptus Sacramenti, et subversionis prolium periculum. Non obstat quod obiicit Scotus, I. quod Deo Baptismum praecipienti magis, quam hominibus obediendum sit: hinc Mathatias *l.* 1. *Machab. c.* 2. capto Anthioco iussit circumcidi omnes pueros in finibus Israel, inter quos erant filii alienigenarum, etiam invitis parentibus, uti ait Tirinus. *Resp.* Deus non praecepit, ut violato iure naturae parentibus invitis filii eorum baptizentur. Praeceptum Mathatiae erat solum pro Iudaeis, uti observat Estius: imo etiam filii Gentilium iusto bello capti et mancipia facti licite baptizari poterant. II. Infideles, nolentes baptizari filios suos, abutuntur iure suo: ergo illo privari possunt, sicut si vellent eos occidere. *Resp.* Parentes solum abutuntur iure suo contra debitum religionis, non vero contra debitum iustitiae naturalis; quoad religionem vero Infideles nulli

An Infidelium proles invitis parentibus sint baptizandae.

adhuc subiiciuntur, ex quo etiam patet, cur iure suo privari possint, si vellent filios suos occidere, ubi contra debitum iustitiae naturalis agunt. III. Parentes non habent ius impediendi Baptismum, et eorum filii serviliter Principi subiecti illis invitis baptizari possunt: ergo etiam si civiliter subsint, quia est potior ratio iuris Divini, quam iuris gentium. *Resp.* Parentes non habent ius directe in Baptismum; habent tamen indirecte, quatenus non possunt illis eripi sui infantes. Deinde non quocumque iure gentium licitum est baptizare infantes invitis parentibus, sed illo tantum, quo a potestate parentum subtrahuntur, id est, quando fiunt mancipia, ubi etiam ius Divinum hunc Baptismum approbat; nam in hoc casu a patria potestate abstrahi, vendi, et pro libitu domini applicari possunt, et in fide Catholica instrui.

An adulti ad fidem et Baptismum sint cogendi? *Schol.* 3. Infideles etiam adulti vi, armis, minis et terroribus ad suscipiendam fidem et Baptismum compelli non debent. Non enim Christus misit Apostolos, ut armata manu praedicarent Evangelium, sed velut agnos inter lupos, et ut in patientia possiderent animas suas: et hac regula semper usa est Ecclesia. Unde Conc. Toletan. IV. c. 56. statuit, ne Iudaeo ad fidem amplectendam vis inferatur. Item fides debet esse voluntaria: ergo etiam Baptismus, ad quem in adultis fides requiritur. Cum igitur ad fidem internam nemo cogi possit, nec ad Baptismum cogi debet, quem sine fide interna sacrilege susciperet. Obiiciunt Scotus et Launoius *diss. de vet. more baptiz.* I. Sisebutus Hispaniae Rex Iudaeos vi ad Baptismum coegit, et ideo laudatur in Concilio Tolet. IV. *can.* 55. quod statuit, ut Iudaei, qui fidem Christianam vi vel necessitate susceperunt, eam tenere cogantur. Et *l.* 3. *Visigoth. l.* 12. *t.* 3. Iudaei sub poena exilii compelluntur, ut filios suos baptizandos ad Sacerdotes mittant: quod idem statuit Chintillanus Rex, uti constat ex *can.* 3. Conc. Tolet. VI. *Resp.* Sisebuti factum Concilium Toletanum non approbat, uti ex mox dictis constat; vocat vero Religiosissimum Principem ob zelum Religionis, et ob alias bonas leges ab eo latas: vult autem, ut ad retinendam fidem cogantur, quia Baptismus ex metu susceptus fuit illis simpliciter voluntarius. Lex Visigothorum praecipit, ut Iudaei, qui noluerunt subire exilii poenam, promittentes, se potius suscepturos Baptismum, statutam poenam subeant: et forte de Iudaeis iam baptizatis loquitur. II. Carolus M. circa an. 804. Saxones et Hunnos vi ad Baptismum compulit, quod factum approbavit Hadrianus I. uti refert Alcuinus. Item Chilpericus, teste Gregorio Turon. *t.* 6. *hist. Franc.* multos Iudaeos baptizari iussit. Et Dagobertus Rex S. Amando Episcopo Traiectensi litteras concessit, ut Infideles Gandavenses ad Baptismum cogeret. *Resp.* Carolus M. a 776. Saxones rebellantes in ditionem suam redegit, et teste Alcuino *ep.* 7. apud Duchesne, non ad fidem vi coegit; sed cura et benignitate sua ad eam convertit; unde non Alcuinus, sed Malmesburiensis, qui tamen hic fidem non meretur, contrarium asseruit. Proximo anno Saxones in Synodo Paderbonensi iurarunt, se servaturos Christianam fidem sub poena amit-

tendi bona sua: sed anno 795 iterum a Carolo defecerunt, et paullo post denuo se illi subiecerunt cum Hunnis; qui etiam Baptismum susceperunt. Ita Ado, Regino, ecc. Iure ergo Carolus Saxones et Hunnos ad retinendam Christianam Religionem compulit, quam libere susceperunt. Chilperici factum reprobat S. Gregorius Turon. c. 17. dicens, hoc modo baptizatos corpore tantum et non mente fuisse. S. Amandus data sibi potestate usus non est, et neminem baptizavit, nisi credentem, et praedicatione Evangelii ab errore revocatum, uti testantur Acta eius apud Bollandum. III. Reges possunt subditos suos a cultu idolorum vi prohibere. Ergo etiam ad Baptismum cogere. *Resp.* Disparitas est, quod dispar cultus publicus externus Religionis subditos ad discordias provocat, quos in pace continere officium Principis est: ad Baptismum vero vi cogere non potest subditos, quia hic liber esse debet, nec ex eo omisso turbae sequuntur.

Coroll. Pract. 1° Subiectum Baptismi est omnis homo (§ 943.), viator (§ 944), et vivens, et nondum baptizatus, ac in lucem editus (§ 945.), etiam infans (§ 946.). 2° In monstris baptizandis magna cautio adhibenda est, de quo, si opus fuerit, Ordinarius, vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum immineat. Si monstrum humanam speciem non praeseferat, baptizari non debet: si vero dubium sit, baptizetur sub conditione: *Si tu es homo, ego te baptizo, etc.* Si dubitetur, an monstrum sit una persona, aut duae, non baptizetur, donec hoc discernatur: discerni autem potest, si habeat unum aut duo capita, unum vel plura pectora: tunc enim totidem erunt corda et animae hominesque distincti, et tunc singuli seorsim sunt baptizandi; et si periculum mortis immineat, tempusque non suppetat, ut singuli separatim baptizentur, poterit minister singulorum capitibus aquam infundens eos simul baptizare, dicendo: *Ego vos baptizo.* Si vero non sit certum, in monstro esse duas personas, debet primum unus infans absolute baptizari, et postea alter sub conditione: *Si non es baptizatus, ego te baptizo ecc.* 3° Monstrum habens caput ferinum, v. g. canis, corpus vero hominis, non debet statim baptizari, donec certius constet, sitne homo, an brutum: in periculo mortis vero baptizetur sub conditione: *Si tu es homo.* Monstrum progenitum ex viro et bestia, sub conditione baptizandum est; non vero si ex foemina et bestia sit progenitum, quia tunc certum est, non esse hominem, nec ab Adamo descendere. 4° Baptismus Infidelium filiis collatus invitis parentibus, est omnino validus contra Durandum; quia voluntas parentum non requiritur, ut infans possit regenerari, quod opus est Spiritus S. 5° Licite baptizatur parvulus ex Infidelibus parentibus natus in extrema necessitate constitutus, si mors sit certo secutura; quia tunc sine violatione iuris patriae potestatis, et sine irreverentia Sacramenti, parvulus alioquin periturus ad vitam aeternam regeneratur. 6° Filii Infidelium licite invitis parentibus baptizantur, si postquam ad usum rationis pervenerint, Baptismum petant, cum in iis, quae spectant ad ius naturale et Di- Resolvuntur casus

10

vinum, incipiant esse suae potestatis, habeantque liberi arbitrii exercitium. 7. Filii servorum seu mancipiorum Infidelium invitis etiam eorum parentibus licite baptizari possunt; nam in hoc casu possunt iure gentium vendi, manumitti, inter liberos ascisci, et a patria potestate separari. 8° Filii Infidelium perpetuo amentes licite baptizantur, invitis etiam parentibus, quia sunt in extrema necessitate sine periculo irreverentiae Sacramenti. 9° Si parentes desint, infantes vero alienius alterius Infidelis tutelae commissi sint, eos sine tutoris consensu baptizare non licet, quia omnis potestas parentum penes tutorem est. 10° Infantes a parentibus Infidelibus oblati baptizandi sunt, licet deinde parentes mentem mutent; non vero, si adsit periculum perversionis; qui vero invitis parentibus illicite baptizati sunt, fidem Catholicam eo modo, quo fieri potest, edoceri debent. Puer vero septennio completo et intelligens, quid sit baptizari, petens Baptismum, invitis parentibus baptizari potest; si vero dubium sit de sufficienti usu rationis, Sacramentum differatur, et is qui petit, retinendus et instruendus est. Vid. Bullam Benedicti XIV. *t.* 2. *Bullar p.* 86. 11° Ecclesia Catholica habet ius fidem propagandi, ob mandatum Christi: *Docete omnes gentes:* ideo potest praedicatores ad omnes gentes mittere, et Principes Catholici violentiam resistentium praedicationi Evangelicae armis repellere possunt, si sine scandalo, quo fides Catholica odiosa redditur, fieri queat. 12° Princeps Catholicus in subiugatis sibi Infidelibus legibus et armis prohibere sacrificia idolis immolare potest, Paganorum templa destruere, superstitiosa Religionis exercitia interdicere, ne per illa praedicatio Evangelii impediatur. 13° Praelatus Ecclesiasticus, imo etiam Magistratus civilis, cui liberi haereticorum civiliter sunt subiecti, ex tacita vel expressa licentia Praelati potest liberos eorum parentum, qui deserta fide Catholica ad haereticos fugiunt, retinere et impedire, ne ab haereticis pervertantur. Hoc tamen in Germania ob pacem Westphalicam locum non habet, ob periculum maioris mali, ne haeretici cum Catholicis similia faciant. 14° Sacerdotes Catholici licite baptizant liberos haereticorum, licet post Baptismum parentibus restituendi sint cum probabili periculo perversionis, quia illi mori possunt in infantia, et subinde etiam sunt tantum haeretici materiales.

Art. 2. *De dispositionibus ad Baptismum.*

In infante nulla requiritur actualis dispositio.

§ 948. Ut vero infantes valide baptizentur, nulla requiritur in illis actualis dispositio (t. 1. § 374,). Unde cum infantes baptizantur, non habent fidem actualem, nec ullos novos motus similes fidei et dilectionis actibus; sed haec per fidem Ecclesiae et offerentium eos, suppletur. Nam 1° nullibi in S. Scriptura fit mentio fidei horum infantium, et Patres absolute contrarium docent. S. Gregorius Naz. *or. in S. Lumina.* ait: *Infantes sine sensu sanctificationis sanctificantur.* Et S. Augustinus *ep.* 57. *ad Dardan.* ridet contrariam sententiam, utpote iniuriam humanis sensibus, et probat ex eo, quia constat, infan-

tes et vocis eiulatu et motibus corporis reluctari Baptismo, quod sane non facerent, si actu crederent. 2° Novi illi motus repugnant rationi, nam neque sunt in corpore, in quo non sunt actiones spirituales: neque sunt in anima infantis, quia nequeunt esse sine cognitione, quae in infante non datur. 3° Suppleri infantium fidem per fidem Ecclesiae, docet tum Tridentinum (§ 946.), tum S. Augustinus *de lib. arb. c.* 23. *Satis pie, recteque credimus, prodesse parvulo eorum fidem a quibus consecrandus offertur; et hoc commendat Ecclesiae saluberrima auctoritas; ut ex eo quisque sentiat, quid sibi prosit fides sua, quando in aliorum quoque beneficium, qui propriam nondum habent, potest aliena commodari.*

Schol. Lutherus. *de capt. Babyl.* c. *de Bapt.* videtur docere, infantes, cum baptizantur, habere fidem actualem. Hanc magistri sui sententiam paullo mitigarunt Lutherani in Concilio Wittembergensi, docentes in infantibus, dum baptizantur, produci sanctos et novos motus similes motibus fidei et dilectionis, per quos dicuntur credere. I. Quia *Matth.* 18. dicitur: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt:* ergo pusilli credunt. *Resp.* Pusilli hi erant iam rationis compotes, sicuti etiam scandali. II. S. Ioannes exultavit in utero, *Luc.* 2. ergo infantes habent sanctos motus. *Resp.* S. Ioannes cognovit supernaturaliter Domini praesentiam, et ideo exultavit in utero, et hinc non habuit hunc motum sine cognitione: hoc autem extraordinarium exemplum ad regulam communem trahi non potest. Solvuntur obiectiones.

§ 949. Ad validam autem susceptionem Baptismi in adultis requiritur intentio vel actualis vel virtualis (§ 927. 928.). Ut vero licite et cum fructu Sacramentum Baptismi adultus suscipiat, requiruntur in eo previae dispositiones, scilicet fides, et poenitentia etc. 1° De fide patet, *Act.* 8. *v.* 37. ubi Philippus Eunucho Baptismum petenti dixit: *Si credis ex toto corde, licet.* Et Christus, *Matth.* 28. iubet, ut prius Apostoli doceant, quam baptizent. 2° De poenitentia habetur *Act.* 2. *v.* 38. ubi S. Petrus ait: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Porro dispositiones has requisitas recenset Tridentinum *Sess.* 6. c. 6. ubi requirit, ut baptizandus fidem habeat, peccatorem se intelligat, Deum timeat, sibique propitium fore speret, eum tamquam omnis iustitiae fontem diligere incipiat, odio ac detestatione peccatorum moveatur ad poenitentiam, quam ante Baptismum agere debet; denique dum proponit suscipere Baptismum, inchoet novam vitam, et servet Dei mandata; ut ita ad Deum, a quo per peccatum aversus fuerat, iterum convertatur (t. 1. § 374. n. 2. et 3.). Dispositiones in adultis.

Schol. Necessitatem harum dispositionum ad Baptismum iam olim in adultis agnovit Ecclesia, dum tot Catechesibus et probationibus exercuit Catechumenos. Porro Catechumenus ex Graeca voce Κατηχίζω *instruo*, Tyronem et Candidatum seu discipulum fidei significat. Tres autem fuerunt Catechumenorum classes. Prima fuit *Audientium*, qui cum Christianam Religionem amplecti cuperent, Episcopo praesen- Disciplina vetus Catechumenorum

tati, ab eo signo Crucis in fronte, pectore, oculis, ore, scapulis, auribus muniebantur, addita cum precibus manuum impositione, insufflationibus, et Exorcismis; ita ad audiendum verbum Dei admittebantur in eam Ecclesiae partem, quam hodie navem dicimus, ubi olim conciones habebantur, et quod etiam Auditorium dicebatur: Baronius vero in superiori porticu Ecclesiae Catechumenos statuit. Concione audita, quae olim sub Missa post Evangelium habebatur, Catechumeni audientes ex Ecclesia dimittebantur, clamante Diacono ex ambone: *Catechumeni, discedite:* antea autem interrogabantur, an vellent sequi vitae rationem sibi propositam, precesque pro illorum salute fundebantur. Huc usque Missa Catechumenorum durabat, et ab Offertorio Missa fidelium incipiebat. Expleto audientiae tempore ab Episcopo determinato, Catechumeni pro admissione ad Baptismum supplicabant; unde secunda eorum classis erat *Competentium*. Hi prostrati in terram Baptismum postulabant, et nomina sua Ecclesiae dabant, quae tabulis Ecclesiasticis inscribebantur: Competentes preces continuo effundebant, et dura poenitentiae opera subibant; publico fidelium coetui nudis pedibus, tonso capite, cilicio operti se sistere, et a vino, carne ac uxoribus abstinere tenebantur, ac interim sicuti etiam audientiae tempore ab Episcopo, Presbyteris et Diaconis mysteria fidei illis exponebantur, et catechizabantur. Interim circa mores Catechumenorum septem Scrutinia, a tertia hebdomada Quadragesimae usquae ad Sabbatum S. instituebantur, et Competentes flagitium patrantes ad classem Audientium remittebantur; Audientes vero ab Ecclesiae limine pellebantur: praecipuum autem Scrutinium habebatur fer. 4. maioris Hebdomadae. Si in prioribus Scrutiniis digni reperiebantur, in die Palmarum, iuxta Alcuinum *de Div. off.* vel fer. 2. post Dominicam 3° Quadragesimae Symbolum et Oratio Dominica iuxta Amalarium *de Div.* illis tradebatur, et sic ad tertiam classem, scilicet *Electorum,* admittebantur. Denique Sabbato S. solemnis Baptismus conferebatur. Tempus Catechumenatus varium fuit; vulgo erat quadraginta dierum; deinde ad decem et octo dies contractum fuit. Vid. P. Martene et Vicecomitem *de ant. rit.*

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Si adultus ad Baptismum cum animo accesserit, non quodcumque lavacrum, sed Ecclesiae solum proprium recipiendi, Baptismus erit validus: item si baptizandus praesenti voluntate careat, quam tamen alias habuit, examinari prius debet, an praecedens voluntas non fuerit retractata; et si adhuc perseveret moraliter, Baptismus erit validus: in dubio, an suscipiens sufficientem intentionem habuerit, Baptismus sub conditione iteretur. Vid. *ep.* Benedicti XIV. *ad Archiep. Tarsens. tom.* 2. *Bull.* 2° Ad Baptismum non praerequiritur Contritio perfecta, sed sufficit Attritio ex motivo supernaturali elicita, quia Baptismus per se institutus est, ut hominem iustificet. Externa vero peccatorum Confessio in adulto ante Baptismum non requiritur; imo peccata ante Baptismum commissa, non sunt materia Absolutionis: pro instructione tamen et accipiendis remediis

contra relapsum, peccata sua confiteri posset. 3° Surdus, mutus ac caecus a nativitate pro amente habendus esset, et baptizari posset; si autem sit tantum surdus et mutus, poterit per signa sufficienter instrui, et baptizari

AP. VII.

De primario Baptismi effectu, seu Gratia.

§ 950. Effectus Baptismi sunt gratia sanctificans, et Character. Primo igitur per Baptismum confertur gratia interna sanctificans prima, per quam homo spiritualiter renascitur, fit filius Dei, membrum Christi, unius cum eo spiritus, compos vitae aeternae, et cum gratia sanctificante infunduntur illi simul virtutes et dona Spiritus S. Ita docet 1° Apostolus 1. *ad Cor.* 6. *Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. Ad Tit.* 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus. Ad Gal.* 3. *v.* 26. *Omnes filii Dei estis . . . Christum induistis. Ad Rom.* 8. *v.* 17. *Si autem filii et haeredes; haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.* Idem docet Tridentinum *Sess.* 3. *c.* 5. et habetur in *Clement.* 1. *de sum. Trin.* 2° Ratio est, quia Baptismus tollit peccatum originale et actuale, si adsit, ut mox dicemus: sed haec non remittuntur sine infusione gratiae sanctificantis (t. 1. § 373.): ergo haec infunditur, et consequenter etiam virtutes et dona (t. 1. § 366. et seq.). Quid autem sit haec gratia sanctificans, et quomodo iustificatio fiat, dictum est (t. 1. a § 361. usq. ad 373.). Et quia gratia sanctificans cum virtutibus et donis in Baptismo etiam infantibus infunditur, patet, quod etiam fides habitualis illis infundatur. Primus effectus Baptismi gratia.

Schol. 1. Novatores hos quinque effectus Baptismo assignant: 1. Quod baptizatus non possit, etsi velit, amittere gratiam, nisi nolit credere. Sed hoc refutatum est (t. 1. § 379.). 2. Quod Baptismus liberet ab observatione legis extra mandatum fidei. Verum hoc refutatum est (§ 465.). 3. Quod liberet ab observandis legibus humanis. Quod refutatum est (§ 470. 473. 505.). 4. Quod liberet ab omnibus votis. Quod refutatum est (§ 823. 826.). 5. Quod sola Baptismi memoria iustificet a peccatis post Baptismum commissis. Quod inferius de Poenitentia refutabitur.

· *Schol.* 2. Praeter gratiam sanctificantem in Baptismo etiam confertur gratia Sacramentalis, seu ius ad specialia auxilia fini Baptismi proportionata, nempe ad sancte et christiane vivendum, sicuti decet filios Dei adoptivos, Christi fratres, et regni coelestis haeredes (§ 909.). Gratia Sacramentalis Baptismi.

§ 951. Quia per Baptismum confertur gratia sanctificans prima (§ 950.), hinc Baptismus perfecte tollit omnia peccata, originale et actualia; et quidem non tantum quoad reatum culpae, sed etiam quoad reatum poenae. Patet hoc 1° ex S. Scriptura, ubi *Act.* 22. *v.* 16. S. Paulo dicitur: *Exurge, baptizare, et ablue peccata tua.* Quod vero Baptismus omnia peccata et poenam tollit.

haec remissio plena sit quoad culpam et poenam, constat *ad Rom.* 8. *v.* 1. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu.* Et quod peccata non solum tegantur, probatum fuit (t. 1. § 372.). 2° Ita docent Patres. Tertullianus *l. de Bapt. c.* 5. *Exempto reatu, eximitur et poena.* S. Hieronymus *ep.* 82. *Omnia nobis per Baptismum condonata sunt crimina, nec post indulgentiam Iudicis metuenda est severitas.* S. Augustinus *l.* 2. *de pecc. mer. Si continuo post Baptismum sequatur emigratio, non erit omnino, quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus, quae tenebant.* Hinc Florentinum in Decret. statuit, morientes post Baptismum statim ad regnum coelorum pervenire, atque idcirco nullam baptizatis pro peccatis praeteritis imponendam esse satisfactionem. Et Trident. *Sess.* 5. *can.* 5. definit: *Si quis per D. N. I. C. gratiam, quae in Baptismo confertur, reatum originalis peccati remitti, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam rationem peccati habet, sed illud tantum dicit radi aut non imputari; anathema sit.*

Quid recipiat iustificatus per charitatem?

Schol. 1. Per Baptismum non tolluntur poenalitates, quales sunt morbi, fames, sitis, mors, concupiscentia, tum ut Deus ostendat, quid hominis culpa mereatur: tum ut virtus in infirmitate perficiatur: tum ut homo materiam virtutis habeat: tum ut homo intelligat, totum Sacramentorum fructum non ad praesentem, sed aeternam vitam referri debere. Si quis ad Baptismum per charitatem perfectam iam iustificatus accedat, sex adhuc bona ex reali Baptismi perceptione consequitur. 1. Characterem. 2. Augmentum gratiae. 3. Remissionem peccatorum, quae post iustificationem committi potuerunt. 4. Plenam remissionem poenae. 5. Magis firmam securitatem seu bonam confidentiam de remissione peccatorum. 6. Visibilem incorporationem in Ecclesiam Christi.

Voltairii scommata.

Schol. 2. Voltairius in *Diction. philos. art. Baptême*, Constantinum Imp. ita ratiocinantem inducit: Baptismus omnia purificat: ergo possum meam uxorem, filium et consanguineos occidere. Verum undenam probat Voltairius, Constantinum haec sub spe obtinendae per Baptismum veniae perpetrasse? Sane historia probat, quod Fausta Constantini uxor Crispi noverca eum attentati adulterii accusaverit, et ideo Crispum a Costantino zelotypo improvide capite damnatum fuisse; et cum Fausta se Crispum seducere voluisse confessa esset, iuste eam iudicio extremo affectam fuisse. Idem Voltairius *in Diction. portatili* refert, Iulianum Imp. religioni nostrae irrisisse, eo quod Christiani pessimos quosque ad se alliciant, sub spe, eos aqua ablutos, puros omnino et mundos evasuros. Verum hanc calumniam Iulianus ex Celso Epicureo mutuatus est, uti videre est apud Origenem *l.* 3. *contra Celsum n.* 59. qui hoc argumentum manifeste refutavit, ostendens Christianam Religionem aegras animas ad sanitatem vocare, et hortari, ut a peccando desistant, ac demum baptizare. Sane ad Christi Religionem conversos puram vitam praemisisse, apparet ex Tertulliano *Apol. c.* 44. Clemente Alex. *l.* 2. *Paedag.* etc.

ART. UN. *De altero Baptismi effectu, seu charactere.*

§ 952. Alter effectus Baptismi est, quod imprimat animae Characterem indelebilem (§ 911.): ex quo fit, ut Baptismus iterari non possit. Constat hoc 1° ex S. Scriptura *ad Eph.* 4. *v.* 5. *Unum Baptisma:* quod de initerabilitate Baptismi explicat S. Leo, *c. Non licet, d.* 4. *de Consecr.* et S. Cyrillus *praef. in Catech.* Item ex illo *Ioan.* 13. *v.* 10. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.* Quod de Baptismo non iterando exponit S. Optatus *l.* 4. Et ex illo *ad Hebr.* 6. *v.* 4. *Impossibile est, eos, qui semel sunt illuminati . . . et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam:* id est, per Baptismum, uti explicat S. Ambrosius *l.* 2. *de poenit. c.* 2. 2° Probatur ex perpetua praxi Ecclesiae; et unanimi Patrum consensu: quin et legibus Imperatorum ultimo supplicio, et Canonibus Ecclesiae poena depositionis et irregularitatis puniuntur iterantes Baptismum. Et Trident. *Sess.* 7. *can.* 11. definit: *Si quis dixerit, vere et rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud Infideles fidem Christi negaverit, cum ad poenitentiam convertitur; anathema sit.* 3° Ratio esse potest, quia Baptismus repraesentat mortem Christi unicam: imprimit Characterem indelebilem: tollit peccatum originale semel tantum contractum. Ergo iterari nequit. Baptismi Character et initerabilitas

Schol. In Baptismo aqua et ablutio cum praescripta verborum forma, est Sacramentum tantum: res Sacramenti tantum, est interna animae ablutio per gratiam sanctificantem, utpote quae significatur: res et Sacramentum simul, est Character, qui significat et significatur.

Coroll. Pract. 1° Si ob imminens mortis periculum infans ita praecipitanter baptizatus sit, ut de omnibus rite observatis certo non constet, sub conditione rebaptizetur. Item si in partu geminorum unius caput emissum, et post Baptismum se retrahens, dubitandi de se occasionem praebeat. Item si quis inter haereticos materiam, formam, vel intentionem depravantes, aut inter Infideles educatus Baptismi sui recordari, vel idoneos illius suscepti testes habere non possit. Baptizati tamen ab haereticis iuxta declarationem S. Congregationis non rebaptizandi, nisi probabile dubium invaliditatis Baptismi adsit. 2° Si in necessitate aliquod membrum praeter caput, scapulas et pectus baptizatum sit, Baptismus sub conditione repetatur, si antea dubius fuerit. 3° Si obstetrices in necessitate baptizarint, passim apud nos a Parocho Baptismus sub conditione repetitur ob illius necessitatem, quam consuetudinem non improbat P. Layman; imo approbatam asserit in Pastorali Romano Antuerpiae edito a. 1607. sic enim non fit irreverentia Sacramento, et consulitur saluti proximi: cum experientia doceat, saepe laicos perperam in necessitate baptizasse, adeoque semper adest iustus timor. 4° Infantes expositi, etsi collo appensum habeant scriptum Baptismi suscepti testimonium, tamen sub conditione sunt baptizandi, si re diligenter perquisita dubium de eorum Baptismo remaneat: ita statuit Conc. Mediolanense Resolvuntur casus

III. Londinense a. 1200. et rationem dat Benedictus XIV. *de Syn. l.* 7. *c.* 6. quia non debemus rem adeo gravem committere fidei personae ignotae, cuius qualitates explorare non possumus. Et hoc idem respondit S. Congregatio die 15. Ian. a. 1724. de expositis ad hospitale S. Spiritus in Saxia. 5° Si Episcopus vel Sacerdos prudenter dubitet de valore sui Baptismi, non tantum a functionibus Ordinis abstinere, sed etiam sub conditione rebaptizari, reordinari, et ordinati ac absoluti ab eis cum repetita Confessione, iterum absolvi et ordinari debent. 6° Religiosus ob defectum essentialem rebaptizatus nequit deserere Religionem: non tamen opus est repetere Novitiatum et Professionem, quam tamen ratificare tenetur: ita S. Congregatio a. 1588. 7° Quando Baptismus sub conditione repetitur, putat quidem Gobat, non esse obligationem peccata actualia confitendi, quia libertas est in possessione: contrarium tamen tutius est, et in praxi suadendum.

An Baptismus ficte susceptus remota fictione reviviscat?

Schol. 2. Quaeritur, an si quis ad Baptismum ficte accedat, id est, sine debita dispositione, vel culpabiliter, v. g. quando sine fide, spe, attritione scienter accedit: vel inculpabiliter, quando habet attritionem tantum naturalem, quam bona fide putat esse supernaturalem: vel quando in susceptione Baptismi committit aliud peccatum, v. g. habet animum furandi: in quibus casibus valide quidem Baptismum suscipit, sed ob positum obicem seu fictionem gratiam Sacramenti non accipit: quaeritur, inquam, an, si talis postea fictionem seu obicem vel per poenitentiam, si sit culpabilis, vel per actum doloris supernaturalis, si sit inculpabilis, tollat, Baptismus reviviscat, id est, gratiam per fictionem impeditam ex opere operato producat. Respondetur affirmative: tum quia ita docet S. Augustinus *l.* 1. *de Bapt. c.* 12. dicens de Baptismo in Ecclesia Catholica ficte suscepto: *Tunc incipit valere ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit.* Et de Baptismo in haeresi vel schismate suscepto ait: *Tunc incipit valere ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiae pacem venerit;* tum quia causa ex se productiva, si impediatur, remoto impedimento, effectum suum producit, uti patet in descensu gravium: sed talis causa est Baptismus: ergo remoto obice producit effectum, maxime cum iterari non possit, et peccatum originale per solum Baptismum remitti queat. Porro ex hoc fluit, 1. Quod omnia peccata Baptismum ficte susceptum praecedentia, recedente fictione, per Baptismum reviviscentem remittantur, utpote quae iurisdictioni Ecclesiae non subiecta, per Sacramentum Poenitentiae remitti non possunt. 2. Peccatum fictionis deletur per poenitentiam, quia est natura posterius ipso Baptismo, adeoque verum sacrilegium. 3. Peccata vero Baptismum ficte susceptum subsecuta delentur per poenitentiam; quia sunt clavibus Ecclesiae subiecta. Non obstat I. quod susceptio Baptismi cum fictione sit opus mortuum, adeoque reviviscere nequeat, maxime quia Baptismus non amplius existit, quando fictio tollitur. *Resp.* Effectus Baptismi ex opere operantis conferendus utpote opus mortuum non re-

viviscit, redit tamen effectus ex opere operato Baptismo respondens, qui non est opus mortuum, sed opus Dei. Deinde Baptismus est tantum causa moralis efficiens, quae potest agere, licet actu non existat, sicuti agit passio Christi iam praeterita, quae est causa moralis meritoria nostrae sanctificationis: et Baptismus saltem existit in relicto Charactere, qui iuxta Thomistas tunc physice remissionem peccatorum causare potest (Vid. § 907. Schol. 3.). II. S. Augustinus *l. 1. de Bapt. c. 12 veraci Confessioni* remissionem peccatorum tribuit, non vero Baptismo redivivo; alias quis bis per Baptismum iustificari posset, semel in susceptione, deinde in remotione obicis, quod tamen fieri nequit. *Resp.* S. Augustinus tribuit remissionem peccatorum Poenitentiae tamquam removenti obicem, non tamquam causae effectrici. Deinde Baptismus ficte susceptus et redivivus unus idemque est, et eumdem effectum habet. III. Si Baptismus redivivus non tollit peccata cum concomitantia et subsecuta, tunc gratia ab eo collata posset stare cum illis peccatis, utpote quae remittere nequit; et sic unum mortale posset remitti sine alio, quod est impossibile. Deinde per Sacramentum poenitentiae remittuntur peccata inculpabiliter omissa saltem indirecte: ergo etiam per Baptismum peccata cum ficte susceptum subsecuta. *Resp.* Gratia a Baptismo collata cum illa a Poenitentia collata formaliter est eadem, et solum principative diversa, et prout est a Baptismo, remittit peccata cum praecedentia; prout est a Poenitentia, peccata cum subsecuta, et sic non remittitur unum mortale sine altero. Ad aliud disparitas est, quod oblita peccata supponantur ante susceptum Sacramentum Poenitentiae commissa; peccata vero Baptismum subsecuta, post eius susceptionem commissa sunt.

Schol. 3. Non solum Baptismus, sed etiam reliqua duo Sacramenta Characterem imprimentia, scilicet Confirmatio et Ordo ficte suscepta recedente fictione causant suum effectum, eo ipso quod iterari non possint, et Divinae Providentiae hoc convenire videatur. Ex eadem ratione, licet Sacramentum Extremae Unctionis et Matrimonii non sint simpliciter initerabilia, quia tamen initerabilia sunt secundum quid, nempe durante eadem infirmitate, et vivente eodem coniuge, probabile est, quod ficto suscepta recedente fictione producant suum effectum. De Sacramento Poenitentiae non est ita probabile, quia non occurrit talis initerabilitas. De SS. Eucharistia docet S. Thomas *in 4. d. 3. q. 3. a. 2. quaestiunc. 3 ad 3.* hoc privilegium illi tribui non posse; alias enim Sacerdos diu in mortali celebrans recedente fictione subito ob ingentem gratiarum cumulum sanctissimus evaderet. An alia Sacramenta reviviscant?

Coroll. Pract. Si quis susciperet Baptismum cum intentione furandi, et hanc continuaret in illo instanti, in quo Baptismus deberet habere suum effectum, praeter fictionem hoc peccatum in Confessione explicandum foret: si vero non continuaret, sufficeret, si se de fictione accusaret. Resolvuntur casus.

CAP. VIII.

De obligationibus baptizatorum.

Obligationes baptizati.

§ 953. Quia homo per Baptismum visibiliter incorporatur Ecclesiae Christi, et fit membrum eius (§ 950. 951. Schol.); hinc baptizati obligationes sunt: 1° Ut Christo perpetuo adhaereat, et eius Evangelium sequatur tamquam morum et vitae regulam; est enim Baptismus solemnis Religionis Christianae professio, qua homo se Christo mancipat, Religionem ab eo institutam profitetur, et Legem Evangelicam solemniter amplectitur. 2° Ut Ecclesiae eiusque Pastoribus obediat: *Si enim Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et Publicanus: Matth.* 18. Et. *Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem,* ait S. Cyprianus *l. de unit. Eccl.* 3° Ut abrenuntiet omnibus iis, quae Christianorum instituto sunt dissentanea, scilicet Satanae, id est, mundo, et actibus saecularibus; et operibus eius, id est, peccatis; et pompis eius, id est, immoderato usui rerum terrenarum.

CAP. IX.

De necessitate Baptismi.

Necessitas Baptismi.

§ 954. 1. Ex effectibus Baptismi recensitis (§ 950. et seqq.) apparet, Baptismum in re vel voto omnibus necessitate medii esse necessarium ad salutem. Ita docet 1° Christus, *Ioan.* 3. *v.* 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* 2° Constat ex perpetua Traditione. Tertullianus *l. de Bapt. c.* 17. *Qui periclitantem non baptizavit, reus erit perditi hominis.* S. Augustinus *l.* 3. *de orig. an c.* 9. *Noli credere, nec dicere, nec docere, infantes, antequam baptizentur, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* S. Fulgentius *de fid. ad Petr. Firmissime tene, et nullatenus dubites, non solum homines iam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, et ibi moriuntur, sive cum de matribus nati sine Sacramento S. Baptismatis de hoc saeculo transeunt, sempiterno igne puniendos.* Plura testimonia vide *d.* 4. *de consecr.* 3° Ita definit Concilium Diospolitanum, ubi Pelagius suam sententiam damnare debuit, quod infantes, etsi non baptizentur, habeant vitam aeternam, Concilium Carthaginense IV. *in ep. Synod.* ait: *Quicumque negat, parvulos per Baptismum Christi a perditione liberari, et salutem percipere sempiternam, anathema sit.* Et Tridentinum *Sess.* 7. *can.* 5. *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.* Hinc olim etiam Ecclesia in periculo mortis nec locum nec tempus Baptismi ob summam eius necessitatem observavit, uti patet ex Concilio Romano sub Cornelio, Neocaesareensi *can.* 12. et Antisiodorensi *can.* 18. etc.

2. Praeterea adultis Baptismus in re vel voto non solum necessitate

medii, sicuti parvulis, sed etiam necessitate praecepti est necessarius ad salutem. Nam 1° *Matth.* 28. *v.* 19. Christus expresse praecipit: *Euntes docete omnes gentes; baptizantes eos, etc.* ubi Sociniani male legunt, *instruentes eos*, cum in Graeco legatur, *βαπτίζοντες*, Nec iuvat eos, quod 1. *ad Cor.* 1. *v.* 17. S. Paulus dicat, missum se non esse ad baptizandum, sed praedicandum: designat enim solum praecipuum missionis suae scopum, ad quem maiores dotes requiruntur; et gratias agit, quod paucos baptizando schismati Corinthiorum ansam non dederit 2° *Marc.* 16. *v.* 16. Christus Apostolis praecipit: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ubi iterum praeceptum est universale, sicuti et salus ab omnibus obtinenda est. Quippe universalitas praecepti Baptismi patet, tum quia nullam restrictionis notam praefert; tum quia eam probat continua omnium saeculorum praxis; tum quia effectus Baptismi, scilicet communio cum Christo, *ad Rom.* 6. *v.* 3. remissio peccatorum, *Act.* 22. *v.* 16. regeneratio spiritualis, *ad Tit.* 4. *v.* 4. vita aeterna, *Marci* 16. *v.* 16. ad omnes homines aequaliter pertinent.

Schol. 1. Caiani an. 180. teste Tertulliano *de Bapt. c.* 1. Manichaei saeculo 3°, teste S. Augustino *her.* 46. Ascodrutae saeculo 4°, teste Theodoreto *l. her. fab. c.* 10. Massaliani, teste eodem: Pelagiani saeculo 5°: Ioannes Wicleffus, teste Thoma Waldensi, *t.* 2. *de Sacr. c.* 96. Zwinglius *l. de ver. et fals. Rel. c. de Bapt.* Bucerus *in c.* 3. *Matth.* necessitatem absolutam Baptismi negarunt. Calvinus in *Antidot. Conc.* et Engau in *Iur. Eccl. l.* 1. *n.* 310. in adultis solam necessitatem praecepti admittunt. I. *Gen.* 17. fecit Deus foedus cum Abraham dicens: *Ego ero Deus tuus, et seminis tui:* cum ergo Christiani in locum posteritatis Abrahae successerint, originale illis non imputatur, nec Baptismus est necessarius; praesertim quia 1. *ad Cor.* 7. dicitur: *Filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Resp.* Deus pepigit foedus cum posteris Abrahae, qui sicuti in Veteri Lege Circumcisionis signo, ita in Nova per Baptismum foederis conditiones observant. Deinde filii baptizati vocantur *Sancti:* vel Apostolus loquitur de sanctitate legali, hoc est, quod filii ex matrimonio cum Infideli nati sint legitimi et non spurii, adeoque matrimonium non sit dissolvendum: vel loquitur de sanctitate dispositive tali, quatenus ob conversationem cum uxore fideli, alter ad fidem converti potest. II. Ex cit. loco *Ioan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit, etc.* nonnisi necessitas praecepti, sicuti ex illo: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, etc.* non vero necessitas medii eruitur, cum totum a Christi institutione dependeat, qui aliis etiam mediis defectum Baptismi supplere potest, sicuti de facto per Martyrium, et Contritionem suppletur. *Resp.* Necessitas medii Baptismi ex voluntate Christi nobis innotescit, quam ex Scriptura nobis explicat Ecclesia, quod non exponit de SS. Eucharistia. Deinde necessitas Baptismi ita pendet ab institutione Christi, ut includat gratiae effectum, sine qua nemo salvari potest, et sic est

Solvuntur obiectiones.

necessitas medii: Martyrium vero et Contritio votum saltem Baptismi, si hic actu recipi non possit, includit. III. Cathecumeni sine Baptismo morientes salvi facti sunt. Et *Act.* 10. *v.* 44. Cornelius, et qui verbum Dei audierunt, loquente S. Petro, sine Baptismo acceperunt Spiritum S. Ergo Baptismus ad gratiam non est necessarius. *Resp.* Catechumeni per votum Baptismi salvabantur. Cornelius et reliqui tamen adhuc baptizari debuerunt, et sic ex hoc facto necessitas Baptismi magis comfirmatur.

Solvuntur obiectiones Socinianorum

Schol. 2. Sociniani docent, 1. Christum non dedisse Apostolis praeceptum Baptismi, licet illi Baptismum laudabiliter observaverint. 2. Supposito etiam hoc praecepto, illud solos conversos a Iudaismo et Paganismo obligasso, non vero natos ex parentibus Chistianis et in fide Christiana educatos, quia est solum Religionis Christianae symbolum et initiatio, sine omni gratiae effectu (t. 1. § 324. Schol.). I. Quia per Baptismum, *Marc.* 16. *Qui crediderit et baptizatus fuerit*, intelligitur tantum poenitentia et publica nominis Christi confessio: tum quia alias par esset Fidei et Baptismi necessitas: tum quia in Codice Complutensi textus ita redditur: *Qui crediderit, et qui baptizatus fuerit, salvabitur*, et sic repetitio articuli Baptismum aquae non significat: tum quia *ad Rom.* 16. *v.* 9. professioni fidei, non Baptismo, salus adscribitur. *Resp.* Fidei et Baptismi in voto par est necessitas. Repetitio articuli doctrinam nostram magis confirmat, quia praeter Fidem Baptismum requirit. Professioni fidei salus appromittitur, sed haec fieri debet in uno Baptismo aquae, quem includit, et supponit. II. Baptismi praeceptum saltem non est perpetuum et universale: tum quia signa crediturus secutura *Marc.* 16. iam cessarunt: ergo et praeceptum Baptismi: tum quia manente praecepto non fornicandi, cessavit tamen lex abstinendi a suffocato: ergo manente praecepto Poenitentiae cessat praeceptum Baptismi illi coniunctum. *Resp.* Signa illa adultae Ecclesiae non sunt ubique necessaria, sicut necessarius est Baptismus. Abstinentia a suffocato utpote non intrinsece bona cessante scandalo tolli potuit, non vero fornicatio intrinsece mala potuit permitti: abstinentia ab Apostolis tantum praecepta fuit: Baptismum Christus ipse praecepit.

Baptismus per votum parentum non suppletur.

§ 955. Cum Baptismus infantibus necessitate medii sit necessarius ad salutem (§ 954.), temerarium et errori proximum est asserere, quod deficiente opportunitate baptizandi parvulos, ad eorum salutem sufficiat votum Baptismi a parentibus vel aliis conceptum, cum applicatione signi externi et invocatione SS. Trinitatis. Ita docet 1° S. Ambrosius *l.* 2. *de Abrah. c. ult.* in illa verba: *Nisi quis renatus etc.* dicens: *Nullum excipit, non infantem, non aliqua praeventum necessitate.* Et S. Augustinus in *ep.* 166. ait: *Quicumque dixerit, in Christo vivificari posse parvulos, qui sine eius participatione, id est, sine Baptismo de hac vita exeunt, hic et contra Apostolorum praedicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam.* Et ut ostendat, votum parentum non sufficere, *ep. ad Vital.* ait, salvos non fieri parvulos istos, non

quia ipsi nolunt, sed quia Deus non vult, aliquando cupientibus, festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus ac paratis, Baptismum Deo volente non dari, cum repente, pro quo currebatur, expiret. 2° Sufficere in necessitate votum parentum, nec ex S. Scriptura, nec ex Traditione colligitur. Ergo non suppletur.

Schol. Caietanus 3. *p. a.* 2. docuit, quibus per Baptismum subveniri nequit, per votum parentum cum applicatione signi externi, et invocatione SS. Trinitatis salvari posse. Hanc sententiam ex Commentariis Caietani expungi iussit S. Pius V. Tridentinum autem, teste Pallavicino in *hist.* ideo hanc Caietani sententiam expendere noluit, quia haec materia non spectabat ad illas controversias, propter quas Patres convenerant. Rationes Caietani sunt: I. Quia in V. L. infans ante octavum diem sine Circumcisione, per votum parentum cum applicatione signi externi salvari poterat: ergo etiam in Nova potest sine Baptismo, tum quia in N. L. est efficacior, et infantes non debent esse deterioris conditionis. *Resp.* In V. L. ante octavum diem non dabatur aliud remedium, sicuti datur in N. L. Fides nostra modo est astricta ad necessitatem Baptismi, sicuti illa veterum ad signum sensibile. Parvuli nostri sunt melioris conditionis, ob gratiam uberiorem datam ex opere operato, et quia illis per Baptismum modo statim ianua ad coelum patet, quae veteribus adhuc clausa fuit. II. Deus habet voluntatem salvandi omnes homines: ergo etiam parvulis a Baptismo impeditis de remedio providit: et sicut illis nocet peccatum alienum Adae, ita fides aliena parentum prodesse debet. *Resp.* Voluntas Dei salvandi omnes sufficienter salvatur in eo, quod omnibus etiam parvulis media sufficientia praeparaverit (Vide t. 1. § 356. Schol. 4.). Deinde peccatum Adae non est infantibus omnino externum, sed internum, cum in Adamo omnes peccaverint: fides vero parentum est quid omnino externum, quae eis tam parum prodesse, quam maledictiones eorum obesse possunt. III. Gerson *de Nat. B. V.* S. Bonaventura *in* 4. *d.* 3. Durandus *in* 4. *d.* 6. docent, Deum pro infinita sua clementia oxaudire preces parentum pro salute suorum parvulorum supplicantium. *Resp.* Hae piae sententiae, quae nullum fundamentum in S. Scriptura et Traditione habent, reiiciendae sunt, uti notat Bellarminus, ne quid contra S. Scripturam pertinaciter defendamus. Solvuntur obiectiones.

Coroll. Pract. 1° Per se loquendo adultus Baptismum sine gravi peccato diu differre non potest, et parentes fideles graviter peccant, si Baptismum infantis ultra mensem sine necessitate etiam extra periculum mortis differant, quia universalis consuetudo, ut ultra quatriduum non differatur, vim legis obtinuit. Ex causa tamen gravi ad sesquimensem Baptismus solemnis differri potest. 2° Homo adultus potest se obiicere periculo mortis pro suscipiendo Baptismo, si nullam aliam spem eum recipiendi habeat, quia securior et utilior est pro remissione poenae: non tamen tenetur se huic periculo exponere; quia per Contritionem et Charitatem perfectam salvari potest. Qui vero non Resolvuntur casus.

potest Contritionem elicere, nec aliter baptizari posset, non potest petere, ut quis in mare se proiiciat, et ita baptizet, quia hoc foret directa sui occisio.

CAP. X.

De Baptismo sanguinis, seu Martyrio.

Martyrium supplet vices Baptismi. § 956. Licet autem absoluta sit Baptismi necessitas, eius tamen vicem in adultis et infantibus perfecte supplet Martyrium, seu Baptismus sanguinis. Nam 1° de adultis et infantibus Christus sine distinctione dicit, *Matth.* 10. *v.* 32. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor. et ego eum coram Patre meo.* Et c. 16. *v.* 25. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* 2° Constat ex PP. Tertullianus *de Bapt.* c. 16. ait: *Et nobis etiam secundum lavacrum, sanguinis scilicet, de quo Dominus, habeo, inquit, Baptismo tingi,* Et S. Augustinus *l.* 13. *de Civ.* c. 7. *Qui dixit: Nisi quis renatus fuerit, etc. idem et generaliter dixit: Qui me confessus fuerit.* De infantibus vero pro Christo occisis idem S. Augustinus *l.* 3. *de lib. arb. c.* 23. ait: *Non enim frustra etiam Infantes illos, qui, cum Dominus Iesus Christus necandus ab Herode quaereretur, occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia.* Et S. Chrysostomus *hom.* 3. *in Matth.* de iisdem scribit: *Merentur poena Martyrium, gloriam sanguine comparant.* Et S. Bernardus *Serm. de Innoc. Illos pro Christo trucidatos quis dubitet inter Martyres connumerari? quis regeneratos in Christo non credat inter adoptivos filios numerari?* 3° Liquet ex praxi Ecclesiae, quae pro Martyribus nec preces, nec sacrificia pro eorum salute offert, sed illorum triumphos celebrans patrocinium eorum implorat: *iniuriam* enim *facit Martyri, qui orat pro Martyre,* ait Innocentius III. c. *Cum Martha, de Celebr. Miss.* De infantibus idem probat praxis Ecclesiae, quae SS. Innocentes, pro Christo ab Herode occisos, sine distinctione inter circumcisos et incircumcisos, quorum multi inter eos fuerunt, et alios etiam puerulos pro Christo occisos, uti SS. Modestum et Amoninm, ut Martyres colit. 4° Martyrium est perfecta assimilatio mortis Christi, et actus perfectissimi amoris: ergo votum Baptismi includit, et eius vicem suppletet.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 1. Gnostici et Valentiniani voluerunt, nullum esse Martyrii meritum, teste Tertulliano in *Scorp. c.* 1. Kemnitius *in* 2. *p. Conc. Trident.* soli fidei in Martyrio iustificationem adscribit. Richardus Armachanus Episcopus putat, probabile esse ex infantibus ab Herode pro Christo occisis non circumcisos salvatos non fuisse, nec etiam ex lege communi tam veteri quam nova parvulos circumcisos nullum incrementum gratiae ex morte pro Christo accepisse, nec maiorem gloriam: an vero hanc ex speciali privilegio obtinuerint, non audet affirmare. Iacobus de Vitriaco *l. hist. occid.* c. 36. docet, parvulos Christianorum non baptizatos pro Christo a Paganis occisos, non salvari, nec ad eos extendi privilegium SS. Innocentium. De duabus his

posterioribus opinionibus notant Petrocorenses, eas vix tolerari posse. Caeterum contra Doctrinam modo explicatam obiicitur: I. Impium videtur, opus hominis seu Martyrium aequare operi Dei, quale est Baptismus. Et Tridentinum *Sess.* 6. c. 4. expresse docet, translationem a peccato ad iustitiam post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut eius voto fieri non posse. *Resp.* Nos non aequamus opus hominis operi Dei, sed gratiam gratiae Dei, qui sicuti recipientibus Baptismum, ita sustinentibus Martyrium gratiam promisit. Tridentinum loquitur de casibus ordinariis, imo in Martyrio votum Baptismi includitur. II. S. Cyprianus *ep.* 54. ait: *Nec quisquam dicat: qui Martyrium tollit, sanguine suo baptizatur.* Et S. Augustinus *l.* 4. *contra Donat. c.* 22. ait, bonum latronem non passione sua obtinuisse remissionem peccatorum, sed ex fide apprehendente Christum. *Resp.* S. Cyprianus ibi solum hortatur fideles, ut Sacramenti perceptione se arment ad periculosum Martyrii certamen. S. Augustinus docet, ibi bonum latronem non posse dici Martyrem, nec salvatum Baptismo sanguinis, sed Baptismo flaminis. III. Infans non est capax actus fortitudinis: ergo nec Martyrii. *Resp.* Martyrium tantum in adultis est actus fortitudinis; in infantibus sufficit, quod in odium Christi occidantur, unde etiam infantes nondum nati, qui cum matribus suis propter Christum occiduntur, etiam sunt Martyres.

Schol. 2. Quid sit Martyrium, et quid ad illud requiratur, dictum est (§ 626.). Quaeritur hic, an Baptismus sanguinis seu Martyrium ita vicem Baptismi aquae suppleat, ut iustificet ex opere operato non solum parvulos, quod communiter concedunt Theologi, sed etiam adultos, quod negat Canus in *relect. de poenit.* dicens, hos solum iustificari ex opere operantis ratione Charitatis et Contritionis. Respondetur contra Canum affirmative: 1. Quia ita tenet S. Thomas in 4. *d.* 4. *q.* 3. *a* 3. *quaestiunc.* 3. *ad* 1. *Baptismus sanguinis non habet hoc, scilicet liberare a culpa et poena tantum ex opere operantis, neque quantum ad poenam, qua aliquis Martyrium explet, quam contingit non esse sufficientem ad satisfaciendum pro peccato, neque quantum ad devotionem iustae voluntatis, quia contingit, quod voluntate maiori charitate informata aliquis sine Martyrio non potest ab omni poena liberari, sed hoc habet ex imitatione passionis Christi.* Idem docet Tertullianus in *Apol. Omnia delicta huic operi donantur.* S. Augustinus *l.* 13. *de Civ. c.* 8. *Quicumque non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis.* 2. Parvulos Martyrium iustificat ex opere operato: ergo etiam adultos; cum privilegium: *Qui me confessus fuerit, etc.* sit universale. Non obstat I. quod Martyrium sine Charitate esse non possit, quia est actus perfectissimae Charitatis: ergo iustificat ex opere operantis saltem adultos. *Resp.* Est actus Charitatis obiective et effective, quae ex Martyrio sequitur; nam gratia et Charitas a Deo infusa cum Martyrio coniungitur: non vero elicitive, quasi vero semper Charitas Martyrium antecedere deberet,

An Martyrium ex opere operato iustificet?

quia ab attrito etiam suscipi potest, qui tamen deinde per Martyrium fit contritus ob infusam Charitatem perfectam. II. Martyrium non confert gratiam ex opere operato in instanti mortis, quia ibi homo non est: nec ante instans mortis, quia ibi Martyrium consistens in morte necdum est. *Resp.* Conferri in instanti mortem immediate praecedente, ubi mors est moraliter; vel in instanti separationis animae a corpore, de quo an sit ultimum hominis esse, vel primum non esse, morose inquirendum non est; sufficit quod Deus illud noverit.

Art. un. *De dispositionibus ad Martyrium.*

Dispositiones ad Martyrium requisitae. § 957. Ut vero Martyrium plenum suum effectum consequatur, et fructuose suscipiatur, in adulto requiruntur praeviae dispositiones, sicuti in Baptismo (§ 949.). Et quidem 1° Baptismus aquae in re, vel saltem eius votum, quia est necessarius necessitate medii et praecepti (§ 953.). Unde etiam Ecclesia semper sollicita fuit, ut saeviente persecutione Martyres baptizarentur, sicuti S. Romanus M. rogabat S. Laurentium: *Festina me baptizare.* 2° Si adultus sit baptizatus, et gravia peccata commiserit, oportet, ut ante Martyrium, si possit, ea Sacerdoti confiteatur: si vero non possit, de illis doleat. Nam praeceptum Confessionis post lapsum est iuris Divini, a quo Martyrium non absolvit: et Tridentinum *Sess. 14. cap. 4.* expresse ait, Contritionem quovis tempore necessariam fuisse ad impetrandam veniam peccatorum. 3° Ut adultus, si possit, SS. Eucharistiam recipiat; nam huius perceptio constitutis in articulo mortis est praecepta iure Divino. Hinc S. Cyprianus *ep. 54.* ait: *Idoneus esse non potest ad Martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad praelium; et mens deficit, quam recepta Eucharistia non erigit et accendit.*

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Qui sibi conscius est peccati mortalis non remissi, cuius ad Martyrium raptus recordatur, tenetur de eo formaliter poenitere, si tempus suppetat, et illud confiteri, si copiam Confessarii habeat, ita ut ad illius iustificationem non sufficiat, aut actus dilectionis Dei super omnia, aut Martyrium libenter susceptum: Benedictus XIV *de can. SS. l. 3. c. 15. n. 10.* 2° Talis tenetur elicere Contritionem per formalem detestationem peccatorum, et dilectionem Dei super omnia, quia in articulo mortis certum prae probabili, scilicet quod sufficiat Attritio, eligere debet. Si tamen subito a persecutore ad mortem raperetur, nec peccatorum recordaretur, illo actu, quo vult ex amore Christi vitam profundere, censetur virtualiter detestari quidquid Deo displicet.

CAP. XI.

De Baptismo flaminis, seu Voto.

Baptismus flaminis iustificat. §. 958. Praeter Martyrium, etiam Baptismus flaminis, seu perfecta Charitas et Contritio includens votum Baptismi aquae, illius vicem supplet in adultis. Nam 1. S. Scriptura Deum invocantibus et

diligentibus salutem promittit: *Ioel.* 2. *Qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Ioan.* 14. *v.* 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum.* Et *Ezech.* 18. *v.* 21. *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis..... vita vivet, et non morietur.* 2. Ita sentiunt PP. S. Ambrosius in *or. fun. Valent.* ait: *Quem in Evangelio regeneraturus eram, amisi, sed ille non amisit gratiam, quam poposcit.... Quod si Martyres suo abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit et voluntas.* Et S. Augnst. *l.* 4. *de Bapt. c.* 22. *Invenio, non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest.* Et S. Bernardus *ep.* 77. aliquem anonymum contrarium sententientem expresse refutat, dicens, *hominem salvari posse cum desiderio percipiendi Sacramentum, si tamen pio adimplendo desiderio mors anticipans, seu alia quaecumque vis invincibilis obviarit.* Hinc in *c. Apostolicam, de Presb. non baptiz.* dicitur: *Si in S. Matris Ecclesiae et Christi nominis confessione perseveraverit, ab originali peccato solutum, et coelestis patriae gaudium esse adeptum, asserimus incunctanter.* Et Trident. *Sess.* 6. *c.* 4. docet, nunqnam fieri translationem a statu veteris Adae ad statum gratiae sine lavacro regenerationis, *aut eius voto.* Merito igitur hanc propositionem Baii damnavit S. Pius V. *Charitas perfecta, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, in Catechumenis et poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.*

Schol. 1. Dices I. Per quinqne prima saecula in Ecclesia Romana et Hispana pro Catechumenis sine Baptismo defunctis preces et sacrificia non offerebantur, nt constat ex S. Leone *ep.* 82. et Concilio Braccarensi *can.* 35. *Resp.* Varia quoad hoc fuit olim Ecclesiae disciplina, et ideo solum pro Catechumenis illis in nonnullis Ecclesiis preces non offerebantur, ne in suscipiendo Baptismo Catechumeni moras traherent, et hoc exemplo deterrerentur. Hic tamen mos non fuit universalis, uti ex S. Ambrosio cit. constat. II. S. Ambrosius *l. de initian. c.* 4. ait: *Credit Catechumenus; sed nisi baptizetur, remissionem peccatorum non potest obtinere.* Et S. Augustinus *tr.* 13. *in Ioan. Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suae portat, nisi cum venerit ad Baptismum.* Et Gennadius *l. de Eccl. dogm. c.* 74. dicit: *Nullum Catechumenum, quamvis in operibus bonis defunctum, vitam aeternam habere credimus, excepto Martyrio. Resp.* S. Ambrosius et S. Augustinus agunt de Catechumenis, qni possunt, sed nolunt, et contemnunt baptizari. Et Gennadius solum vult, Catechnmenum sine Baptismo plenam remissionem quoad poenam non semper habere.

Solvuntur obiectiones.

Schol. 2. Si praeceptum Baptismi cognoscatur, requiritur explicitum votum seu desiderium percipiendi Baptismum, quia Tridentinum et Patres praeter Contritionem, huius voti expresse meminerunt. Si vero praeceptum Baptismi non cognoscatur, sufficit votum implicitum,

Quale votum Baptismi requiratur?

quod semper in perfecta Contritione includitur, quatenus quis vult observare omnia a Christo praecepta. Deinde per votum Baptismi non extinguitur omne debitum poenae temporalis subeundae; unde Ecclesia pro Catechumenis defunctis orat, et Sacrificia offert: contingere tamen potest, ut tantus sit fervor Charitatis, et tanta poenitentiae intensio, ut quis omnis poenae remissionem impetret.

Quando Baptismus erat in praecepto? *Schol.* 3. Baptismus non fuit in praecepto, nisi post passionem et resurrectionem Christi, quia adhuc vigebant legalia ante illam (§ 464 Schol.). Lex Baptismi igitur non prius generaliter obligare coepit, quam fuerit sufficienter promulgata; adeoque ante sufficientem promulgationem homines adhuc per circumcisionem aut remedium legis naturae ab originali mundari poterant: Baptismus tamen eos iam obligare etiam ante promulgationem potuit, quibus Christi mandatum specialiter intimatum fuit, uti Nicodemo: tempus autem solemnis promulgationis Evangelii vulgo computatur a die Pentecostes (§ 464. Schol. 4.). Si qui tamen ab eo tempore invincibiliter legem Baptismi ignoraverint, ii certo violati huius praecepti rei non fuerunt, nec propterea damnati fuerunt, sed propter peccatum originale; et alia peccata actualia.

CAP. XII.

De differentia Baptismi Ioannis a Baptismo Christi.

Baptismus S. Ioannis differt a Baptismo Christi. § 959. Ex hactenus dictis colligitur, quod Baptismus Ioannis diversus fuerit a Baptismo Christi natura et efficacia. Nam 1° Baptismus Ioannis non fuit Sacramentum, uti in Scholio mox subiiciendo probabitur. Deinde non habuit Christum auctorem, quia nunquam in S. Scriptura appellatur Baptismus Christi, sed baptismus Ioannis, ut innuatur, Ioannem non solum fuisse ministrum huius Baptismi, alias enim Baptismus a S. Petro collatus dici potuisset Baptismus Petri; sed S. Ioannem etiam esse illius auctorem, non ita quidem, quasi hic Baptismus non esset coelestis, id est Divino instinctu institutus, cum *Matth.* 21. v. 25. dicatur esse e coelo, sed hoc sensu, quod S. Ioannes illius auctor coelesti et Divino instinctu ad eum instituendum motus fuerit. Rursus Baptismus Ioannis non eamdem formam cum illa Baptismi Christi habuit: tum quia incertum est, an S. Ioannes aliqua verba ad suum Baptismum adhibuerit: tum quia, si illam formam *Act.* 19. v. 4. *Baptizo in eum, qui venturus est*, forte expresserit; illa tamen, quia expressam invocationem SS. Trinitatis non continet, a forma Baptismi Christi essentialiter differt. Imo observat Vossius, S. Ioannem hac forma uti non potuisse, quando Christum, et alios post inceptum Christi ministerium baptizavit; alias enim falsa fuisset eius significatio: et certe si hac forma usus fuisset, Pharisaei eam audientes non ignorassent, S. Ioannem Christum non esse; et si in nomine SS. Trinitatis baptizasset, discipuli ab eo baptizati Spiritum S. cognovissent, quod tamen ipsi negant, *Act.* 19. Ergo Bapti-

smus S. Ioannis a Baptismo Christi diversus fuit, praesertim quia Baptismus Christi parvulos et adultos, ille vero S. Ioannis solos adultos poenitentiae capaces comprehendebat. 2° Baptismus S. Ioannis a Baptismo Christi virtute et efficacia diversus fuit. 1. quia Baptismus S. Ioannis fuit tantum in aqua, Baptismus vero Christi in Spiritu S. uti S. Ioannes ipse testatur, *Marc.* 1. *Ego baptizavi vos in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu S.* ubi S. Ioannes non vult solum discrimen in eo ponere, quod ille sit tantum minister, Christus vero det Spiritum S. uti explicat Calvinus: nam alias non statuisset verum discrimen inter suum et Christi Baptismum, quod tamen vult statuere, quia etiam Apostoli fuerunt tantum ministri Baptismi Christi, et Christus dedit Spiritum S. imo debuisset dicere: *Ille vos baptizavit in Spiritu S.* Nec cum Vossio dici potest, S. Ioannem opponere hic Baptismum Baptismo ignis, quo Apostoli in die Pentecostes per Spiritum S. in linguis igneis descendentem baptizandi dicuntur, *Act.* 1. *v.* 5. maxime quia *Matth.* 3. dicitur: *Ille vos baptizabit in Spiritu S. et igni.* Nam S. Ioannes Baptismum suum non solum opponit futurae effusioni Spiritus S. in die Pentecostes, sed etiam Baptismo, quo Christus ante Ascensionem suam baptizavit, nam ait: *Hic est, qui baptizat in Spiritu S.* 2. Baptismus Ioannis fuit tantum in poenitentiam, ad quam excitabat; non vero in regenerationem, quam non operabatur. Hinc S. Ioannes dicitur praedicasse Baptismum poenitentiae, *Marc.* 1. *v.* 4. et *Matth.* 3. *v.* 3. ipse S. Ioannes ait: *Baptizo vos in aqua in poenitentiam.* 3. Baptizati a Ioanne rursus baptizati fuerunt Baptismo Christi, uti patet *Act.* 19. ubi undecim Ephesii baptizati Ioannis Baptismo, iterum Baptismo Christi baptizati fuerunt. Nec potest dici cum Zwinglio, nomine Baptismi intelligi doctrinam Christi, vel cum Brentio dona Spiritus S. per manus impositionem data: quia hoc est expresse contra naturalem significationem S. contextus, qui etiam manus impositionem a Baptismo aperte distinguit. Multo minus quadrat responsio Bezae dicentis, illa verba *Act.* 19. *v.* 5. *His auditis, baptizati sunt*, non esse verba S. Lucae Historici, sed S. Pauli narrantis, quomodo post praemissam a S. Ioanne doctrinam Ephesii illi a S. Ioanne baptizati fuerint. Nam haec explicatio contorta repugnat contextui, tum quia soli Apostoli in nomine Iesu baptizabant: tum quia soli illi manus imponebant. 3° Accedit communis Patrum. S. Cyrillus *cat.* 3. probat, Baptismum Ioannis tantum differre a Baptismo Christi, quantum Ioannes Christo inferior fuit. S. Cyrillus Alex. *in Ioann.* dicit, ideo Evangelistam hoc discrimen inter Baptismum Ioannis et Christi assignasse, quia praeviderat futuros esse, qui hoc negarent. Idem docent S. Cyprianus *Serm. de Bapt. Christi.* S. Hilarius *in c.* 3. *Matth.* S. Ambrosius *praef. in Ps.* 37. S. Hieronymus *Dial. adv. Lucifer.* Et S. Augustinus *ep.* 48. omnesque scribentes in Acta Apostolorum constanter docent, baptizatos a Ioanne, Baptismo Christi rebaptizatos fuisse. Merito igitur definit Tridentinum *Sess.* 7. *can.* 1. *Si quis dixerit, Baptismum Ioannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.*

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 1. Petilianus Donatista, teste S. August. *l.* 2. *contr. litt. Petil.* Bogomili, teste Euthymio in *Panoplia*, Lutherani et Calvinistae docent, Baptismum S. Ioannis a Baptismo Christi quoad naturam, vim et efficaciam non differre. I. Quia S. Scriptura Baptismo Ioannis eamdem formam *Act.* 19. *v.* 4. in nomine venturi: eamdem materiam, scilicet aquam: eumdem Auctorem Deum, *Matth.* 21. et eumdem effectum, scilicet remissionem peccatorum, *Marc.* 1. tribuit, quam Baptismo Christi: unde etiam non repetebatur Baptismus Ioannis; assignati enim viri Ephesii non vero, sed adulterato a discipulis S. Ioannis eius Baptismo baptizati fuerant, uti docet S. Ambrosius *l. de Spir. S. c.* 3. Optatus *l.* 5. *adv. Parmen.* et Eulogius Alexandrinus *l.* 2. *adv. Novat.* *Responsio* ad hoc argumentum patet ex modo demonstratis. Quod autem Ephesii illi vero Baptismo S. Ioannis baptizati fuerint, patet ex *Act.* 19. *v.* 4. ubi S. Paulus ait: *Ioannes baptizavit Baptismo poenitentiae.* S. Ambrosius et Eulogius contrarium quidem tenent, sed non dicunt, quod baptizati etiam vero Ioannis Baptismo, non fuerint rebaptizandi. Et S. Optatus solum vult, ante resurrectionem illos non fuisse rebaptizandos; bene vero post illam, praecepto Baptismi satis promulgato. II. S. Basilius *t.* 1. *p.* 648. de Baptismo Ioannis ait: *confestim* (baptizatus) *remissionem peccatorum accipiebat.* Et S. Ambrosius *l. de Spir. S. c.* 3. ait: *Ioannes in remissionem peccatorum advenientis Iesu, non in suo baptizabat nomine.* Et Tertull. *de Bapt. c.* 4. *Nec refert quidquam inter eos, quos Ioannes in Iordane, et quos Petrus in Tiberi tinxit.* *Resp.* S. Basilius et S. Ambrosius volunt, remissionem peccatorum vi solius poenitentiae in Ioannis Baptismo datam fuisse. Et Tertullianus comparationem ratione materiae tantum instituit. III. Magister Sententiarum illos tantum a S. Ioanne baptizatos, qui spem ponebant in Baptismo Ioannis, et nescierunt Spiritum S. rebaptizandos esse, docuit. *Resp.* S. Thomas 3. *p. q.* 38. *a.* 6. vocat opinionem omnino irrationabilem.

An Baptismus Ioannis fuerit Sacramentum? *Schol.* 2. Ex his colligi potest, Baptismum S. Ioannis non fuisse verum Sacramentum, tum quia non fuit signum permanens, sed brevissimo duravit tempore; tum quia ex se nullam efficaciam ex opere operato ad delendum peccatum habuit, quia Spiritum S. non conferebat ex dictis.

CAP. XIII.

De Caeremoniis Baptismi.

Patrinus Baptismo adhibendus. § 960. Denique ut Baptismus maiori cum solemnitate pro fidelium utilitate celebretur, Ecclesia nonnullas Caeremonias in eius administratione observandas merito praescripsit, quarum aliae Baptismum praecedunt, aliae comitantur, aliae subsequuntur. Praecedentes sunt: 1ª Assistentia *Patrini*, qui baptizandum e sacro fonte levet, et etiam compater, sponsor, et susceptor vocatur. Hic regulariter sub gravi peccato adhiberi debet, ex perpetua praxi Ecclesiae, cuius testis est

Dionysius *de coel. Hier. c.* 2. S. Iustinus *q.* 56. *ad orthod.* Tertullianus *de Bapt. c.* 18. S. Augustinus *serm.* 215. etc. Et Tridentinum *Sess.* 24. *c.* 2. *de reform. Matrim.* statuit: *Ut unus tantum sive vir, sive mulier iuxta SS. Canonum statuta, vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos et baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, necnon inter baptizantem et baptizatum, baptizatique matrem et patrem tantum spiritualis cognatio contrahatur.*

Coroll. Pract. 1° Ut valide quis exerceat munus Patrini, debet esse compos rationis, quia alias obligationes Patrini implere nequit. Deinde debet esse baptizatus, *c. In Baptismo, d.* 4. *de consecr.* alias enim ad instruendum infantem ineptus erit. Item debet habere intentionem, cum invitus cognationem spiritualem non possit contrahere. Denique debet aliquo modo tangere infantem, uti Tridentinum loco citato requirit. 2° Catholicus in Germania rogatus ab Acatholico, ut sit Patrinus, potest hoc munus suscipere, dummodo minister Acatholicus omnia ad Baptismum requisita rite adhibeat, et Patrinus non teneatur respondere ad quaestiones Catholicae fidei repugnantes: quia Patrinus curam baptizati quoad sanam instructionem solum suscipit. E contra in Baptismo non licet adhibere Patrinum haereticum: quia adest periculum perversionis, et haereticus non est aptus ad instruendum infantem in fide Catholica. 3° Parochus peccat graviter, si solemniter baptizet sine Patrino; si vero baptismus privatim conferatur in casu necessitatis, Patrinus sub peccato necessario non est adhibendus. 4° Vel unus vel una tantum, vel ad summum unus et una possunt esse Patrini: si plures adhibeantur, venialiter saltem peccatur, nisi solum ut testes ad maiorem pompam assistant: ideo Parochus hos duos solum designare, illis baptizatum tradere, et in libro Baptismali ut Patrinos inscribere debet, reliquos vero ut testes: Parochus tamen peccat graviter, et ius parentum laedit, si contra eorum voluntatem alium Patrinum designet. 5° Monachus illicite munus Patrini exercet, *c. Non licet, c.* 30. *d.* 4. *de consecr.* quod de omnibus Claustralibus ad evitandam familiaritatem cum saecularibus P. Layman intelligit. Item moribus infames et censura notati, Patrini esse non possunt. 6° Officium Patrini est: Baptizatum de Sacro fonte levare: pro filiastro, si sit infans, spondere et respondere: cum, si opus sit, in fide rite instruere, nisi parentes in hoc officium suum impleant. Recusare tamen munus Patrini, sine odio et sine scandalo ex rationabili causa, peccatum grave non est.

Resolvuntur casus.

§ 961. Altera Caeremonia Baptismum praecedens est, quod baptizandus paullisper ante vel in atrio Ecclesiae detineatur, quia per Baptismum datur aditus in Ecclesiam.

Caeremoniae Baptismum praecedentes.

3ª Quod nomen alicuius Sancti baptizando imponatur, tum ad tutelam, tum ad imitationem.

4ª Insufflatio in faciem baptizandi, ut significetur, Satanam cum contemptu eiici, et Spiritum S. insufflari: ita S. Augustinus l. 6. *contra Iulian.*

5ª Formatio Crucis in fronte et pectore, ut Christianus fidem suam ore, et corde Iesum crucifixum confiteri non erubescat.

6ª Benedictio salis et impositio in os baptizandi, ut significetur vitae incorruptio, et sapor bonorum operum: quae caeremonia est antiquissima, uti constat ex Concilio Carthaginensi a. 397. *can.* 5.

7ª Saliva aures et nares baptizandi liniuntur, ut vocem Dei audire, et bonum odorem Christianae pietatis percipere incipiat: ita S. Ambrosius *l.* 1. *de Sacram. c.* 1.

8ª Exorcismis daemon a baptizando abigitur, quibus exsufflatio additur, quorum meminit S. Augustinus *l.* 1. *contr. Iul. c.* 5.

9ª Renuntiatio Satanae, operibus et pompis eius: cuius meminit Tertullianus *l. de cor. mil.*

10ª Unguntur Cathecumeni oleo benedicto ante Baptismum in pectore et inter scapulas: ita S. Ambrosius *l.* 1. *de Sacr. c.* 2.

Caeremoniae concomitantes. § 962. Caeremoniae Baptismum concomitantes sunt: 1ª Aquae Baptismalis consecratio, de qua actum est (§ 937.). 2ª Locus ad Baptismum deputatus, scilicet Ecclesia: *Clement. un. de Bapt.* 3ª Tempus, quod olim fuit in Ecclesia Romana et Africana in Vigilia Paschae et Pentecostes, ex Siricio *ep.* 1. *ad Himer.* cui Ecclesia Africana Vigiliam Epiphaniae, teste Victore Utic. *l.* 2. *de persec. Wandal.* et Ecclesia Gallicana diem Nativitatis Domini, et S. Ioannis Baptistae addidit, uti colligitur ex Avito Vien. *ep.* 41. Saeculo 12° haec disciplina in Occidente iam mutata fuit, uti patet ex Ruperto *l.* 4. *de Div. off.* et hodie quovis tempore Baptismus conferri potest. 4ª Trina immersio (§ 938.).

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Excepta necessitate, citra expressam Ordinarii licentiam, in privatis domibus nemo baptizari debet, nisi forte sint personarum illustrium liberi, id ipsis ita deposcentibus, ubi id fiat in eorum Capellis seu Oratoriis, aut aliis locis decenter ad hoc ornatis, et in aqua Baptismali benedicta. Hinc baptizare extra Ecclesiam sine necessitate vel privilegio, est mortale: ut autem liceat domi baptizare, sufficit prudens dubium, coniectura, timor aut praesumptio periculi, ne infans moriatur. 2° Si infans nequeat deferri ad Ecclesiam sine periculo infamiae parentum, vel alio gravi damno, potest solemniter cum praescriptis caeremoniis domi baptizari.

Caeremoniae subsequentes. § 963. Caeremoniae Baptismum subsequentes sunt: 1ª Unctio verticis Chrismate, per quam Charitas et regale Sacerdotium Christi, cuius participes fimus, designatur. 2ª Vestis alba, quae gratiam regenerationis et innocentiam designat. 3ª Candela Cerei ardentis, qui Fidem, Spem et Charitatem non corde tantum, sed etiam opere exerceri debere, demonstrat.

Caeremoniae abrogatae. *Schol.* Olim etiam nonnullae aliae Caeremoniae in Baptismo usitatae fuerunt, quae tamen modo in desuetudinem abierunt. Sic olim 1° adulti post Baptismum susceptum SS. Eucharistiam sub duplici specie, infantes sub specie vini receperunt, teste S. Ambrosio *de initian. c.* 8. 2° Baptizatis lac et mel degustanda tradebantur, ad si-

gnificandam Dei misericordiam et suavitatem Legis Evangelicae: Tertull. *de cor. mil. c.* 3. 3° Sertum capiti baptizatorum imponebatur in symbolum laetitiae et Evangelicae libertatis: S. Nazianz. *or.* 40. 4° Baptizatis dabantur 10. siliquae, id est pecunia, sive vigesima pars solidi, ut ostenderetur servanda esse 10. legis praecepta; uti ait S. Bernardus: dabantur etiam calceamenta, veluti mortis imago, inquit Rupertus *l.* 7. *c.* 1. et cerea Agni coelestis effigies, ut e Christi grege se esse baptizatus cogitaret.

Coroll. Pract. 1° Est peccatum mortale, negligere omnes Caeremonias, vel unam notabilem, v. g. unctionem Chrismatis. 2° Pro solemni administratione Baptismi, praeter vasculum salis benedicti, cum gossypio ad abstergenda loca S. Oleo inuncta, et duas stolas violaceam et albam, requiritur vasculum S. Olei Catechumenorum, quod signatur littera S. vasculum S. Chrismatis signatum littera C: et vasculum S. Olei infirmorum notatum littera I huc non spectat. 3° Si post diem Iovis Sanctum sit baptizandus infans, necdum accepto S. Oleo et Chrismate, potest Baptismus differri, vel urgente necessitate, antiquum S. Chrisma adhiberi. Item fons Baptismalis, necdum allato novo S. Oleo et Chrismate, secundum ritum praescriptum consecretur, excepta commixtione Chrismatis et olei, quae usque ad allatum novum Chrisma et Oleum differatur. Si S. Oleum et Chrisma per annum deficere incipiat, et a proxima Parochia haberi non possit, aliud non benedictum, in minori tamen quantitate, admisceatur. 4° Infanti nomen alicuius Sancti imponi debet: si sexus sit dubius, duplex nomen, v. g. Petrus Maria, imponi potest. 5. Caeremoniae in Baptismo ex necessitate omissae, etiam cum consuetis Exorcismis ad perfectiorem daemonis expulsionem directis, suppleri debent. In haeretico tamen ad fidem converso, non supplentur Caeremoniae Baptismi, ne rudis populus putet, nos eorum Baptismum reiicere: si tamen abesset omne scandalum, suppleri possent. Item si post Baptismum solemniter collatum nullitas eius deprehendatur, adeoque infans rebaptizandus sit, Caeremoniae non repetuntur, nisi aliter consuetudo ferat. 6° Parochus, si ex gravi negligentia nomina baptizatorum libro Baptismali non inscribat, graviter peccat, quia sic testimonium nativitatis legitimae et Baptismi, quod in variis casibus requiritur, dare non potest.

Resolvuntur casus.

TRACTATUS XV.

De Confirmatione.

CAP. I.

De nomine, et notione Confirmationis.

Confirmatio quid? § 964. Secundum Novae Legis Sacramentum est *Confirmatio,* quae est Sacramentum N. L. a Christo Domino institutum, quo baptizatis Spiritus S. robur confertur, ut Christianam fidem firmiter teneant, animoque invicto profiteantur.

Eius nomina. *Schol.* Confirmationem non uno nomine Veteres appellarunt. Vocatur *manus impositio* a S. Augustino *l.* 3. *de Bapt. c.* 16. Rabano et Isidoro. Sacramentum *Chrismatis et Unctionis* vocatur ab eodem S. Augustino *l.* 2. *contr. litt. Petil.* c. 104. *Unguentum, Chrisma spirituale sanctum supercoeleste* appellatur a Graecis, et nonnulli illud vocarunt *Unguentum perenne*, suadentes Bulgaris, Chrisma in eorum patria oriri, et exinde per totum mundum distribui: quod Nicolaus I. rescribens ad consulta Bulgarorum manifestae falsitatis revincit. Hae denominationes desumptae sunt a materia huius Sacramenti. A Charactere, quem imprimit, dicitur *Signaculum Dominicum* a S. Cypriano *ep.* 71. ad *Iubaian. Signaculum spirituale* a S. Ambrosio *l. de initian. c.* 7. *Signaculum vitae aeternae* a S. Leone *Serm.* 4. *de Nat.* Ab effectu dicitur *Perfectio* a Concilio Eliberit. *c.* 38. *Consummatio* a S. Cypriano loc. cit. *Confirmatio* a Concilio Arausicano a. 442. *c.* 1. Arelatensi a. 445. Florentino et Tridentino: imo Ven. Beda *Com. in Ps.* 26. testatur, suo tempore sic dictam fuisse in tota Ecclesia.

CAP. II.

De Sacramento Confirmationis.

Confirmatio est verum Sacramentum. § 965, Confirmatio est verum ac proprie dictum L. N. Sacramentum. Probatur 1. ex S. Scriptura: *Act.* 8. *v.* 14. *et seqq. Cum audissent Apostoli, qui erant Ierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum S. nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum S.* Et *Act.* 19. de baptizatis dicitur: *Cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super eos.* Habemus hic 1. rem sensibilem, scilicet manus impositionem, et orationem. 2. Institutionem Christi, sine qua Apostoli hoc ritu usi non fuissent, nec eum Ecclesiae reliquissent. 3. Gratiam per visibile signum causatam, scilicet virtutem Spiritus S. 4. Signum permanens perpetuo in Ecclesia observatum, uti ex mox dicendis patebit. Ergo verum Sacramentum (§ 889.). Sane non fuisse meram Baptismi Caeremoniam vel ex eo patet, quod eam S. Philippus

baptizans usurpare non poterat. 2° Patet ex traditione. Concilium Illiberit. a. 315. c. 38. statuit, *posse fidelem, qui lavacrum suum habet integrum.... baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum, ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit.* Concilium Laodicenum a. 367. c. 48. *Oportet eos, qui illuminantur, post Baptismum inungi supercoelesti Chrismate.* Florentinum a. 1439 ita habet: *Secundum Sacramentum est Confirmatio.* Et Tridentinum *Sess.* 7. *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam Caeremoniam esse, et non potius verum et proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam Catechesim quamdam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit.* Vide *Summam Conc. Curranz. emend.* 3° Traditio constat ex Summis Pontificibus. S. Cornelius circa a. 250. in *ep. ad Fab.* Novatum redarguit, quod accepto Baptismo, ab Episcopo consignatus non fuerit, et addit: *Hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum S. potuit accipere?* Innocentius I. *ep. ad Decentium* a. 416. data c. 3. ait: *De consignandis autem infantibus manifestum est, non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere.* Ubi certe agit de Sacramento Confirmationis, tum quia unctio Baptismalis a tempore S. Silvestri etiam Presbyteris concessa fuit : tum quia ait: *Haec autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum etc.* S. Leo *Serm.* 10. *de Nat.* ait: *Renati per aquam, et Spiritum S. accepistis Chrisma salutis, et signaculum vitae aeternae.* S. Gregorius M. *l.* 4. *ep.* 9. *Presbyteri baptizandos ungant in pectore, ut Episcopi postea ungere debeant in fronte:* et in libro *Sacramentorum* ordinem administrandae Confirmationis praescribit. 4° Traditio constat ex PP. Saeculo 2° S. Irenaeus *l.* 1. *contr. haer. c.* 18. Gnosticos culpat, quod baptizatos ungant balsamo, Ecclesiae ritum sacrilega imitatione ad se trahentes. Saec. 3° Tertullianus *de Bapt. c.* 7. ait: *Exinde egressi de lavacro perungimur benedicta unctione:* et *c.* 8. *Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans et invitans Spiritum S.* Saec. 4° S. Cyrillus Ierosolymit. tota *Catech.* 3. loquitur de Confirmatione: *Vobis postquam ex aqua S. lavacri ascendistis, datum est Chrisma, quod imaginem gerit illius, quo unctus est Christus; hoc autem est Spiritus S.* S. Ambrosius *l.* 3. *de Sacr. Sequitur spirituale signaculum: quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus S. infunditur.* S. Hieronymus *contr. Lucif. Ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros et Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem Spiritus S. manus impositurus excurrit.* S. Augustinus *l.* 2. *contr. litt. Petil. Sacramentum Chrismatis vultis interpretari: quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* Consentiunt omnes Libri rituales, et Scriptores, qui de Divinis officiis tractarunt, Strabo *de reb. Eccl.* Amalarius *de off. Eccl.* Rabanus *de instit. Cleric.*

Solvuntur obiectiones.

Schol. 1. Donatistae, Novatiani, Waldenses, Wicleffistae iuxta nonnullos Sacramentum Confirmationis reiecerunt, quos tamen alii ab hoc errore absolvunt. Lutherani et Calvinistae illud negant: et Lutherus *de Captiv. Babyl.* docet, Confirmationem solum esse quemdam ritum et Caeremoniam utiliter ab Ecclesia introductam; et ideo ordinem Lutheranae Confirmationis ita describit Kemnitius *p.* 2. *Exam.* 1. Parvuli ad annos discretionis venientes in Catechismo satis instructi offerantur Episcopo, qui eos coram Ecclesia de suo Baptismo et promissionibus factis admoneat. 2. Recitent professionem fidei et doctrinae, quam didicerunt. 3. Interrogentur de praecipuis doctrinae Christianae capitibus, et respondeant. 4. Moneantur, ut hac professione probent, se dissentire ab omnibus ethnicis, haereticis et falsis opinionibus. 5. Graviter admoneantur, ut in hac professione perseverent. 6. Fiat publica oratio pro illis, ut Deus Spiritu S. eos confirmare dignetur, et addi potest manus impositio. Rationes Protestantium sunt: I. Quia in S. Scriptura nulla occurrit Chrismationis mentio; et per Spiritum S. ab Apostolis per manus impositionem datum, non gratia sanctificans, sed donum linguarum et alia charismata intelliguntur. *Resp.* An Chrisma sit materia essentialis huius Sacramenti, in Scholis adhuc lis est, de qua in sequentibus: materia sensibilis satis declaratur per impositionem manuum. Deinde dona illa fuerunt effectus transitorius et accidentarius pro dilatatione et commendatione nascentis Ecclesiae; principalis fuit gratia sanctificans, quae sola nomine Spiritus S. simpliciter, non vero gratiae gratis datae designantur. II. Antiqui PP. huius Sacramenti non meminerunt: nec Ecclesia Graeca illud inter Sacramenta numerat; quia in Euchologiis unum est officium Baptismi et Unctionis, et apud Graecos omnes ab haeresi redeuntes per Unctionem recipiuntur. Nec illud recipit Ecclesia Æthiopica, teste Alvarez in *itinerar.* Armenica, teste Guidone Carmelita, et reliquae per Arabiam, Mesopotamiam, Assyriam, Persiam et Ægyptum diffusae. *Resp.* Patres Confirmationis expresse meminerunt, uti ex dictis patet: Scriptores saeculi primi in refutandis Gentilibus potissimum occupati, de ea loquendi occasionem non habuerunt. Ecclesia Graeca hoc Sacramentum semper agnovit; pro antiqua testatur S. Cyrillus citatus: pro recentiori Simon Thessalonicensis in *l. de Sacr.* Ieremias in *respon.* Gabriel Philadelph Synodus Constantinop. an. 1642. in qua Calvini errores damnantur. Coniungitur vero in Euchologiis cum officio Baptismi, quia statim post Baptismum cum peculiaribus tamen ritibus conferri solebat. Unctio autem in receptione haereticorum adhibita, mera caeremonia fuit. Particulares illae Ecclesiae Schismaticae non evertunt doctrinam Catholicam: imo Æthiopicam Confirmationem recipere, docet Ordo Mysteriorum *tom.* 6. *Bibl. PP.* De armenis testatur Uscanus Episcopus. De Syris, Iacobus de Vitriaco *l.* 1. *hist. c.* 74. De Ægyptiis, professio fidei Matthaei Alex. III. Scriptores saeculi 9[1] eodem loco habent Unctionem Baptismalem factam a Sacerdote, cum illa facta ab

Episcopo in Confirmatione, et unam per aliam suppleri posse dicunt, uti Walafridus, et Rabanus *l. 1. de Instit. Cleric.* Et Scotus et Soto putant, Confirmationem ex S. Scriptura efficaciter probari non posse. *Resp.* Scriptores saeculi 9[1] utramque Unctionem aperte distinguunt: nam Baptismalis fit in vertice; Confirmatoria in fronte. Rabanus, Walafrid. Baptismalis fit per Sacerdotem; Confirmatoria per Episcopum. Ita Rab. Baptismalis non habet adiunctam manus impositionem. Rab. Deinde Auctores illi Scotus et Sotus Confirmationem ut Sacramentum agnoscunt, et eorum singularis opinio de probatione ex S. Scriptura desumpta, communi aliorum Theologorum praeponderare non debet. IV. Spiritus S. in Baptismo datur, ad quid ergo Confirmatio? *Resp.* In Baptismo Spiritus S. datur ad veniam, hic ad pugnam: ibi mundamur ab iniquitatibus, hic virtutibus praemunimur. Ita B. Damian. *Serm. 1. in Dedic. Eccl.*

Schol. 2. Christus immediate et per se instituit Sacramentum Confirmationis, uti patet ex dictis (§ 912.). Quo autem tempore institutum fuerit, incertum est. Bachonius *in 4. d. 7.* putat, illud institutum esse, *Matth. 19.* cum Christus manus pueris imposuit. Sed inter hos pueros fuerunt verosimiliter aliqui non baptizati, et illa manus impositio solum facta fuit ad illis benedicendum et eorum infirmitates curandas. Conink putat, institutum esse, *Ioan. 20.* quando Christus Apostolis dixit: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis, etc.* quia tunc Episcopi ordinati, et illis potestas confirmandi data fuit. Verum tunc solum Spiritus S. ad remittenda peccata datus fuit. Gonet putat, institutum esse in nocte ultimae Coenae, quando Christus iuxta S. Fabianum Apostolos Chrisma conficere docuit. Sed haec nullo firmo fundamento nituntur. Verosimile est, Sacramentum Confirmationis eo tempore institutum fuisse, quo Christus a mortuis redivivus per dies quadraginta cum Apostolis permansit, ubi Christus plura Apostolis revelavit mysteria, et magna confirmata sunt Sacramenta. Quando instituta sit Confirmatio?

CAP. III.

De materia Confirmationis.

§ 966. Materia Sacramenti Confirmationis essentialis est vel manus impositio, vel Chrisma, vel utrumque simul: Nam signum externum sensibile, cui S. Scriptura et constans Traditio tribuit virtutem baptizatis conferendi Spiritum S. seu gratiam roborantem ad fidem intrepide profitendam, est materia Sacramenti Confirmationis (§ 964.), sed hoc signum, est vel manus impositio, vel Chrismatis unctio, vel utrumque simul, uti mox constabit: ergo haec est eius materia. Materia Confirmationis.

Schol. 1. Dictum est, vel manus impositionem, vel Chrismatis unctionem, vel utrumque simul esse materiam essentialem, quia nondum est definitum ab Ecclesia, quaenam ex his determinate sit materia essentialis. Nihil enim de hac materia definivit Florentinum, dum in Decreto dicit, materiam Confirmationis esse unctionem Chri- Quid de ea sit de fide?

smatis, quia non determinat, an sit materia essentialis, an integralis: et nemo ignorat, ea, quae de materia et forma Sacramentorum in hoc Decreto praescribuntur, non semper pertinere ad essentiam eorum, aut saltem non esse de fide. Nihil pariter definivit Tridentinum *Sess.* 7. *can.* 2. ubi solum damnantur haeretici, eos Spiritui S. iniurios esse dicentes, qui Chrismati vim spiritualem adscribunt. An vero Chrisma sit necessarium necessitate Sacramenti, S. Synodus non definit, cui semper solemne fuit, ne controversias scholasticas dirimeret. Salva ergo fide in hac quaestione opinari licet.

Chrisma quid? *Schol.* 2. Chrisma significat aliquam unguenti speciem ex oleo, et aliis quibusdam odoriferis conflatum. Et quidem apud Graecos Chrisma conficitur ex oleo, balsamo, et aliis 33 aromatibus, quae apud Goarum in *Euchol.* videri possunt. Apud Latinos Chrisma ex oleo olivarum et balsamo conficitur.

Quae sit materia essentialis? *Schol.* 3. De materia essentiali Sacramenti Confirmationis Scholae disputant. Sirmondus *Anthirretico* 2. solam manus impositionem, et quidem illam, qua Episcopus manus extendit super confirmandos, et per orationem invocat Spiritum S. dicendo: *Omnipotens etc.* uti habetur in Pontificali Rom. esse materiam essentialem: unctionem vero esse tantum materiam integralem necessitate praecepti, et usu perpetuo Ecclesiae necessariam, ait. E contra Gregorius de Valentia tom. 4. *disput.* 5. docet, Apostolos semper cum impositione manus unctionem Chrismatis adhibuisse; quae sola unctio est adaequata materia essentialis Confirmationis, impositio manus vero materia integralis. Probabilius nobis videtur, materiam essentialem adaequatam et totalem essentialem esse impositionem manuum, tam illam, quae unctionem praecedit, quando Episcopus super confirmandos manus extendit, quam illam cum unctione coniunctam; et ipsam unctionem Chrismatis. 1. De impositione manum testatur S. Scriptura, *Act.* 8. *v.* 17. *Tunc imponebant manus super illos.* Et *Act.* 19. *v.* 6. *Cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S.* Patet etiam ex continua Traditione Ecclesiae Graecae et Latinae. Pro saeculo 2° est S. Irenaeus *l.* 1. *contr. haer. c.* 18. Pro 3° S. Cyprianus *ep.* 73. Pro 4° Concilium Eliberit. *c.* 38. Pro 5° S. Hieronymus, S. Augustinus. Pro 6° Gregorius M. in suo *Sacramentario.* Pro 7° Concilium Hispalense *cap.* 7. Pro 8° Ordo Romanus. Pro 9° Walfridus, Amalarius, Rabanus. Vide § 965. Eodem modo praxim Ecclesiae Graecae ostendit Firmilianus *ep.* 75. inter Cyprian. Saeculo 4° S. Chrysostomus in *Act. Ap. hom.* 18. Saec. 5° Theodoretus *in Ep. ad Hebr. c.* 6. *Per manum sacratam accipiunt gratiam Spiritus.* Saec. 6° Eulogius Alex. *l.* 2. *contr. Novat.* Saec. 9° Photius apud OEcum. Confirmationem per manus impositionem explicat. Saeculo 12° Simeon Thessalonic. *l. de templo* ait: *Per manuum impositionem et insufflationem unguenti gratiam impartitur.* Et Michael Palaeologus in *Prof. fid.* ait: *Aliud est Sacramentum Confirmationis, quod per manuum impositionem Episcopi conferunt.* Ergo impositio manuum est materia es-

sentialis partialis Confirmationis. 2. De unctione Chrismatis etiam patet ex Traditione. Saeculo 2° Tertullianus *de Bapt. c. 7.* ait: *Perungimur benedicta unctione.* Saec. 3° S. Cyprianus ait, *ep. ad Numidas; Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate . . . : habere in se gratiam Christi possit.* Saec. 4° Innocentius I. in *ep. ad Dec.* dicit, Episcopos frontem oleo signare. Saec. 5° S. Augustinus *serm.* 227. *de div.* ait: *Quid ergo significat ignis, hoc est Chrisma? oleum etenim ignis nostri Spiritus S. est Sacramentum.* Saec. 6° S. Gregorius M. in *Sacramentario: Tincto pollice in Chrismate, facit Crucem in fronte.* Chrismatis etiam meminit ex Graecis S. Irenaeus, et S. Cyrillus Ierosol. loc. cit. (§ 965.), et Theodoretus *l. 1. in Cant.* ubi dicit, eos, *qui initiantur, veluti signo aut nota quadam regia spiritualis unguenti Chrismate inunctos.* Denique Florentinum in Decret. ait: *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cuius materia est Chrisma.* Et Tridentinum *Sess.* 7. c. 2. Chrismatis meminit. Ergo Chrismatis unctio est materia essentialis partialis. Non obstat I. quod non fiat mentio Chrismatis in S. Scriptura, et Concilium Moguntinum a. 1549. ac Rhemense a. 1583. dicant, hoc Sacramentum ab initio sola manus impositione exhibitum fuisse. Et Concilium Arausicanum I. iubeat, ut: *Si quis in Baptismo chrismatus non fuerit, in Confirmatione Sacerdos commoneatur, quia inter quoslibet Chrismatis ipsius una benedictio est, non ut praeiudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita Chrismatio. Resp.* Apostoli vel Chrismate usi fuerunt, quia hoc non legitur in aliquo Concilio institutum fuisse, et semper in Ecclesia usurpatum est, et silentium S. Scripturae velut argumentum negativum contrarium non probat: vel, uti vult S. Thomas, Apostoli eo tempore Chrisma non adhibuerunt, quando Spiritus S. visibiliter in specie ignis descendit; bene vero postea, quando haec signa visibilia cessarunt. Eodem modo respondetur ad Concilia citata. Canon vero Arausicanus loquitur de Chrismatione verticali in Baptismo, non vero de illa in Confirmatione. Nonnulli etiam particulam *non* in citato Canone omittunt, et legunt: *Ut necessaria habeatur repetita Chrismatio:* de quo Petrus Aureolus, et Sirmondus multum inter se disputarunt. II. Aqua vino miscenda in calice, licet pro hac mixtione vetustissima stet traditio, tamen solum est de necessitate praecepti. Ergo etiam Chrismatio tantum erit de praecepto, maxime quia non semper eodem modo in usu fuit: tempore enim Tertulliani impositioni manuum praemittebatur, deinde fiebat a Presbytero baptizante, nunc fit ab Episcopo. *Resp.* Traditio etiam docet, mixtionem aquae non esse de necessitate valoris, sed tantum praecepti. Illa variatio fuit tantum accidentalis: an vero Chrismatio Confirmatoria olim a Presbytero facta fuerit, infra examinabitur. III. Graeci non adhibent manus impositionem; et hodie adhuc Episcopi illos ad Confirmationem, et Chrismationem admittunt, qui ad primam et praeviam illam manus impositionem praesentes non fuerunt. *Resp.* Veteres Graeci manus impositionem adhibebant, uti ex dictis patet:

moderni vero praeter orationem, in qua Spiritus S. invocatur, quae inxta S. Augustinum *l.* 3. *de Bapt.* est quaedam manus impositio, manus imponunt, dum Chrismate inungunt. Apud Latinos praevia illa manus impositio saltem est moraliter coniuncta cum ea, quae fit in Chrismatione: quod si praevia illa fiat omnibus confirmandis necdum praesentibus, abusus est, qui tolli debet.

An balsamum sit de necessitate Sacramenti?

Schol. 4. Quaeritur ulterius, an mixtio Balsami in Chrismate sit de necessitate Sacramenti, an tantum de necessitate praecepti. Hic iterum non conveniunt Theologi. D. Tournely putat, non esse de necessitate Sacramenti; tum quia Veteres saepe solius olei meminerunt, apud quos oleum Chrisma dicitur, sicuti Innocentius I. oleum infirmorum Chrisma vocat: tum quia Innocentius III. *c. Pastoralis, de Sacram. non iterand.* consultus, an Confirmatio sine balsamo collata iteranda sit, respondit, nihil esse iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat omissum. E contra Bellarminus, et P. Berti censent, balsamum esse de necessitate Sacramenti, tum quia Florentinum et Tridentinum in balsamo vim gratiae productivam agnoscunt, et Veteres saepe Chrisma ab oleo distinguunt: tum quia in forma huius Sacramenti Chrismatis expressa fit mentio, et in consecratione Chrismatis preces ad consecrandum balsamum specialiter dirigunt. Unde concludit D. Habert, stante hac gravium Theologorum dissensione, Episcopis definiendum esse, quid in suis dioecesibus sentiendum sit: et P. Berti suadet, ut, si balsamum omissum fuerit, Confirmatio cum Chrismate sub conditione iteretur.

Chrisma bene benedicitur.

§ 967. Chrisma ab Episcopo benedictum ad Confirmationem bene adhibetur. Hoc probat 1° Traditio S. Basilius *l. de Spir. S. c.* 27. ait: *Benedicimus Baptismatis aquam, et unctionis oleum: quibus vero Scripturis edocti? nonne a secreta et silente Traditione?* S. Cyprianus *ep.* 70. dicit, *oleum in Altari sanctificari.* S. Cyrillus Ieros. *cat.* 3. *Sanctum unguentum non amplius est unguentum, posteaquam consecratum est, sed Christi Chrisma.* Item Concilium Nicaenum I. consecrationis Chrismatis meminit; et Laodicenum vocat Chrisma sacratissimum: quod idem patet ex omnibus Libris ritualibus, et Scriptoribus, qui de Officiis Divinis tractarunt. 2° Hanc benedictionem rite fieri ab Episcopo, eadem Traditio confirmat, ut constat ex *ep.* Innocentii I. *ad Decent.* et S. Leonis *ad Episc. Germ. et Gall.* Sacramentario S. Gregorii, Ordine Romano, et Graecorum Euchologiis. Idem statuerunt antiqua Concilia. Carthaginense II. *c.* 3. et III. *c.* 36. statuunt, ne Presbyteri Chrisma conficiant. Toletanum I. c. 20. Hispalense II. c. 7. soli Episcopo hanc benedictionem attribuunt. Vid. Witasse *de Conf.* et Benedictum XIV. *de fest. D. die Iovis Sancto.*

Ritus benedicendi Chrisma.

Schol. 1. Consecratio Chrismatis prioribus saeculis omni die fieri potuit, uti patet ex Conc. Tolet. I. *c.* 20. et ideo falsa est Decretalis S. Fabiano adscripta, *c. Litteris, d.* 3. *de consecr.* ubi pro benedictione SS. Oleorum dies Iovis S. assignatur. Consuetudo Chrismatis die Iovis Sancto conficiendi initium sumpsit circa saeculum VII, uti

ex Ordine Romano probat Benedictus XIV. *l. c.* In consecratione Chrismatis hi ritus observantur: 1. funduntur certae preces: 2. fit signum Crucis super oleum et balsamum: 3. Episcopus halat aliquoties super ampullam Chrismatis, ut descensus Spiritus S. super illud denotetur, exemplo Christi, qui etiam in Apostolos insufflavit, *Ioan.* 20. *v.* 22. Chrisma confectum salutatur ab Episcopo et Presbyteris, dicendo: *Ave S. Chrisma.* Quae adoratio tantum est relativa, et ad Christum refertur, cuius symbolum est. Ex quibus facile refelluntur scommata Protestantium, hanc benedictionem calumniantium.

An consecratio Chrismatis sit de necessitate Sacramenti?

Schol. 2. Quaerunt Scholae, an consecratio Chrismatis ab Episcopo facta, sit de necessitate Sacramenti. Affirmat P. Gonet etc. sed probabilius cum D. Tournely negatur, et sola necessitas praecepti statuitur; quia necessitas Sacramenti nec ex S. Scriptura, nec ex Traditione colligitur: nam licet Patres hanc consecrationem agnoverint, nullus tamen eam ad valorem Sacramenti requiri asseruit. Imo consecratio Chrismatis ab Apostolica Sede simplici Presbytero committi potest: nam Concilium Toletanum prohibet quidem Presbyteris confectionem Chrismatis, quae in nonnullis locis in usu erat, nec tamen consecrationem a Presbyteris factam irritam declaravit: et ideo Romani Pontifices dispensarunt cum Missionariis in Indiis, ut ipsi Chrisma conficerent, uti constat ex Bulla Eugenii IV. data a. 1444. pro Fabiano de Bachia O. M. referente Wadingo *tom.* 5. *Ann.* Quia tamen multi Theologi tenent contrarium, ideo pauca huius dispensationis exempla reperiuntur.

Resolvuntur casus.

Coroll. Pract. 1° Omissa prima manus impositione, vel si quis ad illam praesens non fuisset, nobis probabilius videtur, iterandam esse Confirmationem, saltem sub conditione. 2° Oleum in Chrismate debet esse necessario oleum olivarum, quod simpliciter oleum dicitur: balsamum cuiuscumque regionis sufficit, dummodo sit in ea quantitate, ut det sui odorem, licet in singulis partibus olei non sit aliquid balsami. 3° Chrisma in Confirmatione adhibendum debet esse illo anno benedictum; et qui vetus adhibet, graviter peccat, licet valide Sacramentum conficiat. 4° Qui utitur Chrismate ab Episcopo non benedicto, aut solo oleo, peccat graviter, et ob dubium valoris Sacramenti, Confirmatio sub conditione repetenda est. Qui vero in articulo mortis in defectu Chrismatis solo oleo infirmorum aliquem confirmaret, non videtur peccare graviter, si sub conditione hoc faceret. Simplex etiam Presbyter sine commissione Papae ne quidem valide Chrisma consecrat. 5° Materia proxima Confirmationis est unctio Chrismatis, quae debet fieri in fronte, uti patet ex *ep.* Innocentii I. *ad Decent.* et *Sacramentario* S. Gregorii etc. et si fiat in maxilla vel alia corporis parte, invalida est Confirmatio. Deinde debet fieri manu Episcopi, ut sit manus impositio, et quidem debet fieri pollice manus dextrae, et si alio digito fiat, illicita, sed non invalida erit Confirmatio; si vero mediante instrumento fiat, etiam invalida erit. Denique debet fieri in

Crucis figuram, iuxta praxim Ecclesiae; quae figura videtur esse de valore Sacramenti, quia alias forma: *Signo te signo Crucis*, falsificaretur.

CAP. IV.

De forma Confirmationis.

Forma Confirmationis. § 968. Forma Sacramenti Confirmationis sunt verba, quae Episcopus in applicatione materiae pronunciat. Nam forma Sacramenti sunt verba, quae expressius significant, et determinant materiam ad designandum effectum Sacramenti (§ 892. Schol. 1.). Ergo etiam verba, quae profert minister, dum materiam Confirmationis applicat, sunt forma huius Sacramenti.

Quid sit de fide? *Schol.* 1. Studiose dictum est, verba ab Episcopo in administrando et applicando materiam prolata esse formam Sacramenti Confirmationis, non determinando illa: cum enim disputent adhuc inter se Scholastici, an oratio illa, quam fundit Episcopus, dum manus imponit vel extendit versus confirmandos, scil. *Omnipotens sempiterne Deus*, *etc.* an verba illa, quando ungit, scilicet: *Signo te signo Crucis*, *et confirmo te Chrismate salutis*, *in nomine Patris et Filii et Spiritus S.* sint forma essentialis; hinc de fide non est, unam vel alteram, vel utramque determinate esse formam essentialem Confirmationis. Certe Tridentinum hanc quaestionem non definivit, utpote in quo nulla fit materiae vel formae essentialis mentio. et Florentinum non determinat, an forma illa: *Signo te*, *etc.* sit essentialis, an integralis, an de necessitate Sacramenti, vel praecepti. Imo D. Tournely putat, Decretum Eugenii vim definitionis non habere, quia post discessum Graecorum Concilio iam dissoluto editum fuit: de quo tamen hic disputare nolumus.

Quae sit forma essentialis? *Schol.* 2. Sirmondus sicut pro materia Confirmationis solam manus impositionem assignat, ita pro forma essentiali orationem statuit, quam Episcopus extendendo manus fundit, scilicet: *Omnipotens, etc.* illa vero verba ad Chrismationem dici solita: *Signo te, etc.* vult esse formam, ad integritatem Sacramenti solum spectantem. Bellarminus vero, et caeteri, qui pro materia essentiali solam Chrismationem assignant, formam essentialem in solis illis verbis: *Signo te, etc.* reponunt. Conformiter ad dicta (§ 966. Schol.) dicimus, orationem illam unctionem praecedentem: *Omnipotens, etc.* et verba illa, quae illam comitantur: *Signo te signo Crucis*, *et confirmo te Chrismate salutis*, *in nomine P. et F. et S. S.* esse essentialem adaequatam et totalem formam Confirmationis. De oratione unctionem praecedente et cum impositione manuum prima coniuncta, patet ex S. Scriptura, quod Apostoli manus imponendo, *oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum S.* erat igitur deprecatoria orationis forma, qualis hodie est illa oratio: *Omnipotens, etc.* non vero illa: *Signo te, etc.* quae tantum est indicativa. Idem patet ex PP. Tertullianus *de Bapt. c.* 3. *Manus imponitur per benedictionem advocans et invitans Spiritum S.* S. Cypria-

nus *ep.* 73. ait: ut *per nostram orationem, et manus impositionem Spiritum S. consequantur.* S. Ambrosius *de Sacram.* c. 2. *Ad invocationem Spiritus S. infunditur.* S. Augustinus *l.* 15. *de Trin.* c. 26. *Nos quidem pro modulo nostro hoc donum accipere possumus; effundere autem super alios utique non possumus, sed ut fiat, Deum invocamus.* Hinc in omnibus Ritualibus, Pontificalibus et Sacramentariis in administratione Confirmationis oratio praescribitur, uti videre licet apud Goarum in *Euchol.* et P. Marteue *de ant. rit. l.* 1. Deinde verba illa Chrismationem comitantia habentur in Ordine Romano et aliis Ritualibus a Marteue relatis *l.* 2. *de ant. rit.* in quibus licet nonnihil discriminis quoad verba occurrat, sensus tamen ubique idem est: unde etiam haec forma: *Signo te, etc.* in Decreto Eugenii refertur. Non obstat I. quod haec verba : *Signo te, etc.* non sint deprecativa, cum tamen oratio ad Confirmationem a S. Scriptura et PP. expresse requiratur. *Resp.* Praeter illam formam : *Signo te, etc.* nos aliam expressam orationem ex dictis pro forma partiali essentiali admittimus: et in illa: *Signo te, etc.* tacita oratio includitur, qua minister Divinam opem invocat. II. Apud Graecos, teste Martene in *Euchologio t.* 1. *ant. rit.* in uno Templo fit oratio, in altero vero unctio; imo in necessitate omnino omittitur: ergo non est forma essentialis, sed tantum praeparatoria. *Resp.* Oratio et unctio in diversis Templis facta, est una moralis actio, ad idem Sacramentum pertinens. In necessitate non omittitur oratio, licet in *Euchologio* a Martene allato non legatur; forte enim in alio recensetur, et oratio ab ungente fundenda praescribitur, quae praeviam orationem supplere potest. III. S. Grogorius praeter orationem: *Omnipotens, etc.* nullam aliam formam memorat in suo *Sacramentario.* *Resp.* S. Gregorius forte ob disciplinam arcani formam illam reticuit: vel forte in verbis illis: *Confirma eos signo Crucis in vitam propitiatus aeternam*, data fuit unctio: vel haec verba consuetam formam ministro facile in memoriam revocabant.

Schol. 3. Forma Graecorum *Chrismationem* concomitans haec est: *Signaculum doni Spiritus S.* Hanc formam non approbant Lupus *in can. 7. Concilii Constantinop.* Morinus et Cabasilas. Verum hanc Graecorum formam esse omnino validam, patet tum ex eo, quod in Concilio Florentino nullam litem Graecis Latini moverint, et Romae in Templo S. Athanasii inspectante Summo Pontifice Graeci sub hac forma confirment: tum quia in hac forma sufficienter declaratur Character, quo miles Christianus insignitur ad pugnam, et donum Spiritus S. quo in fide roboratur. Ergo haec forma materiam ad esse Sacramentale sufficienter determinat. Non obstat I. quod haec forma perfectum sensum non faciat, et signaculum doni Spiritus S. omnibus Sacramentis sit commune. *Resp.* Formae Graecorum sensus est: Hoc est signaculum doni Spiritus S. Ergo est perfectus. Deinde signaculum in hac forma significat notam impressam σφραγῖδα; et δωρεα non nudam gratiam, sed largitionem donorum denotat. II. Severus

An forma Graecorum sit valida?

Patriarcha Alexand. aliam formam deprecativam in Ordine Baptismali assignat. Et Clemens VIII. in *Instruct. de rit. Graec.* a. 1595. edita, et a Benedicto XIV. confirmata, mandat, ut Episcopi Latini infantes a Graecis Presbyteris baptizatos et Chrismate in fronte consignatos, confirment, et quidem cum hac forma: *Signo te, etc. Resp.* Severus fuit homo Eutychianus, et nullius auctoritatis, et forte accidentaliter solum formam mutavit. Instructio illa dirigitur ad Latinos, in quorum urbibus et dioecesibus Graeci degunt, et iubetur, ne Presbyteri Graeci baptizatos in fronte signent; item ut Latini consignatos a Presbyteris Graecis, qui sine dispensatione confirmationem valide administraro non possunt, forma apud Latinos consueta sub conditione iterum confirment.

Coroll. Pract. 1° Non est omittenda oratio unctioni praevia, quae omnibus confirmandis praesentibus dicenda est; alias Confirmatio sub conditione repeti posset. 2° Haec forma: *Signo te signo Crucis, in nomine P. et F. et S. S.* vel haec: *Confirmo te Chrismate salutis, in nomine P. et F. et S. S.* est dubia, adeoque Confirmatio sub conditione repetenda. 3° Haec verba: *In nomine P. et F. et S. S.* iuxta Theol. Petrocor. sunt essentialia, licet Estius contrarium probabile esse iudicet.

CAP. V.

De Ministro Confirmationis.

Minister Confirmationis

§ 969. Minister ordinarius Sacramenti Confirmationis est solus Episcopus. Ita 1° constat ex S. Scriptura, ubi *Act.* 8. soli Episcopi sive Apostoli Neophytis manus imponebant ad accipiendum Spiritum S. quod Philippus facere non poterat. 2° Patet ex traditione, de qua testantur Concilia: Eliberitanum *c.* 77. *Episcopus eos per benedictionem perficere debet.* Florentinum: *Ordinarius minister est Episcopus.* Tridentinum *Sess.* 7. *can.* 3. *Si quis dixerit, Sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Accedunt Summi Pontifices; Innocentius I. *ep. ad Decent. De consignandis infantibus manifestum est, non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere.* S. Leo *ep.* 88. *Chorepiscopis non licet Chrismate baptizatorum frontes signare, quia haec solis Episcopis conveniunt.* Nicolaus I. iussit, confirmatos a Graecis Presbyteris denuo confirmari: eumdem abusum damnavit Innocentius III. *ep. ad Luci.* Gregorius IX. *c. Pervenit, de Consuet.* Innocentius IV. *ad Othon. Card.* et Clemens VIII. vult, Confirmationem iterari, si dubitetur, an ab Episcopo data fuerit. Denique subscribunt PP. S. Cyprianus *ep.* 73. dicit, *eos, qui in Ecclesia baptizantur, Praepositis Ecclesiae offerri, ut Spiritum S. consequantur.* S. Hieronymus *contr. Lucif.* inquit, *hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut Episcopi excurrant ad eos, qui in minoribus urbibus sunt baptizati, ut eis manum imponant.* S. Chrysostomus *hom.* 18. *in Acta Ap.* ait: *Hoc erat in*

Apostolis singulare, unde et praecipuos, et non alios videmus hoc facere.

Schol. 1. Saeculo 5° nonnulli Presbyteri Eugubini id iuris sibi assumpserunt, ut propria auctoritate Sacramentum Confirmationis administrarent. Sed eorum audaciam repressit Innocentius I. *ep. ad Decent.* quod et fecit S. Gregorius M. in *ep. ad Ianuar.* contra Presbyteros Ecclesiae Calaritanae; et Concilium Hispalense II. abusum sustulit, quo Agapius Cordubensis Episcopus frequenter licentiam Presbyteris confirmandi indulsit. Item Synodus Parisiensis VI. an. 819. Chorepiscopos officium confirmandi velut proprium sibi arrogantes compescuit. Graeci etiam Schismatici duce Photio Patriarcha Constantinopolitano contenderunt, ius confirmandi ad simplices etiam Presbyteros spectare; quorum errorem aversatus Nicolaus I. confirmatos a Photianis Presbyteris Bulgaros denuo confirmari iussit. Non omnes Graeci Schismatici hodie hunc errorem sequuntur, uti patet ex Simeone Thessalonicensi *l. de Sacr.* Blastrio *in Nomocanone.* Waldenses, Wicleffitae, et Hussitae negant etiam, munus confirmandi ad solos Episcopos pertinere; et Richardus Rodulphus Episcopus Armachanus *l. 11. c. 14. contra err. Armen.* putat, officium confirmandi Episcopis et Presbyteris vi potestatis Ordinis esse commune, licet postea lege Ecclesiastica Episcopis reservatum fuerit; unde Presbyter confirmando graviter quidem peccat, valide tamen confirmat. Rationes horum sunt I. *Act.* 9. Ananias Presbyter Saulo impositione manuum Spiritum S. dedit. *Resp.* Haec impositio manuum non fuit confirmatoria, quia Saulus necdum baptizatus erat, sed tantum, ut visum reciperet, et ad Spiritum S. in Baptismo recipiendum disponeretur. II. S. Ambrosius *de myst. c.* 6. ait, *unctionem unguenti fieri a Sacerdote.* Et S. Hieronymus *dial. adv. Lucif.* ait, Episcopos ex consuetudine, non ex necessitate esse ministros Confirmationis: *Si enim ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus S. defluit, lugendi sunt, qui in remotioribus locis per Presbyteros baptizati ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur.* Et *ep.* 101. *Quid enim facit excepta Ordinatione Episcopus, quod non facit Presbyter?* Et Ven. Beda *in Ps.* 26. ait, Confirmationem eamdem esse cum unctione verticali, licet singulis Sacerdotibus concessa non sit propter arrogantiam. Et S. Silvester iuxta Pontificale Damasi primus constituit, ut solus Episcopus Chrisma conficiat, et confirmet. *Resp.* S. Ambrosius nomine Sacerdotis Episcopum intelligit, ut notant nostri PP. S. Mauri. S. Hieronymus loquitur de consuetudine traditioni innixa; nam ita habet: *Quod si hoc loco quaeris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum S.... disce, hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus S. ad Apostolos descendit.* Nec officit, quod dicat, id factum ad honorem potius Sacerdotii, quam ad legis necessitatem; nam solum innuit, Confirmationem ideo esse reservatam Episcopis, quia non est tantae necessitatis, sicut Baptismus. Quando vero dicit, Episcopum praeter

Solvuntur obiectiones

Ordinationem nihil posse, quod non facit Presbyter, non omnia officia Episcopi recenset, sed ea solum, quae serviunt ad scopum suum, nempe ut Diaconorum Presbyteris se exaequantium superbiam retundat; ubi etiam videtur respexisse ad consuetudinem Ecclesiae Alexandrinae, ubi Presbyteri ex permissione Episcoporum confirmabant. Ven. Beda vult, unctionem verticalem eamdem esse cum confirmatoria solum quantum ad materiam; aperte enim utramque distinguit in *c.* 8. *Act.* dicens: ***Chrismate baptizatos ungere licet Presbyteris.... non tamen frontem ex eodem oleo consignare, quod solis debetur Episcopis, cum tradant Spiritum*** S. Pontificale Damasi Criticis est sublestae fidei, et solum vult, quod S. Silvester ius confirmandi Episcopis contra pravam aliorum usurpationem a Christo illis concessum vindicaverit. III. Concilium Illiberitanum *c.* 38. mandat, ut baptizatus a Diacono per manus impositionem perficiatur. Carthaginense II. *c.* 3. et III. *c.* 36. vetat, ne Presbyteri Chrisma conficiant; adeoque antea confecerunt. Et Arausicanum vult, haereticos in mortis articulo a Presbyteris Chrismate consignari. Hispalense vero dicit, novellis Ecclesiasticis regulis Chrismationem Presbyteris esse prohibitam. ***Resp.*** Concilium Illiberitanem pro ministro Episcopum expresse assignat. Carthaginense praesumptionem Presbyterorum ius confirmandi male sibi arrogantium refellit. Arausicanum loquitur de Chrismatione, cum qua haeretici ad Ecclesiam redeuntes recipiebantur. Hispalense non solum novellis, sed et antiquis regulis Chrismationem Presbyteris prohibitam esse dicit, *quia Pontificatus apicem non habent.* IV. Nunc et iam olim Graeci Presbyteri confirmabant. ***Resp.*** Non potestate ordinaria, sed extraordinaria ex tacito Romanae Ecclesiae consensu.

An simplex Sacerdos ex dispensatione confirmare possit?

Schol. 2. Quaeritur in Scholis, an simplex Presbyter ex dispensatione possit esse extraordinarius Confirmationis minister. Negant Hugo Victorinus *l.* 2. *de Sacr.* Estius et Sambovius. Affirmat Baronius, qui putat, hoc esse de fide; verum cum Ecclesia hactenus nihil circa hanc quaestionem definiverit, hinc haec quaestio ad fidem non spectat, ad quam respondetur: etiam simplex Sacerdos potest ex dispensatione sive extraordinaria facultate conferre Sacramentum Confirmationis. Nam 1. Florentinum in Decreto ait: ***Legitur tamen, aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Sacramentum.*** 2. Hanc licentiam re vera Summi Pontifices simplicibus Presbyteris concesserunt. Sic S. Gregorius M. *ep.* 26. hoc privilegium concessit Presbyteris Sardiniensibus, ut in frontibus tangerent baptizandos, vel uti alii legunt, baptizatos. Idem privilegium Franciscanis in Indiis degentibus concessit Hadrianus V. Ioannes XXII. Nicolaus IV. Urbanus V. et Eugenius IV. quod confirmavit Leo X. teste Wadingo in *annal.* Et Arcudius *l.* 2. *c.* 15. *de Confirm.* narrat, se accepisse a P. Fonseca, ex Indiis Romam ad Comitia generalia S. j. a. 1593 misso, quod passim in Indiis hoc Sacramentum ex indulto Romani Pontificis administretur. Non obstat

1. quod Nicolaus I. confirmatos a Graecis Presbyteris iterum confirmari iusserit. Et Innocentius III. *c. Quanto, de consuet.* ac Innocentius IV. in Constitutione: *Sub Catholicae*, Presbyteris expresse Confirmationem interdicat. *Resp.* Nicolaus solum iterum confirmari iussit confirmatos a Photii Emissariis, qui utpote invasor hanc licentiam in terris Romanae Sedi subiectis, reclamante Summo Pontifice, eis nec dare poterat; imo contendebat, quod Presbyteri ordinariam ad hoc potestatem habeant. Decretum Innocentii III. spectat ad solos Presbyteros Romanos seu Latinos Constantinopoli degentes, uti legitur in editione Antuerpiensi. Innocentius IV. iubet tantum, ut in Insula Cypri sola Episcopi tantum confirmarent, non vero in reliquis Ecclesiis Orientalibus. III. Potestas confirmandi competit Episcopo ratione Ordinis et Characteris Episcopalis: ergo simplici Presbytero delegari nequit. *Resp.* Episcopus ex propria consecratione habet, quod sit minister ordinarius; et Presbyter ex consecratione Sacerdotali, quod possit esse minister extraordinarius, cuius ratio est voluntas Christi nobis per Ecclesiam declarata.

Schol. 3. Quaeritur ulterius, an, ut simplex Presbyter valide confirmet, requiratur delegatio Summi Pontificis, an vero delegatio Episcopi sufficiat. Respondetur, requiri delegationem Summi Pontificis. 1. Quia Confirmatio pertinet ad Ordinem Episcopalem, saltem ut sit ordinarius eius minister. Sed quae sunt Ordinis Episcopalis, Episcopus simplici Sacerdoti delegare nequit; alias etiam potestatem ordinandi alteri delegare posset. Ergo Confirmationem simplici Sacerdoti delegare nequit. 2. Clemens VI. in litteris ad Patriarcham Armenorum dicit: *Si credis, quod solum per Romanum Pontificem plenitudinem potestatis habentem possit dispensatio Sacramenti Confirmationis Presbyteris, qui non sunt Episcopi, committi.* Et Benedictus XIV. irritas declaravit Confirmationes ab Italo-Graecis Presbyteris collatas: *Cum neque per Praedecessores nostros, neque per nos Graecis Presbyteris in Italia et in insulis adiacentibus, ut infantibus baptizatis Sacramentum Confirmationis conferant, facultas concessa sit aut concedatur.* Non obstat, quod Salmeron obiicit I. Chorepiscopi olim in Occidente sine commissione Papae confirmarunt; et Conc. Toletanum I. statuit, Presbyteros absente Episcopo chrismare; eo autem praesente, si ab ipso praeceptum fuerit. Et Conc. Epaonense Presbyteris Chrismationem in articulo mortis concedit. *Resp.* Chorepiscopis facultas confirmandi saepe negata fuit; nonnulli vero licentiam Papae obtinuerunt, vel forte unctio illa non erat confirmatoria. Toletanum loquitur de Chrismatione Baptismali: et Epaonense, de reconciliatoria. II. Episcopus est Pastor ordinarius in sua dioecesi. Ergo sicuti Papa in toto orbe, ita in sua dioecesi munus confirmandi Presbytero delegare potest. *Resp.* Ad hanc delegationem requiritur plenitudo potestatis, quam Episcopus non habet.

Quis potestatem confirmandi Presbytero delegare possit?

Coroll. Pract. 1° Licet causa gravis requiratur, ut Papa simplici Presbytero munus confirmandi committat, valide tamen committit.

Resolvuntur casus.

2° Confirmatio data a Sacerdotibus Graecis in iis tantum locis, ubi non est a Papa prohibita, est valida: ubi vero expresse est prohibita, uti apud Bulgaros, Cyprios, Italo-Graecos, est invalida. 3° Ad Sacramentum Confirmationis licite conferendum requiritur iurisdictio; et hinc Episcopus alios sibi non subditos confirmans graviter peccat, nisi fiat cum consensu tacito proprii Episcopi; hinc licet ex aliena dioecesi accurrentes confirmare, ubi id consuetudo permittit. 4° Concessis dimissoriis ad Ordines ab alieno Episcopo recipiendos, concessa etiam praesumitur facultas Ordinandum confirmandi, quia sine Confirmatione convenienter ad Ordines non pervenitur. 5° Episcopus peccat mortaliter, si longo tempore Sacramentum Confirmationis administrare omittat. Tenetur autem suis sumptibus dioecesim ad confirmandum circumire, nisi consuetudo rationabilis aliquid exigere permittat. 6° Sacramentum Confirmationis ordinarie in Ecclesia conferri debet; non tamen requiritur, ut Episcopus ieiunus illud conferat, quia *c. Ut ieiuni, de consecr. d.* 5. habet solum vim consilii; unde etiam a prandio ex iusta causa, et etiam die feriali conferri potest.

CAP. VI.

De subiecto Confirmationis.

Subiectum Confirmationis.

§ 970. Subiectum Confirmationis capax, est omnis homo baptizatus. Patet hoc ex praxi totius Ecclesiae, quae semper omnibus baptizatis hoc Sacramentum contulit; et quidem olim statim post Baptismum etiam infantibus hoc Sacramentum administrabatur, uti patet ex *ep.* 1. Innocentii I. *Sacramentario* S. Gregorii, et Ordine Romano: quem ritum Graeci adeo pertinaciter observant, ut sine eo de puerorum salute desperare videantur.

An ritus recipiendi olim haereticos fuerit Confirmatio?

Schol. Cum olim haeretici ad Ecclesiam revertentes per manuum impositionem aut unctionem recepti fuerint, hinc quaeritur, an haec verum Sacramentum Confirmationis fuerit. Sirmondus in 2. *Antirrhetico c.* 5. putat, haereticos per manus impositionem confirmatoriam receptos fuisse. Morinus vero *l.* 9. *de poen. c.* 7. vult, confirmatos ab haereticis invalide fuisse confirmatos, non praecise ex defectu fidei, sed quia Ecclesia ad valorem huius Sacramenti apposuit hanc conditionem, ut nonnisi ab Orthodoxo valide conferatur, sicuti ad valorem Matrimonii requisivit praesentiam Parochi et duorum testium. Haeretici vero in Ecclesia confirmati, et deinde in haeresim prolapsi, tantum per manus impositionem reconciliatoriam recepti fuerunt. Respondetur: Ritus, quo olim haeretici in Ecclesiam recipiebantur, non erat verum Sacramentum Confirmationis, sed sola Caeremonia Ecclesiastica. 1. Quia S. Stephanus de his haereticis ait: *Manus illis imponatur in poenitentiam.* Et Innocentius I. *ep.* 18. ait, Arianos baptizatos in haeresi suscipi in Ecclesia *per manus impositionem sub imagine poenitentiae.* Item haec manuum impositio vocatur *Reconciliatio* in libro Pontificali, de Eusebio P. in antiquo breviario fidei

contra Arianos edito a Sirmondo p. 131. in litteris Ruffini *ad Macar.* et aliis monumentis a Lupo collectis. 2. Haec manus impositio non conferebat Spiritum S. ex opere operato, sed tantum ratione unionis et pacis, per quam Sacramenta iam suscepta prodesse incipiunt seu reviviscunt, uti ait S. Augustinus *l.* 3. *de Bapt. c.* 13. et iuxta S. Cyprianum confirmati in Ecclesia et lapsi solum per manus impositionem in poenitentiam recipiebantur, *ep.* 71. *ad Quintum*: ergo non erat Sacramentum Confirmationis. Dices I. Concilium Constantinopolitanum I. *c.* 7. decernit, haereticos recipi cum Chrismatione frontis cum hac forma: *Signaculum doni Spiritus S.* Quod idem statuitur in *Euchologio* Graecorum apud Goarum. *Resp.* Sermo ibi est de haereticis nondum confirmatis, vel formam adulterantibus: vel materia et forma Confirmationis adhibebatur quidem, sed non ad robur dandum, verum ad pacem cum Ecclesia conciliandam. Notat quippe Goarus, Graecos etiam in variis casibus ungere sanos cum materia et forma Extremae Unctionis; quem tamen ritum pro mera Caeremonia habent. II. S. Augustinus *l.* 3. *de Bapt. c.* 16. ait: *Manus autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest, quid est aliud, quam oratio super hominem?* quae utique est confirmatoria. *Resp.* S. Augustinus loquitur de manus impositione in genere tum confirmatoria, tum reconciliatoria; primam negat repeti posse, bene vero secundam, ut probet, iustificationem post Baptismum in Ecclesia esse possibilem per poenitentiam. III. S. Cyprianus in *ep. ad Iubaian.* ostendit, Baptismum haereticorum esse iterandum, quia in redeuntibus haereticis iteratur Confirmatio. Et in *ep. ad S. Stephanum* ait, tunc redeuntes ad Ecclesiam sanctificari, si utroque Sacramento nascantur. Sane si S. Cyprianus hic de Sacramento Confirmationis non loquatur, ex hoc S. D. testimonium pro hoc Sacramento nullum supererit. *Resp.* S. Cyprianus hic non loquitur de Confirmatione, sed reconciliatione: falso quippe putavit, S. Stephanum docere, Baptismum in haeresi susceptum dare remissionem peccatorum, ex quo intulit: *Quare redeuntes ad Ecclesiam expiantur impositione manus? ut sanctificentur? nunquid potest haberi absque Spiritu S. peccatorum remissio?* Ergo in Baptismo non recipiebant Spiritum S. adeoque nec Baptismum: ubi vides, sermonem esse de manus impositione reconciliatoria. Hinc nomine utriusque Sacramenti intelligit Sacramentum tantum seu aquam, et rem Sacramenti seu gratiam, vel intelligit Baptismum et Poenitentiam. Licet autem S. Cyprianus hic de Sacramento Confirmationis non loquatur, alibi tamen *ep.* 73. loquens de manus impositione a Petro et Ioanne facta, aperte eam astruit, dicens: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Praepositis Ecclesiae offerantur, ut per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum S. consequantur, et signaculo Dominico consummentur.*

Coroll. Pract. 1° Amentes, qui semel usum rationis habuerunt, confirmari debent, quia adest intentio saltem interpretativa, nisi constet, eos in peccato mortali in amentiam incidisse: si spes sit, eos ab Resolvuntur casus.

amentia curatum iri, tantisper expectari debet: imo etiam perpetuo amentes confirmandi sunt, sicuti et baptizandi, nisi consuetudo in aliquo loco sit contraria. 2° Ordinarie in subiecto septennium expectari debet, iuxta statuta Conciliorum a Martene collectorum *de ant. rit.* *c.* 2. ut cum maiori devotione et fructu hoc Sacramentum recipiatur, nisi constet ante septennium rationis usum adesse, vel non sit futura occasio illud recipiendi, vel puer sit in articulo mortis: ultra septennium non diu differri debet, quia ab innocente dignius recipitur, et ille a gravioribus lapsibus praeservatur. 3° Ut licite hoc Sacramentum recipiatur, requiritur in subiecto status gratiae, quia est Sacramentum vivorum; et licet sufficiat in gravi peccatore Contritio, tutius tamen praemittitur Confessio. Item requiritur sufficiens instructio in Catechismo, et monendi sunt fideles, ut ieiuni ad hoc Sacramentum, sine obligatione tamen, accedant.

CAP. VII.

De effectibus Confirmationis.

Effectus Confirmationis.

§ 971: 1. Effectus Sacramenti Confirmationis primarius est gratia sanctificans. Ita habetur *Act.* 4. *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum* S. Missio autem et communicatio Spiritus S. non est sine gratia sanctificante. Deinde omnia Sacramenta N. L. producunt gratiam sanctificantem (§ 907.). Sed Confirmatio est Sacramentum N. L. (§ 965.). Ergo producit gratiam sanctificantem.

2. Porro gratia Sacramenti Confirmationis propria est gratia roboris ac virtutis ad fidem fortiter propugnandam, et vincendas insurgentes contra eam mundi et daemonis tentationes. Nam c. 38. Concilii Eliberitani dicitur, baptizatos per Confirmationem perfici. Et Concilium Florentinum dicit: *Effectus huius Sacramenti est, quia in eo Spiritus S. datur ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur Nomen.* Tertullianus *de resurr. c.* 8. *Signatur caro, ut anima muniatur.* S. Cyrillus Ieros. *cat.* 3. *Chrismate inungimur, ut induti thoracem iustitiae fortiter adversus insidias diaboli consistamus.* S. Encherius *Serm. de Pentecost.* *In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam.*

Solvuntur obiectiones.

Schol. 1. Dicunt Protestantes I. In Baptismo sufficienter roboramur ad fidem propugnandam, et Christum induimus, *ad Gal.* 3. Ergo non datur gratia in Confirmatione. *Resp.* Gratiae Baptismali nova et uberior per Confirmationem gratia additur; quod tam parum iniuriosum est gratiae Baptismali, quam parum obest, quod haec etiam per Eucharistiam augeatur, et perficiatur. II. Concilium Milevitanum damnat eos, qui dicunt, Baptismum in remissionem peccatorum dari tantum, et non in adiutorium futurae gratiae. *Resp.* Illi solum damnantur, qui omnem Baptismi virtutem in remissione peccatorum constituunt, exclusis interioris gratiae auxiliis. III. S. Cyprianus *ep.*

54. *ad Cornel.* vim pugnandi contra hostes fidei tribuit SS. Eucharistiae: *Quomodo ad Martyrii poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini iure communitatis admittimus? Resp.* S. Cyprianus agit ibi de lapsis, quibus post perditam Baptismi et Confirmationis gratiam unum superest Poenitentiae et Eucharistiae remedium ad sufferendam fortiter pro Christo mortem; adeoque virtutem Baptismi et Confirmationis ad sufferendum Martyrium non excludit. Ex quibus omnibus colligi potest, gratiam seu effectum Sacramenti Confirmationis a gratia Baptismali non esse aliam, si consideretur gratia in hoc Sacramento collata quantum ad id, quod est commune, sed illa tantum augetur: si vero consideretur, quantum ad speciale, quod superaddit, scilicet ius ad specialia auxilia, ad fidem fortiter defendendam, sic non est eadem cum illa, sed connotative differt; imo absolute loquendo gratia Baptismalis est perfectior, utpote regenerans: eatenus tamen gratia Confirmationis perfectior dici potest, quatenus gratia Baptismali supposita melius est, si homo reddatur fortis et robustus, quam si vivat infirmus et imbecillis.

Schol. 2. Morinus *l.* 9. *de poenit. c.* 11. docet, Confirmationem haeretico post abiuratam haeresim collatam causare in eo primam gratiam. Verum haec sententia est contra torrentem Theologorum, qui docent, quod haereticis resipiscentibus Confirmatio sine Contritione primam gratiam conferre non possit: tum quia gratia Sacramenti Confirmationis est gratia roborans, quae spiritualem vitam iam supponit: tum quia alias Sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum non esset necessarium ad salutem, sicuti nondum regeneratis Baptismus, si per Confirmationem sine Sacramento Poenitentiae in re vel voto posset aliquis consequi remissionem peccatorum. Quod tamen est contra Tridentinum *Sess.* 14. *can.* 2. Non obstat I. quod multi Theologi doceant, Sacramenta vivorum per accidens posse causare primam gratiam (§ 908. Schol. 2.). *Resp.* Sed hoc non potest Sacramentum vivorum praestare in eo, qui gravis sibi peccati conscius est, nisi conteratur, qualis est haereticus. II. Baptismus, qui in haeresi gratiam non producit, per Confirmationem reviviscit: ergo haec dat primam gratiam. *Resp.* Baptismus reviviscit, sed tunc, quando fictio per Confessionem vel Contritionem tollitur, nec Confirmatio facit, ut in baptizato deleantur peccata, sed ut iis remissis baptizatus in fide roboretur. **An Confirmatio haereticis conferat primam gratiam?**

§ 972. Alter effectus Sacramenti Confirmationis est, quod imprimat Characterem, unde iterari non potest. Nam 1° *ad Hebr.* 6. *v.* 1. dicitur: *Non rursus iacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis, et fidei ad Deum, baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum.* Quae verba Patres Graeci de Confirmatione exponunt. Item *v.* 4. *Impossibile est, eos, qui semel illuminati sunt Spiritu S. et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam.* Id est fieri non potest, ut homo per Baptismum illuminatus, manuum impositione consignatus, et Spiritus S. particeps effectus, si lapsus fuerit, per Baptismum denuo purgetur et renovetur, aut manuum impositione accepta Spiritus **Confirmationis Character**

S. particeps fiat. Vide S. Chrysostomum in hunc locum. 2° Tertullianus *de praescript.* ostendit, Christianos Confirmatione velut milites signari non solum in frontibus, sed etiam in corde. S. Cyprianus *ep.* 73. confirmatos *signaculo Dominico consummari*, ait. S. Ambrosius *de Sacr. c.* 2. Confirmationem appellat *spirituale signaculum*. S. Augustinus *l.* 2. *contr. litt. Petil. c.* 104. Confirmationem Baptismo comparat, eamque docet permanere in hominibus pessimis, cur? nisi ob Characterem. 3° S. Gregorius M. *l.* 14. *ep.* 17. S. Gregorius II. *ep. ad Bonif.* Concilium Cabillonense II. prohibent confirmationem iterari. Concilium Florentinum et Tridentinum definiunt, Confirmationem imprimere Characterem, et iterari non posse. Vide dicta § 941. Et ratio est, quia Confirmatio confertur per modum consecrationis; res autem semel consecrata semper talis permanet.

Schol. Praeter haereticos omnem Characterem Sacramentalem negantes (§ 941. Schol.), Armenopolus in *Schol. ad can.* 47. *Apost.* Iob Monachus, Nicolaus Cabasilas, et Gabriel Philadelph. apud Arcudium in *Concordia l.* 2. *c.* 18. tenent, Confirmationem iterari posse, nec Characterem imprimere. Sed eorum sententia ex dictis refutatur, nec eis suffragatur, quod olim haeretici ad Ecclesiam redeuntes per Unctionem et manus impositionem recepti fuerint; quia haec Unctio ex dictis non fuit confirmatoria, sed reconciliatoria (§ 970. Schol.). Porro inter Characterem Baptismi et Confirmationis datur connotativa aliqua distinctio, quia per illum datur potestas ad spirituale certamen pertinens, et nota spiritualis militiae.

CAP. VIII.

De necessitate Confirmationis.

Necessitas. § 973. Sacramentum Confirmationis non est necessarium necessitate medii ad salutem. Nam Concilium Eliberitanum *can.* 77. ait, quod si quis, antequam per Episcopum per benedictionem perfectus sit, de saeculo recesserit, sub fide, qua quis credidit, possit esse iustus. Et Hilarius Arelat. *Serm. de Pentec. Continuo transituris sufficiunt regenerationis beneficia.* Ratio est: Per Baptismum omnia peccata perfecte delentur (§ 951.). Ergo sine Confirmatione homo salvari potest.

An detur praeceptum Confirmationis? *Schol.* Quaeritur, an detur praeceptum Divinum vel Ecclesiasticum obligans fideles per se sub peccato gravi ad suscipiendam Confirmationem. Tournely et Habert grave praeceptum agnoscunt. Alii vero communius negant, tale praeceptum per se dari, quia hoc neque ex S. Scriptura, neque ex Traditione colligitur: imo praxis Ecclesiae contradicit, cum adulti in articulo mortis constituti necdum confirmati hoc Sacramentum non percipiant, ad quod tamen supposito praecepto obligarentur. Non obstat I. quod Christus Apostolis *Act.* 1. praeceperit, ne a Ierosolymis recederent, sed expectarent promissionem Patris. Et *Act.* 8. Apostoli satis solliciti fuerunt, ne cui hoc Sacra-

mentum deesset. *Resp.* Haec solum probant, primis Ecclesiae temporibus Apostolos et fideles pro defendenda fide hoc Sacramento quam maxime indiguisse, adeo ut per accidens hoc illis necessarium fuerit, ne in persecutionibus deficerent. Sollicitudo Apostolorum in eo administrando fervorem eorum, non vero praeceptum per se denotat. II. Concilium Eliberitanum *c.* 38. Laodicenum *c.* 48. iubent, hoc Sacramentum suscipi: item plures Patres, S. Cyprianus *ep.* 71. etc. *Resp.* Concilia vim et utilitatem Confirmationis per verba quasi praeceptiva exprimunt. Et SS. Patres illud solum ad plenitudinem hominis Christiani requirunt, et tempore persecutionum necessarium fuisse asserunt. III. Tenetur quilibet sibi consulere, ut tentationes vincat contra fidem, quod fit per Confirmationem. *Resp.* Sufficienter cuilibet per gratiam Baptismalem, dona et auxilia provisum est; per Confirmationem vero speciales gratiae adduntur, ad quas obtinendas nemo per se tenetur, nisi tales sint circumstantiae, ubi illa gratia Baptismalis non sufficeret, in quo casu Confirmatio graviter praecepta foret.

Coroll. Pract. 1° Sacramentum Confirmationis est de praecepto praemittendum primae Tonsurae, et aliis Ordinibus: Trident. *Sess.* 23. *c.* 4. *de ref.* Quia tamen Tridentinum non indicat praeceptum grave, ideo P. Layman putat, suscipientem Ordines sine Confirmatione peccare solum venialiter. 2° Qui Confirmationem ex contemptu formali vel virtuali negligit, peccat graviter: ille vero censetur virtualiter contemnere, qui proponit numquam illud suscipere, licet saepius se offerat occasio. *(Imo Bened. XIV. Const. *Etsi Pastoralis*, docet, eos gravis peccati reatu teneri, si, cum possint ad Confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt). 3° Qui sine Confirmatione probabiliter nequit resistere tentationibus contra fidem, nec eam fortiter tueri coram tyranno, ad eam suscipiendam sub gravi praecepto tenetur.

CAP. IX.

De caeremoniis Confirmationis.

§ 974. Restat modo, ut Caeremonias in administratione Confirmationis ab Ecclesia adhiberi solitas consideremus. Caeremoniae eam praecedentes sunt, 1° Consecratio Chrismatis (§ 967.). 2° Patrinus, cuius mentio habetur in *c. In Catechismo*, ex Higino, *c. Non placet*, ex Walafrido Strabone *c. In Baptismo*, ex Concilio Moguntino, *d.* 4. *de Consecr.* Item in *Sacramentario* S. Gregorii, Nicolao I. *ep. ad Rodulph.* et Tridentino *Sess.* 24. *c.* 2. *de ref.* cuius hanc rationem dat S. Thomas 3. *p. q.* 7. *a.* 10. quod illi, qui seliguntur ad pugnam, debent instrui a veteranis longo usu in re militari exercitatis. 3° Confirmandi debent lavare frontem, antequam ad Confirmationem accedant, iuxta Conc. Mediol. Olim etiam nomen mutabant, vel saltem aliud addebant: Conc. Mediol. V. Et quando Confirmatio statim post Baptismum conferebatur, in vestibus albis Episcopo offerebantur. Caeremoniae Confirmationem praecedentes.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Patrinus in Confirmatione sub gravi peccato adhibendus est, et debet esse diversus à Patrino Baptismi *c. In Catechismo, de Cons. d.* 4. Quando vero Patrinus facile haberi non potest, iuxta P. Gobat, omitti valet; melius tamen est, ut unus sit plurium Patrinus, et unus eadem die plurium Patrinus esse potest. 2° Patrinum designant parentes, vel in eorum defectu Episcopus, et Clericus. Monachus etiam respectu externorum Patrinus in Confirmatione esse potest: quin et confirmans, per alium nomine suo assistentem, Patrinus esse potest. Debet autem esse eiusdem sexus cum confirmato, et indecorum est, si sit illo aetate minor. 3° Pater et Mater, Vitricus et Noverca Patrini esse non possunt, c. *Dictum*, 30. *q.* 1. ob contractam cognationem spiritualem. Et ne impedimenta Matrimonii multiplicentur, Pontificale Romanum praescribit, ut nullus teneat nisi unus aut duo, nisi aliter suadeat necessitas. Ut vero Patrinus cognationem spiritualem contrahat, debet tangere suum filiastrum, v. g. manus humero imponere, dum confirmatur. Item nomen confirmati et Patrini in libro describi debet, ut suo tempore testimonium Confirmationis haberi possit. 4° Officium Patrini est, ut in suam tutelam confirmatum recipiat, eique tradat, quae decent probum et honestum Christianum.

Caeremoniae concomitantes. § 975. Caeremoniae concomitantes Confirmationem sunt, 1° Tempus, quod olim idem fuit cum tempore collati Baptismi, cum quo Confirmatio coniungebatur (§ 962.): postquam vero separata fuit, pro opportunitate Episcopi, maxime vero in Feriis quatuor Temporum collata fuit. 2° Locus olim idem ac Baptismi fuit; deinde in Ecclesia Cathedrali, vel alia quacumque, ad quam Episcopus excurrit, administrata est. 3° Post pronunciatam formam, Episcopus confirmato alapam in maxillam leviter infligit, ut ille meminerit, se promptum esse debere, ad quaevis adversa pro Christi nomine perferenda. Hanc Caeremoniam antiquam non esse censet Martene; eam tamen in Pontificali MS. Vaticano ante 400 annos deprehendit P. Berti. 4° Pax datur ab Episcopo, et oratio funditur ex antiquissimo instituto, Ordine Romano, et Amalario *l.* 1. *c.* 27. ut intelligat confirmatus, se gratiae plenitudinem, et pacem, quae exuperat omnem sensum, esse consecutum.

§ 976. Caeremoniae Confirmationem subsequentes sunt, 1° Frons confirmati vitta linea seu fasciola circumligari debet, tum ne S. Chrisma defluat: tum ut ostendatur, acceptam gratiam firmiter retinendam esse. 2. Frons confirmati olim septem diebus ligata manebat, iuxta Ordinem Romanum: postea tribus diebus, ex Syn. Benevent. quod ad spatium 24 horarum restrinxit Synodus Carnotensis a. 1526. Denique frontem statim a Sacerdote gossypio abstergendam, et septem diebus a lotione capitis abstinendum esse, decrevit Synodus Lugdunensis a. 1542. 3° Vitta olim cremabatur, et cineres usque in primum diem Quadragesimae servabantur. Subsequentes.

Resolvuntur casus. *Coroll Pract.* 1° Parochi moneant, et diligenter instruant populum de dignitate, utilitate et effectibus Confirmationis, et ne occasionem

eam percipiendi negligant. 2° Suadeant, ut ante Confirmationem per Sacramentalem Confessionem conscientiam emundent. 3° Ostendant, Confirmationem sine gravissimo sacrilegio iterari non posse. Irregularitas tamen per iterationem non videtur incurri, quia nullo iure expressa est. 4. Moneant, ut confirmandi devote et modeste accedant; frontem, si madida fuerit, strophiolo abstergant, et ita S. Chrisma suscipiant: et deinde pro more dioecesis frons vitta ligetur, vel a Sacerdote sale et aqua abstergatur, quae vitta deinceps ad varios usus adhiberi non debet; imo si in usum etiam Ecclesiae deputatur, prius sale et aqua, in sacrarium fundenda, abluenda est a Sacerdote. 5° Caeremonia illa, ut confirmati a templo non egrediantur, donec ab Episcopo generalem benedictionem acceperint, tunc non observatur, quando tantus confirmandorum concursus est, ut alii aliis locum dare et succedere debeant.

TRACTATUS XVI.

DE EUCHARISTIA.

Sectio I.

De Eucharistia prout est Sacramentum.

CAP. I.

De natura, et nomine Eucharistiae.

§ 977. Sacrosancta Eucharistia spectari potest vel ut Sacramentum, vel ut Sacrificium: primo ergo illam ut Sacramentum, deinde ut Sacrificium considerabimus. Igitur *Sacramentum Eucharistiae* definitur: Sacramentum N. L. a Christo Domino institutum ad coelestem animarum nostrarum alimoniam, in quo Corpus et Sanguis Christi vere, realiter, ac substantialiter sub speciebus panis et vini continentur. Eucharistia quid?

Schol. 1. Quia SS. Eucharistia vel ut Sacramentum, vel ut Sacrificium sumi potest; hinc alia illi nomina conveniunt universim sumptae pro Sacramento simul et Sacrificio: alia speciatim sumptae pro Sacramento: alia sumptae pro Sacrificio. Si sumatur pro Sacramento simul et Sacrificio. Dicitur 1. *Eucharistia*, a S. Ignatio, Iustino, Irenaeo, etc. id est bona gratia, seu gratiarum actio, quia in ea Christus recipitur fons omnium gratiarum, inque ea offertur Deo Sacrificium gratiarum actionis perfectissimae. 2. *Eulogia*, id est benedictio, 1. *ad Cor.* 10. olim quippe partes Eucharistiae consecratae in signum mutuae charitatis ad absentes Presbyteros mitti per Parochias solebant, quibus deinde panes a Sacerdote benedicti, et ad absentes ob aliquod impedimentum missi ex decreto Concilii Laodiceni c. 49. succedebant. 3. Dicitur *Pascha*, 1. *ad Cor.* 5. tum quia tempore Paschatis a Christo instituta est; tum quia Christum continet, Pascha nostrum. 4. *Synaxis*, id est collectio seu congregatio, quia multi fideles convenire solent ad Sacrificium. et Corporis Christi participationem: hinc etiam a Latinis *Collecta* dicitur. Eucharistia, prout est Sacramentum, Variae eius nomina.

dicitur 1. **simpliciter** ***Sacramentum*** **ob suam excellentiam. 2.** ***Coena Dominica*** a Tertull. *l. de spectac. c.* 13. quo nomine, quia abutuntur haeretici, Genebrardus in *Lit. Apost. c.* 8. et Vasquez abstinendum esse putarunt, quos refellunt Salmaticenses, et putant, saltem hoc nomen, ubi datur erroris occasio, non ita frequenter esse usurpandum. 3. *Agapa*, id est dilectio, quia summi amoris Dei erga nos argumentum est. 4. *Communio*, quia iuxta S. Damascenum *l.* 4. *de fide c.* 14. per illam Christi concorporei sumus, et fideles de uno pane participantes unum corpus efficiunt: unde etiam vocatur *Metalepsis* seu transmutatio, qua fideles spiritualiter in Christum transmutantur; et *Fermentum*, quod pravos nostros affectus immutat. 5. *Viaticum*, a Conc. Nicæno *can.* 13. quia in via ad patriam vires nobis suppeditat. 6. *Corpus Christi*, vel *Corpus Domini*. 7 *Panis*, 1. *ad* Cor. 10 et quidem *cœlestis*, a S. Augustino *ep.* 120. *Panis Dominicus*, *tr.* 39. *in Joan. quotidianus*, *ep.* 121. *supersubstantialis*, *Serm.* 143. *de temp*. Et ab Ecclesia dicitur, *Panis Christi*, et *Panis Angelorum*, vel quia intuentium oculis panis speciem præfert: vel quia præstat animæ id, quod panis corpori. 8. *Sacramentum seu signum vel figura Corporis et Sanguinis Christi*, a speciebus panis et vini, quæ Sacramentum vocantur, quia significant Corpus et Sanguinem Christi. 9. *Sacramentum Novi Testamenti*, quia Christus Dominus morti proximus hoc amoris sui pignus nobis legavit. Eucharistia, prout Sacrificium est, vocatur 1. *Liturgia*, id est ritus et Ordo Sacrificium Eucharistiæ peragendi. 2. *Missa*, de qua voce plura inferius. 3. *Sacrificium Panis et Vini*, a S. Fulgentio *l. de fide*, *c.* 19. 4. *Oblatio Altaris*, a S. Augustino *ep.* 149.

Figurae SS. Eucharistiae in veteri Testamento.

Schol. 2. Variæ figuræ Veteris Testamenti SS. Eucharistiam præfigurabant, quæ ad tres classes reduci possunt. Nam 1°. Eucharistiam, prout est Sacramentum seu signum sensibile, præsignavit oblatio Melchisedech, *Gen.* 14. Panes propositionis, de quo soli mundi edere poterant, *Exod.* 4. uti declarat S. Hieronymus *in ep. ad Tit.* et illa *Proverb.* 9. verba: *Sapientia ædificavit sibi domum, miscuit vinum, et proposuit mensam suam:* et panis subcinericius Eliæ, 3. *Reg.* 9. 2° Eucharistiam, quantum ad rem tantum seu effectum præmonstravit Manna, et lignum vitæ, quod erat in medio Paradisi. 3° Eucharistiam, quoad Corpus et Sanguinem Christi, quæ sub speciebus continentur, significarunt omnia antiqua sacrificia, uti docet S. Augustinus *l.* 17. *de Civ. c.* 20. Et specialiter quoad Sanguinem Christi, Eucharistia significata fuit per Sanguinem Testamenti, *Exod.* 24. ad quem alludens Christus Sacramentum hoc instituens dixit, *Matth.* 26. *Hic est Sanguis meus Novi Testamenti*. Denique quoad hæc omnia Eucharistia perfectissime præfigurata fuit per Agnum Paschalem, qui iuxta S. Thomam significabat Christum non tantum ut hostiam, sed etiam ut cibum, quia non solum immolari, sed etiam manducari debebat. Deinde Sangnis Agni denotabat effectum redemptionis Christi, nobis per hoc Sacramentum applicatæ, quo a peccati servitute, sicuti olim

Iudaei ab Ægyptiis, liberamur. Denique panis azymus, quo Iudaei manducantes Agnum uti debebant, materiam huius Sacramenti significat.

§ 978. Eucharistia est verum N. L. Sacramentum ab aliis distinctum. Habet enim 1° omnia ad rationem veri Sacramenti requisita. 1. Signum sensibile, scilicet species panis et vini: et significat tum mortem Christi praeteritam, 1. *ad Cor.* 11. *v.* 25. *Mortem Domini annuntiabitis:* tum Corpus Christi substantialiter praesens, *Matth.* 26. *Hoc est Corpus meum:* paratam gratiam sanctificantem, *Ioan.* 6. *v.* 57. *Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, in me manet, et Ego in illo:* futuram gloriam, *loc. cit. v.* 57. *Habet vitam aeternam, et Ego resuscitabo eum in novissimo die.* 2. Est signum a Christo institutum, *Matth.* 26. de quo mox plura. 3. Habet vim producendi gratiam sanctificantem, *loc. cit. Ioan. v.* 64. Extat mandatum illo utendi, *Ioan.* 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis etc.* Ergo est verum N. L. Sacramentum (§ 889.), et quidem distinctum ab aliis, quia distinctam materiam, formam et significationem habet, uti ex dicendis patebit. 2° Ita merito definierunt Concilia: Carthaginense III. *can.* 28. Lateranense in *cap. Firmiter*, Florentinum in Decreto, Constantiense *Sess.* 15. et Tridentinum *Sess.* 7. *can.* 1. Quibus omnes Patres subscribunt.

Eucharistia est Sacramentum.

Schol. Sacramentum Eucharistiae sub speciebus pani et vini est 1. unum specie infima Sacramentum unitate perfectionis et integritatis, quia institutum ad unum totalem finem, nempe spirituale animae convivium, ad quod spectat cibus et potus, qui distinguuntur specie materiali tantum et inadaequata: et ideo Sacramentum Eucharistiae eatenus solum potest dici, esse multa Sacramenta, scilicet ob duplicem materiam; quo sensu etiam ab Ecclesia in Missa dicitur: *Quem pura et sancta refecerunt Sacramenta.* 2. Si Sacramentum Eucharistiae sumatur pro suo contento primario, est unum, quia idem Corpus Christi est in omnibus: si vero sumatur pro eo, quod est Sacramentum tantum, tunc physice loquendo tot sunt numero distincta Sacramenta, quot divisae et discontinuatae Hostiae, et tot moraliter, quot sunt refectiones numero morali distinctae, uti patet in convivio corporali, quod unitatem et distinctionem numericam sumit ab ordine ad unam vel diversam moraliter refectionem.

An sit unum Sacramentum?

CAP. II.

De institutione Eucharistiae.

§ 979. Christus Dominus SS. Eucharistiam immediate per se in ultima Coena, pridie quam pateretur, instituit. Ita clare patet ex Evangelio, *Matth.* 26. *Coenantibus autem illis, accepit Iesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, et comedite: Hoc est Corpus meum. Et accipiens Calicem, etc.* Idipsum refert S. Marcus *c.* 14. et S. Lucas *c.* 21. et S. Paulus 1. *ad Cor.* 11. Unde recte Tridentinum *Sess.* 14. *c.* 2. *Ergo Salvator noster discessurus*

Christus Eucharistiam instituit.

turus ex hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc instituit. Et c. 1. *Ita enim maiores nostri omnes, quotquot in vera Ecclesia fuerunt, qui de SS. hoc Sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima Coena Redemptorem nostrum instituisse.*

Quo loco? *Schol.* 1. Quantum ad locum, in quo SS. Eucharistia instituta est, patet ex *Luc.* 22. *Matth.* 26. et *Marci* 14. fuisse civitatem Ierusalem, ubi solum Pascha celebrari potuit, *Deut.* 16. De patrefamilias, in cuius aedibus Christus Pascha célebravit, maior est controversia. Benedictus XIV. *de Fest. Dom. die Iov. S.* putat fuisse virum locupletem, Christo notum, et distinctum ab illo, qui aquam domum deferebat. Eum fuisse S. Ioannem, nullam veri speciem habet, quia ille ipse cum S. Petro ad quaerendam hanc domum missus fuit. Gotti et Serry putant, eum fuisse S. Marcum cognomento Ioannem, cuius mentio fit *Act.* 12. et quem constat Ierosolymis domum habuisse; quam sententiam nullo antiquitatis fundamento subnixam reiicit D. Calmet in c. 26. *Matth.* P. Maudit *diss.* 30. dominum domus illius facit Alphaeum et Mariam parentes S. Iacobi minoris. Concludamus cum P. Graveson *dis.* 19. *de Myst. et ann. Christi*, hanc rem iis, quae nos latent, esse accensendam.

Quo die? *Schol.* 2. De tempore seu die mensis, quo Christus ultimum Pascha celebraverit, et SS. Eucharistiam instituerit, magnam difficultatem movent Interpretes. Alloysius Legionensis in opusc. *de utriusque Agni immol.* docet, Christum cum Iudaeis celebrasse Pascha in primis vesperis Lunae 14^{ae}, quae est finis 13^{ae}: hoc modo facile explicat S. Ioannem, qui dicit, quod Christus Pascha celebraverit ante diem festum Paschae, Crucique affixus sit in Parasceve Paschae, non vero in die solemni, sed in hebdomadali, ubi iudicia exercere, emere et vendere licebat. Verum haec opinio non placet, quia Pascha Iudaicum immolabatur Luna 14^{a} exeunte, non vero ineunte, id est, horis pomeridianis diei 14^{ae} mensis Nisan, in qua etiam Christus Pascha immolavit, et SS. Eucharistiam instituit. Nam 1. *Exod.* 12. *v.* 6. iubetur, ut agnus ad sacrificium selectus servetur usque ad diem 14^{am} Nisan, et ad vesperam immoletur, vel iuxta textum Hebraicum בין הערבים *(Ben hanerbaim)* inter duas vesperas: et S. Matthaeus diem institutionis Eucharistiae vocat solemnem. 2. Iudaei Pascha in Ægypto primo comederunt ad secundam vesperam Lunae 14^{ae}, quia *Num.* 33. *v.* 3. legitur, Hebraeos de Ramesse profectos esse mense primo, die 15^{o} mensis, altera die post Phase, vel iuxta LXX. τῇ ἐπαύριον τοῦ πάσχα postridie ipsius Pascha, Hebraice ממחרת הפסח *(mimmacharat a pesach)* a crastino Pesac: ergo etiam Christus eo die celebravit. 3. Iuxta S. Scripturam *Exod.* 12. eadem Luna 14^{a} incipiebat ad vesperam solemnitas Azymorum, et agnus Paschalis comedebatur, qui prius immolandus erat ad solis occasum: sed solemnitas Azymorum non incipiebat in prima vespera Lunae 14^{ae}, sed in secunda; nam fermentum usque ad meridiem diei 14^{ae} erat licitum: ergo in secunda vespera agnus immolabatur: maxime cum

S. Scriptura septem dies Azymorum solum numeret. Nec dicas I. Iudaei immolarunt Pascha in prima vespera Lunae 14^{ae} in Ægypto, quia inchoante Luna 15^{a} egressi sunt de Ramesse, *Exod.* 12. *v.* 42. et quidem sub initium noctis; alias enim, si in secunda vespera agnum immolassent, in eadem tam cito congregari, vasa ab Ægyptiis mutuo accipere, et clades primogenitorum Pharaoni innotescere non potuisset. *Resp.* Duplex fuit egressus de Ægypto: unus confusus, nocte ad finem vergente circa diluculum urgentibus Ægyptiis, ubi collecti sunt in Ramesse: alter pleno iam die, populo in exercitum coadunato: et rumor caesorum primogenitorum, et mutuatio vasorum hoc modo turbatis Ægyptiis facile absolvi potuit. II. Si Christus Luna 14^{a}, ad secundam vesperam celebrasset Pascha, tunc occisus fuisset in die solemnissima Azymorum, quod ipsi Iudaei praecavebant, *Matth.* 26. *v.* 5. et prohibebat Festi huius Religio. *Resp.* Consilium dissuadentium mortem Christi in die festo auditum non fuit; imo iudicia in eo exercere licuisse colligimus ex lapidatione colligentis ligna in sabbato. *Num.* 15. imo ob Religionem Festi Iudaei per se hoc iudicium exercere nolebant. III. Apud Iudaeos dies solam primam vesperam habebat, *Gen.* 1, *v.* 5. *Factum est vespere et mane dies unus. Resp.* Diem festum ab una ad alteram vesperam durasse, patet. *Lev.* 23. *v.* 32. et in citato loco *Gen.* 1. vespera sumitur pro fine diei, non vero pro initio.

Schol. 3. Harduinus *de supr. Christi Pasch.* duplicem Lunam 14^{am} distinguit pro diversa ratione auspicandi diem primum mensis apud Iudaeos. Quippe Iudaei Ierosolymitani celebrarunt Pascha servatis diebus Lunae a prima eius apparitione, et consequenter Luna 14^{a} incidente in diem Parasceven seu feriam 6^{am}, in qua post Christi Crucifixionem Pascha immolatum fuit. Iudaei vero Galilaei inter quos Christus fuit, numerabant Lunam 14^{am} a die coniunctionis Solis cum Luna; unde iuxta hunc computum Christus feria 5^{a} pridie mortis suae Pascha celebravit, et crucifixus fuit eo die, qui Ierosolymis profestus, non vero festus fuit. Verum haec sententia iterum non videtur subsistere. 1. Quia in S. Scriptura non habetur vestigium duplicis huius Neomeniae; imo *Exod.* 12. *v.* 6. iubetur Phase celebrandum simul ab omni coetu filiorum Israel: et in die mactationis agni omne fermentum a domibus Iudaeorum abiiciendum erat *v.* 15. quod sane observatum non fuisset, si Galilaei Ierosolymam venientes uno die citius Pascha celebrassent, ubi Ierosolymitani una die serius illud celebrantes fermentum nondum sustulissent. 2. Iudaei in Neomenia semper primam Lunae Phasen attendebant, uti probat Petavius in *not. ad S. Epiph.* Bucherius *de Pasch. Iud. Cyclo:* et ex Iosepho *l.* 6. *de bello, c.* 9. et Philone clare patet, omnes Iudaeos simul uno die Pascha immolasse. Nec obstat I. quod *Ioan.* 13. *v.* 1. Christus dicatur instituisse Eucharistiam ante diem festum Paschae. Et Iudaei non intrabant praetorium feria 6^{a}, ut non contaminarentur, sed manducarent Pascha: hinc illi feria 6^{a}, qua Christus crucifixus est, dicitur Parasceve, non Sabbati, sed Paschae, et Sabbatum sequens dicitur

Sent. Harduini.

magnus dies Sabbati. *Resp.* S. Ioannes loquitur de die naturali, incipiente a media nocte, non autem de die legali, incipiente a prima vespera. Deinde per manducationem Paschae non intelligitur agnus Paschalis, sed aliae victimae per septem dies Azymorum oblatae, et nonnisi a mundis manducandae. Illud Parasceve erat Sabbati, quod solum in S. Scriptura Parasceven habet, et sequens dies Sabbati dicitur magnus, qui in secundam diem Azymorum incidebat. II. Si Luna 14.ª Pascha celebratum fuisset a Iudaeis, tunc illo anno Pentecostes non incidisset in diem Dominicum, quia numerando 50 dies a secundo die Azymorum, Pentecostes incidisset in diem Sabbati, quod est contra traditionem Ecclesiae. *Respondent* varie ad hoc Theologi, uti videre licet apud Benedictum XIV. *de fest. dom.* qui cum Baronio putat, 50. dies a secunda die Azymorum numerandos esse, quando in Sabbatum non incidebat; quod si in eum incideret, uti anno mortis Christi contigit, numerandi erant ab altera die Sabbati, id est Dominica, unde Chaldaica vertit: post diem festivitatis, *Lev.* 23.

Sent. P. Lamy. *Schol.* 4. Bernardus Lamy *diss. de ult. Pasch.* et D. Calmet *diss. de Nov. Pasch. etc.* putant, Christum Dominum morte praeventum anno vitae suae ultimo, legale Pascha non manducasse, ut figura immolationis Agni in Christi Crucifixione impleretur, ita ut paratum Pascha ab Apostolis mactandum esset ipsa die Passionis Dominicae post solis occasum. Interim tamen hi Auctores admittunt, SS. Eucharistiam in azymo institutam esse, quia in vespera agni mactationem praecedente, iam omne fermentum sublatum fuit. Hanc sententiam P. Suarez 3. *p. q.* 50. haereticam esse putat: verum Emin. D. Gotti et P. Serry notant, ut sententia haeretica declaretur, Ecclesiae iudicium prius expectari debere. Nihilominus dicendum, Christum pridie quam pateretur, legale Pascha cum discipulis suis manducasse, et SS. Eucharistiam ibi instituisse. Hoc clare indicat 1. S. Scriptura, *Matt.* 26. *v.* 17. *Prima die Azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: ubi vis paremus tibi?* et deinde narratur, quomodo Pascha paraverint: et Christus ipse, *Luc.* 22. *v.* 15. ait: *Desiderio desideravi manducare hoc Pascha vobiscum.* 2. Accedit universalis consensus Ecclesiae subscribentis Tridentino, quod *Sess.* 22. *cap.* 1. ait: *Celebrato veteri Pascha . . . novum instituit Pascha.* Et Ecclesia canit: *Post agnum typicum expletis epulis.* Suffragantur Patres communiter, quos pro nobis stare ipsi adversarii fatentur, maxime vero eos, qui Luna 14ª, in quamcumque diem incidisset, Pascha celebrandum esse contenderunt. Vid. Honoratum a S. Maria in *animadv. ad reg. Christ. t.* 2. *l.* 4. *d.* 3. Non obstat I. quod Apostoli accedentes ad Christum pro praeparando Paschate venerint prima die Azymorum, id est, ad vesperam post Solis occasum, ubi agnus immolari amplius non poterat, qui iuxta Iosephum ab hora 3.ª usque ad 5.am mactandus erat; et quidem in templo, et comedendus a stantibus, quorum nihil Christus observasse legitur. *Resp.* Apostoli statim post meridiem ad Christum pro parando Paschate ac-

cesserunt, ubi satis temporis superererat pro immolatione agni in templo: imo iuxta Philonem a singulis in privatis aedibus hic agnus immolari poterat: et forte Sacerdotes immolatos in templo agnos singulis distribuebant. Quando ergo S. Lucas ait, Apostolos accessisse ad Christum, quando venit dies prima Azymorum, anticipatione utitur. II. Ex Tabulis Astronomicis constat, anno mortis Christi Lunam 14^{am} Paschalem incidisse feriam 6^{am}, qua Christus occisus fuit: ergo Pascha legale celebrare non potuit. Unde Petrus Alex. in *Chron.* Hyppolitus, Apollinaris, Clemens Alex. hanc etiam sententiam tenent. *Resp.* Efficacia argumenti petiti ex Tabulis Astronomicis pendet a determinatione anni et diei, quo Christus mortuus est, de quo Chronologi non consentiunt. Deinde necdum certum est, Iudaeos mensem auspicatos esse a prima phase Lunae, non vero ab eius coniunctione cum Sole, quod probabilius videtur. Chronicon Paschale Petri non est magni ponderis et incerti Auctoris, in quo Hippolytus etc. citantur; quorum proinde testimonia etiam suspecta sunt.

Schol. 5. S. Chrysostomus *hom.* 83. *in Matth.* putat, Christum cum reliquis Iudaeis Pascha celebrasse Luna 14^a exeunte; solos vero Sacerdotes, et Scribas morte Christi occupatos ad sequentem vesperam Pascha transtulisse, legem violando. Rupertus Abbas putat, Christum et omnes Iudaeos eadem die Pascha celebrasse, sed festivitatem primi diei Azymorum transtulisse in diem Sabbati sequentem, ne duo festa continuo se cum magna incommoditate sequerentur. Alii cum Paulo Burgensi volunt, coenam legalem in diem 15^{am} translatam esse, ne duo festa concurrerent, licet Christus secundum legem Luna 14^a Pascha celebraverit. Verum huic translationi nulla ratio suffragatur: non regula בדו *(Badù)*, quae vult, Pascha feria 2. 4. et 6. non esse celebrandum, quae tempore Christi nondum excogitata fuit, uti notat Petavius *l.* 12. *de doctr. temp.* et Serry *exercit.* 51. Non lex de deferendo manipulo spicarum postridie diei festi Paschae, *Lev.* 23. *v.* 10, quia haec lex metere et offerre manipulum die Sabbati permittebat, cum non esset opus servile, sed Religionis. Non denique consilium Iesum occidendi, quia Iudaei insignes reos solemni festo extremo supplicio plectere poterant, uti docent communiter Rabbini.

Schol. 6. Ex hucusque dictis colligitur, Christum Sacramentum Eucharistiae pridie mortis suae, post coenam legalem Luna 14^a exeunte celebratam, instituisse; et quidem postquam ille coenam suam iam absolverat, manducantibus et coenantibus adhuc discipulis: hoc enim modo facile conciliantur Evangelistae; nam illa verba: *Postquam coenavit*, referuntur ad Christum; illa vero: *Coenantibus illis*, ad Apostolos. Christus Dominus in ultima Coena Corpus et Sanguinem suum in SS. Eucharistia ipsemet sumpsit, iuxta S. Thomam 3. *p. q.* 81. *a.* 1. An vero Beatissima Virgo tunc praesens fuerit, et SS. Eucharistiam sumpserit, S. Scriptura non meminit. Item Christus SS. Eucharistiam praesente adhuc Iuda proditore instituit, il- Nonnullae circumstantiae institutionis.

Iamque ei cum caeteris communicavit; et contraria Turriani sententia a nonnullis velut fidei contraria, et quasi haeretica reiicitur; a qua tamen censura abstinendum est: tum quia *Matth.* 26. dicitur Christus, coenantibus illis, id est, duodecim discipulis, quorum antea mentio facta fuit, instituisse Eucharistiam, et post illam institutam Christus adhuc dixit, ab uno praesentium se traditum iri, *Marc.* 14. tum quia ita sentiunt Patres a Calmet in Evang. Gotti et Serry citati, quibus concinit Ecclesia in hymno Corporis Christi: *Quem in sacrae mensa coenae, turbae fratrum duodenae datum non ambigitur.* S. Hilarius *can.* 30. *in Matth.* et Innocentius III. *de Myst. Missae* contrariam quidem sententiam tenent, sed hac in parte deserendi sunt, et dum S. Matthaeus et Marcus dicunt, quod Iudas post acceptam intinctam bucellam statim exiverit, hoc intelligitur, quod modo post acceptam Eucharistiam illam bucellam acceperit; loquuntur enim per anticipationem.

CAP. III.

De materia Eucharistiae.

Materia primae Consecrationis.

§. 980. Materia remota, ex qua conficitur Sacra Eucharistia, quoad primam consecrationem, et quantum ad speciem corporis Christi, est solus panis triticeus. Ita 1° probatur ex S. Scriptura, *Matth.* 26. *Coenantibus autem eis, accepit Iesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis dicens: accipite et comedite: hoc est corpus meum.* Quod idem refertur *Marci* 14. *et* 1. *ad* Cor. 11. 2.° Ita definiunt Concilia: Braccarense III. *can.* 1. Carthaginense III. c. 25 Lateranense in *cap. Firmiter*, Florentinum in Decreto, Tridentinum *Sess.* 1321. *et* 22. Quibus unanimis SS. PP. subscribit. 3° Panem hunc triticeum esse debere, patet ex facto Christi, qui Panem apud Iudaeos usitatum, adeoque triticeum adhibuit. Hinc Florentinum definit, materiam esse panem triticeum; et Catechismus Romanus *p.* 2 *de Euch.* ait: *Hoc enim Apostolica traditio nos docuit, et Ecclesiae Catholicae auctoritas firmavit.*

Haereses.

Schol. Gnostici, ut Christianos verum Christi Corpus manducantes, et Sanguinem eius in Eucharistia bibentes imitarentur, abortivum infantem in mortario pistillo contundebant, cui ad vitandam nauseam mel et piper cum aliis aromatibus et unguentis admiscebant, et tunc in conventibus suis digito ex illo delibabant, et sic perfectum Pascha se celebrasse asserebant: S. Epiphanius *her.* 26. Idem fecisse Priscillianistas et Pepuzenos, citatus S. Epiphanius testatur *haer.* 48. Artotyritae liba facta ex pane et caseo pro Eucharistia offerebant: S. Epiph. *haer.* 49. Et nonnulli ex Manichaeis Catharistae dicti, Eucharistiam conspersam semine humano sumebant, teste S. Augustino *haer.* 46. Nonnulli etiam loco panis fabas, vel caseum, vel aliud huiusmodi pro consecratione offerebant, uti colligitur ex Concilio Carthaginensi III. c. 24. Item nonnulli labente saeculo 8°

putarunt, talem in Sacrificio necessario esse adhibendum, teste Alcuino *ep.* 69. et Iacobitae pani oleum miscent.

ART. 1. *De qualitate panis in Eucharistia adhibendi.*

§ 981. Valide tamen tum in pane azymo, quam in fermentato conficitur Eucharistia: ita definit Concilium Florentinum in *litt. union. Definimus, in azymo sive in fermentato pane triticeo Christi Corpus veraciter confici.* 2° Nec Leo IX nec Humbertus, nec ullus Latinorum Sacrificia Graecorum in fermentato celebrata unquam reiecit, uti patet ex *ep.* 1. S. Gregorii VII. Imo S. Pius V. in Constit. *Providentiae Romani Pontificis*, a. 1566. prohibuit, ne deinceps Presbyteri Graeci praecipue uxorati, Latinorum more, nec Latini more Graecorum Missas et alia divina celebrarent; quod pariter prohibuit Benedictus XIV. in Const. *Et si pastoralis*, a. 1742. 3° In Professione fidei Orthodoxae a Graecis facienda et iussu Gregorii XIII. edita, ita legitur: *Item in azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici.* Ratio est, quia esse azymum vel fermentatum non tollit rationem veri panis triticei; ergo uterque est materia valida. Panis azymus et fermentatus est materia valida.

Schol. 1. Graeci, duce Michaele Caerulario Patriarcha Constantinop. saeculo 11° litem Latinis moverunt, quod in pane azymo consecrarent, contendentes, azymum non esse panem. Protestantes vero moderni fatentur quidem, azymum esse materiam Eucharistiae sufficientem, fermentatum vero esse convenientiorem. I. Quia Christus pro materia huius Sacramenti adhibuit panem usualem, qui fuit fermentatus; unde ἄρτος dicitur, quia per fermentum elevatur. *Resp.* Nomine panis intelligitur panis simpliciter dictus, communis ad azymum et fermentatum; sane vox ἄρτος etiam manna *Ps.* 78. *v.* 24. et panes subcinericii *Gen.* 17. *v.* 6. vocantur, qui tamen fermentati non fuerunt. Christum vero in azymo consecrasse, qui in Paschate usualis erat, patet ex dictis (§ 979. cum Schol.). II. Canon 7. Apost. et 12. Trullanus prohibent azyma Iudaeorum; et Nicaenum I. prohibet, Pascha celebrari Luna 14. more Iudaeorum, qui illud in azymo celebrant. Et S. Epiphanius *haer.* 30. reprobat Ebionitarum Pascha in azymo celebratum. *Resp.* Canon 7. Apostolorum, Trullanus et S. Epiphanius reprobant usum azymorum more Iudaeorum, quasi legalia cum Evangelio essent observanda, uti volebant Ebionitae. Nicaenum solum tempus celebrandi Paschatis determinat, non vero an in azymo vel fermentato celebrandum sit. III. Olim Eucharistia ex oblationibus populi consecrabatur, quae certe erant panes usuales et fermentati. *Resp.* Duae olim erant fidelium oblationes: una ante Evangelium in pane fermentato, vino etc. pro sublevanda inopia Sacerdotum et pauperum: altera ex pane azymo et vino pro consecratione, lecto Evangelio. Vid. Martene *l.* 1. Solvuntur obiectiones.

Schol. 2. Antiqui Scholastici putarunt, utramque Ecclesiam Graecam et Latinam azymo pane semper usam fuisse usque ad exortam Origo usus azymi.

haeresim Ebionitarum, ubi panis fermentatus introductus est; suppressa vero hac haeresi in Ecclesia Latina, usus azymi revocatus et in Graeca usus fermentati retentus fuit. Martinus Polonus, et Platina originem azymi ad tempora Alexandri I. referunt a. 130. Nichetes Archiep. Nicomed. in *dial. cum Anselmo Havelburgensi tom.* 13. *Spicil.* docuit, fermentum in Ecclesia Latina a Melchiade et Siricio PP. introductum esse; quo deinde deleto, ab aliis viris Apostolicis usus azymi revocatus fuit. Nonnulli Graeci Schismatici azymorum usum revocant ad Leucium quemdam Apollinaris discipulum, qui deinde Papa factus, ut ostenderet, Christum non habere mentem humanam, utebatur pane azymo, fermento quasi anima carente. Ita Simeon Ierosol. apud Allatium *Exercit.* 28. *in Conc. Florent.* Petrus vero Patriarcha Antioch. apud Allatium vult, ab Apostolis Petro et Paulo universae Ecclesiae azyma esse tradita, et propter Iudaeos modico tempore permissa, postea tamen cum aliis ritibus Iudaicis abolita. Denique Hilarion Monachus Graecus fingit, Synodum VI. damnasse usum azymorum c. 11. sed manifestum est, Concilium ibi loqui de azymis more Iudaico oblatis. Hae sententiae hodie omnino sunt obsoletae. Inter recentiores Cardinalis Bona *l.* 1. *rer. liturg.* c. 23. docet, apud Graecos usum fermenti semper constantem fuisse; apud Latinos vero primis Ecclesiae saeculis promiscuum fuisse usum azymi et fermentati, nec ante saeculum 10mum azymum communi lege receptum esse. Sirmondus vero *dissert. de azymo t.* 4. contendit, usum fermentati octingentis, et amplius annis in Ecclesia Latina solemnem fuisse; azymi vero receptum esse medio tempore, quod a Schismate Photii usque ad turbas Michaëlis Caerularii effluxit ab anno 886. ad annum 1053. Nos vero cum Mabillonio in *praef. Saec.* 3tii *Benedict. et dissert. de pane Eucharistico azymo et fermentato*, Christiano Lupo *t.* 3. *Schol. in Conc.* et Ioanne Ciampino in *coniect. de perpet. azym. usu in Eccl.* putamus, viguisse in Ecclesia Latina a tempore Apostolorum ad hanc usque aetatem perpetuum azymi usum. Nam 1. azymi usus ab ipsa institutione Eucharistiae profluxit, siquidem eo usum esse Christum, constat ex dictis (§ 979. cum Schol.); et ita etiam sentit Leo IX. *ep.* 1. *c.* 5. S. Gregorius VII. *l.* 7. *ep.* 1. Innocentius III. *de myst. Missae l.* 4. c. 2. 2. Antiqui Patres ea, quibus SS. Mysteria constant, explicantes, nullius fermenti, sed aquae tantum et farinae meminerunt, uti S. Cyprianus *ep. ad Cecil.* Gaudentius *tr.* 2. *de Paschae observ.* S. Augustinus *Serm.* 227. Hoc argumentum licet negativum probat, quia cum ignem etiam, quo panis coquitur, memorent, sane fermentum non omisissent. 3. Patet ex forma SS. Hostiarum, quas ex azymo factas demonstrat earum exilitas, figura et forma impressa ferro characterato, quarum vetustas imagines exhibet Mabillonius *c.* 8. et Martene *de ant. rit. c.* 8. 4. Falsum est, azymum modo post saeculum 10mum obtinuisse, quia alias Leo IX. scribens circa medium saeculi 11mi, et Humbertus Cardinalis ausi non fuissent, usum azymi a temporibus Apostolorum repetere.

Sane iam ante Schisma Photianum usum azymi probat Mabillonius ex Alcuino, qui saeculo 11° ineunte scribit *ep.* 69. *ad Lugd. Eccl. Panis, qui in Corpus Christi consecratur, absque fermento ullius alterius infectionis, debet esse mundissimus.* Et Rabanus biennio ante intrusum Photium mortuus *l. de instit. Cler. c.* 31. ait: *Panem infermentatum et vinum aqua mixtum in Sacramento Corporis et Sanguinis sanctificari oportet.* Porro quod ad Graecos attinet, primis temporibus eos subinde azymo usos fuisse, probabiliter quidem suaderi potest, tum ex eo, quod Pascha Luna 14ª celebraverint; tum quia Maronitae adhuc in azymo consecrant, et Photius ipse azymorum usum Latinis non exprobravit: fermenti tamen usum apud Graecos perantiquum probat Mabillonius *in diss. cit.* sed eius monumenta nonnisi probabilia videntur D. Tournely, qui putat, ante finem saeculi 6ⁱ invictum argumentum produci non posse. Neque dicas contra nostram sententiam I. *Act.* 2. *v.* 42. fideles dicuntur perseverasse in fractione panis, qui certe nonnisi usualis et fermentatus fuit. *Resp.* Haec nonnisi mera coniectura est: certe azymi panes facile parari poterant, et paratos fuisse usus legalium adhuc toleratus probat. II. Tertull. *l.* 2. *ad uxor.* ait, quod maritus rescire possit, quid mulier fidelis gustaverit, quod scire non posset, si panis fermentatus non fuisset. Et S. Epiphanius azyma Ebionaeis adscribit. *Resp.* Ex azymo multo magis infidelis vir cognoscit, quid mulier gustaverit. Et S. Epiphanius azyma Ebionaeorum errori, legalia cum Evangelio coniungenti, adscribit. III. Melchiades *t.* 1. *Conc.* Siricius *t.* 2. et Innocentius I. *ep. ad Decent.* oblationes consecratas ad titulos missas vocant fermentum. *Resp.* Fermentum hoc non SS. Eucharistiam, sed Eulogias fuisse censet Baronius. Verum Eucharistiam fuisse probat Mabillonius; quae fermentum ideo dicitur, non quia in pane fermentato consecrata fuit, sed quia sicut fermentum farinae commixtum conglutinat, ita Eucharistia communionis Ecclesiarum vinculum est, et quia ob doctrinam arcani, ne mysteria Gentilibus paterent, ita appellata fuit.

Coroll. Pract. 1° Panis debet esse triticeus ex farina et aqua elementari mixtus, et ignis calore tostus; quia alias non esset panis usualis. Hinc panis ex oryza, avena, milio, hordeo, fabis, nucibus, amygdalis, castaneis, pisis, lentibus, tritico Turcico, leguminibus, radicibus confectus, non est materia apta Eucharistiae. Modica tamen alieni frumenti admixtio tritico maioris quantitatis facta, valori non officit. 2° Panis confectus ex granis, de quibus dubitatur, an sit triticum, est materia dubia, hinc siligo multis videtur esse materia dubia, licet Layman pro sufficienti habeat; non tamen eam adhibere licet. Zea vel spelta est materia apta, utpote quae in Svevia adhiberi solet: quare ad discernendam veram materiam praxis dioecesium attendi debet. 3° Farina lacte, melle, oleo, aqua rosacea vel alio non elementari liquore subacta et tosta; non est materia valida. Item massa farinacea cruda vel oleo aut butyro frixa vel aqua elixa, panis substantialiter corruptus, et hostiae rubrae multo cinna- **Resolvuntur casus.**

bare infectae, non sunt materia valida. 4° Latinus Sacerdos in azymo, et Graecus in fermentato sub peccato mortali consecrare debet; a quo etiam in casu necessitatis pro dando Viatico recedere non licet, quia tunc praeceptum affirmativum debito modo non observabile non obligat. * (Ita Conc. Florentinum *in Decreto pro Armenis;* quod etiam sub poena perpetuae suspensionis a Divinis confirmavit Bened. XIV. in Const. *Etsi Pastoralis* super ritibus Graecorum in Italia degentium). Si tamen Latino Sacerdoti sub interminatione mortis praeciperetur, ut in fermentato consecret, ad evitandam mortem hoc facere posset, quia praeceptum Ecclesiae cum tanto rigore non obligat. Caeterum Latinus per Graecam, et Graecus per Latinam dioecesim transiens propriae suae Ecclesiae ritum observare debet, nisi in illa dioecesi domicilium figat, ubi eius ritui se conformare debet: Benedictus XIV. in Const. *sup. rit. Graec.* 5° Azymi panes debent apud Latinos esse figurae orbicularis et tenues sub peccato mortali: in casu vero necessitatis licet sine scandalo celebrare in hostia orbiculari minori: item hostiam levi fractura vel macula infectam consecrare, est tantum veniale, et si fractura post oblationem advertatur, licite hostia consecratur, quamvis si scandalum timeatur; alia peti et fracta post ablutionem sumi possit.

Art. 2. *De materia secundae Consecrationis.*

Materia secundae consecrationis.

§ 982. Materia remota Eucharistiae, quoad secundam consecrationem et speciem Sanguinis Christi, est omne et solum verum vinum de vite. Ita 1° docet S. Scriptura, *Matth.* 26. *Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens: bibite ex eo omnes: Hic est enim Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis.* 2° Ita definiunt Concilia: Carthaginense III. *c.* 24. Aurelianense IV. c. 4. Lateranense c. *Firmiter*, Florentinum in Decret. Tridentinum *Sess.* 13. *c.* 2. Accedit perpetuus usus et Traditio: et ratio congruentiae est, quia Eucharistia est spiritualе convivium, quod constat cibo et potu, cui vinum optime congruit, quod nutrit, medetur, et cor laetificat.

Haereses

Schol. Encratitae meram aquam in Eucharistia adhibebant, teste S. Epiphanio *haer.* 47. Item Manichaei, teste S. Leone *fer. 4 de Quadrag.* et Ebionitae, iuxta S. Epiph. *haer.* 30. et Tatian. *haer.* 46. Nonnulli etiam Catholici saeculo 3° tum ex simplicitate, tum ex ignorantia, tum ex metu, ne in persecutione ex odore vini deprehenderentur, in Sacrificio solam aquam offerebant, de quibus S. Cyprianus *ep.* 63. Alii lac pro vino offerebant, quos damnat Concilium III. Carthaginense *c.* 24. sicuti et illos, qui uvas integras non expressas offerebant. Alii propter vini penuriam siccas uvas vel faeces vini aquae immersas adhibebant, quem abusum in quibusdam Daniae Sacerdotibus reprobat Alexander III. in *ep. ad Upsal. Archiep.* Denique nonnulli saeculo 5° sobrietatis praetextu puram in Eucharistia aquam usurpandam esse contendebant, de quibus Gennadius *l. de dogm. Eccl. c.* 75. qui ideo Hydroparastatae seu Aquarii dicti sunt.

ART. 3. *De aqua vino miscenda.*

§ 983. Vino autem consecrando modicum aquae naturalis rite admisceatur. Constat hoc 1° ex perpetua praxi et Traditione Apostolica: de qua testatur S. Iustinus *apol.* 2. *Offertur panis et poculum aquae et vini.* S. Irenaeus *l.* 4. c. 54. *Dominus .... temperamentum calicis suum Sanguinem confirmavit.* Et S. Cyprianus *ep.* 63. ex professo hoc probat dicens: *Dominica Traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix mixtus vino offeratur.* 2° Hoc statuunt Concilia: Carthaginense III. c. 24. *In Sacramento Corporis et Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est, panis et vinum aqua mixtum.* Trullanum *c.* 32. Florentinum in Decret. et Tridentinum *Sess.* 22. *cap.* 7. *Monet S. Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur; tum quia e latere eius aqua simul cum Sanguine exierit; quod Sacramentum hac mixtione recolitur, et cum aquae in Apocalypsi B. Ioannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur.* Et *can.* 9. definit: *Si quis dixerit... aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.* Denique omnes Liturgiae Latinorum et Graecorum quoad hoc concordant. Vinum aqua misceri debet.

Schol. 1. Armeni Eutychiani, teste Nicephoro *l.* 18. *hist.* c. 53. ne significare cogerentur unionem duarum naturarum in Christo, vinum purum sine aqua offerebant; quem abusum in illis reprehendit Concilium Trullanum *c.* 32. Lutherus, scribens contra Henricum Angliae regem, mixtionem aquae cum vino figmentum esse humanum contra Christi institutionem, et pessimam habere significationem, calumniatur. Kemnitius vero in *exam. Trident.* vult, hanc mixtionem esse rem indifferentem, quae nec praecipi debet, nec prohiberi, quae nunc est sententia Lutheranorum. I. Quia haec mixtio non approbari videtur *Is.* 1. *v.* 22. *Vinum tuum mixtum est aqua.* Et S. Chrysostomus *hom.* 83 *in Matth.* vocat eos haereticos, qui aqua in Mysteriis utuntur. *Resp.* Isaias loquitur de venditoribus, vinum fraudulenter aqua corrumpentibus. Et S. Chrysostomus agit contra Aquarios, puram aquam offerentes. II. Non constat ex S. Scriptura, Christum aqua vinum miscuisse. Deinde per aquam e latere Christi profluentem Baptismus intelligitur. Denique si aqua in Sacrificio populum significaret, hic in eo offerretur, eiusque pars foret. *Resp.* Christum aquam vino miscuisse, constat ex Traditione, et ipsi Iudaei fatentur, in Coena Paschali vinum aqua temperatum fuisse, uti testatur Lightfootus *de minist. templi c.* 13, Licet in aqua lateris Baptismus significetur, hoc non obstat, quin illius symbolum ea referat, quia Calix Domini temperatur: uti insinuat S. August. *tr.* 120. *in Ioan.* Et Christus et populus Deo offertur; Christus ut Sacrificium pro nobis, populi vero ut participantes de hoc Sacrificio. Solvuntur obiectiones.

An mixtio sit praeceptum Divinum?

Schol. 2. S. Bernardus *ep. ad Guidon.* refert, nonnullos sua aetate docuisse, mixtionem aquae cum vino esse de necessitate Sacramenti, quod etiam putasse dicitur Armachanus *l.* 9. *de quaest. Armen.* Alexander Alensis vero vult, hanc mixtionem esse praeceptum Divinum. Ubi notandum est, non esse de fide, praeceptum miscendi aquam esse tantum Ecclesiasticum: nec est de fide, Christum in institutione aquam vino miscuisse; hoc enim nullibi definitum est. Tridentinum quidem ait, praeceptum esse Sacerdotibus, ut aquam misceant, et credi, Christum ita fecisse: sed notat D. Tournely, ea tantum pro definitis et de fide in Tridentino habenda esse, quae in Canonibus exprimuntur, non quae in capitibus praemittuntur, quia Tridentinum opinionibus Scholae nullum praeiudicium afferre voluit; unde verbum *creditur*, non pro fide supernaturali, sed pro pia credulitate sumitur. Etsi igitur temerarium esset dicere, Christum aquam vino non miscuisse, non tamen ideo aliquis foret haereticus: erraret quidem, sed non contra veritatem revelatam. Quibus suppositis communior est Theologorum sententia: 1. Mixtionem aquae cum vino non esse de necessitate Sacramenti, tum qui S. Scriptura solum vinum pro materia assignat: quod idem definit Tridentinum, quod *Sess.* 22. c. 7. expresse ait, aquam vino calicis miscendam esse ex praecepto Ecclesiae; et Catechismus Romanus docet, sine aqua consistere Sacramentum: nec Eugenius illis Armenis, qui hanc mixtionem omittunt, nullitatem Sacramenti obiecit: tum quia S. Cyprianus *ep. ad Caecil.* ait, esse Sanguinem Christi, si vinum sine aqua consecratum sit. Et Rubrica Missalis praecepit, ut haec mixtio ante consecrationem omissa, post eam non suppleatur. Ergo non est de necessitate Sacramenti. 2. Non est de necessitate praecepti Divini, quod nec ex S. Scriptura, nec ex Patribus aut Conciliis colligitur, in quibus solum dicitur, Christum vinum miscuisse, et exemplum dedisse, non vero praeceptum imposuisse. Ex quibus proinde sequitur, hoc praeceptum esse tantum Ecclesiasticum, uti in hoc paragrapho probatum fuit. Nec dicas I. S. Cyprianus *ep. ad Caecil.* ait: *Calix, Domini non est aqua sola, et vinum solum, nisi utrumque misceatur; quomodo nec Corpus Domini potest esse farina sola, nisi utrumque farina et aqua fuerit adunatum.* Et *ep.* 63. dicit Christum hoc praecepisse. *Resp.* S. D. solum probare vult, aquam tantum non esse materiam sufficientem, sicuti nec sola farina sufficit: quod idem contendit in altero loco, ubi contra Aquarios mandatum Christi ad vinum, non vero ad aquam mixtam refert. II. Concilium Carthaginense III. et Aurelianense IV. hanc mixtionem, Traditionem Dominicam et mandatum Domini vocant. *Resp.* Traditio solum eo spectat, quod Christus vinum aqua mixtum consecraverit, non vero quod mixtionem praeceperit: et mandatum ad solum panem et vinum refertur. III. Non potest assignari tempus, quo Ecclesiam hanc mixtionem praeceperit. *Resp.* Card. Bona *l.* 1. *de reb. Lit.* censet, hoc a Christo et Apostolis traditum esse, non ita tamen, ut Christus hoc expresse praeceperit, sed quia

Christus hoc fecit; ideo eius exemplo hoc etiam servarunt Apostoli, quod deinde Ecclesia, maxime Alexander P. a. 109 mandavit.

Schol. 3 Materia proxima Sacramenti Eucharistiae iuxta aliquos est conversio panis et vini in Corpus et Sanguinem Domini: verum cum haec non sit sensibilis, materia proxima Sacramenti esse nequit. Communior est sententia, materiam totalem proximam ex duabus partibus consurgere: prima est Corpus et Sanguis Christi, quia succedunt pani et vino, et sunt sensibilia per species panis et vini: altera pars sunt species panis et vini, quia hae species proxime significant Corpus et Sanguinem Christi, et simul gratiam nutritivam, ac proinde illam re vera efficiunt: Sacramenta enim novae Legis efficiunt, quod significant. Hinc in Eucharistia species sunt Sacramentum tantum: Corpus et Sanguis Christi, res et Sacramentum simul: Gratia nutritiva est res Sacramenti tantum. Materia proxima.

Coroll. Pract. 1. Uvae valide consecrari non possunt, quia non habent rationem potus: nec agresta seu liquor ex uvis immaturis expressus, quia non habet naturam vini: nec acetum, quia est vinum substantialiter corruptum; valet tamen vinum acescens, non vero vinum adustum. Vid. Rubr. Miss. 2. Mustum valide quidem, sed non licite consecratur, sicut etiam vinum congelatum, quia vini substantiam retinet. Unde si post consecrationem species vini congelentur, debent liquefieri et sumi: si ante consecrationem vinum congeletur, liquefieri et consecrari potest, nisi forte congelatio id quoad substantiam corrupisset. Vinum vero tam albi, quam rubri coloris est materia valida, licet modicum alieni liquoris illi admixtum foret. 3. Aqua in Missa vino misceri debet, et debet esse modicissima, v. g. unica guttula, et non debet unquam quantitate vinum superare, imo si duabus partibus vini, tertia pars aquae misceatur, iuxta multos materia est invalida; quod tamen alii negant, si vinum sit generosum, quorum sententia ad hoc servire potest, ut si Sacerdos in sumptione advertat, aquam vino esse admixtam, facilius se possit resolvere, quod valide consecraverit, dummodo species vini in sapore et gustu notabiliter praevaleant. Resolvuntur casus.

Art. 4. *De quantitate materiae eiusque praesentia ad validam consecrationem.*

§. 984. Valide consecrari potest materia quantaecumque molis, dummodo consecranti moraliter praesens esse possit. Nam Christus nullam materiae quantitatem determinavit: ergo si per pronomen *hoc*, *hic*, in forma demonstrari possit, adeoque moraliter praesens sit, consecrari potest. Quantitas materiae.

Coroll. Pract. 1° Materia a tergo Sacerdotis, vel post interpositum parietem, aut sub mappa Altaris aut Corporali posita, vel magno intervallo distans, valide non consecratur: non tamen ad valorem requiritur, ut manibus teneatur, aut sonus verborum ad eam perveniat, nec ut actu videatur, si v. g. Sacerdos caecus fuerit, vel si materia consecranda in vase cooperto adsit, quia moraliter praesens est. 2° Ir- Resolvuntur casus.

rita est consecratio, si Sacerdos habeat intentionem consecrandi materiam indeterminatam, v. g. ex octo praesentibus hostiis quinque indeterminatae, vel unam partem hostiae indeterminatae: secus foret, si haec determinaret. 3° Si contingat, hostias non consecratas cum consecratis confundi, potest totus cumulus ad Altare deferri, et Sacerdos solum non consecratas consecrare intendere debet; quippe non requiritur, ut Sacerdos omnes partes materiae distincte et sigillatim cognoscat et intendat: unde si cumulum hostiarum propositum habeat, omnes consecrat, si omnes confuse et generatim consecrare intendat: et ideo licet putaret, quinque tantum adesse hostias, cum sex adsint, si omnes praesentes consecrare intendat, omnes consecrantur, quia error speculativus practicae intentioni non obest, quam quivis Sacerdos habere censetur virtualiter, qui vult facere et consecrare iuxta consuetudinem Ecclesiae, nisi eam actu contrario revocet: imo Rubrica Missalis addit, si Sacerdos ratus, unam hostiam esse appositam, post consecrationem advertat, esse duas simul iunctas, utramque sumere debet, quia utraque est consecrata: si vero advertat ante consecrationem post oblationem, tunc alteram seponat, et finita Missa sumat. 4°. Si quis, inscio Sacerdote vel non advertente, hostias consecrandas super Altari vel Corporali ponat, non consecrantur, quia ignoti nulla est intentio: si vero Sacerdos, anteqnam ad Missam egrediatur, de hostiis in Altari positis consecrandis, vel ante Offertorium apponendis moneatur, easque consecrare intendat, quod facit eo ipso, quod sciat et velit, eas consecrandas apponi, postea vero obliviscatur, consecratae erunt, quia nec praesentia, nec virtualis intentio deest: si vero monitus fuisset de hostiis consecrandis, et eas consecrare intendisset, quas deinde ab aeditno extra Corporale posita Sacerdos in Corporale non transtulisset, et in consecratione earum plane immemor fuisset, putat Suarez, eas non esse consecratas, quia Sacerdos non praesumitur, eas illicite extra Corporale positas consecrare velle: quia tamen alii contrarium tenent, hinc vel sub conditione in alio Sacro iterum consecrandae, vel si numero paucae sint, post sumptam utramque speciem ante ablutionem sumendae erunt. 5°. Regulariter non licet hostias minores modo post Offertorium allatas consecrare, quia spectant ad idem Sacrificium; si tamen iusta causa interveniat pro moribundis, vel ne plures sine Communione dimittantur, licet eas cum maiori hostia consecrare, facta prius oblatione mentali, dummodo ante Canonem adsint. Nec licet, hostias statim post consecrationem distribuere, nisi urgeat necessitas, quia, cum ad idem Sacrificium spectent, non debent prius sumi, quam hostia maior: hinc distribuens ante sumptionem sine gravi causa, venialiter peccat. 6°. Guttae vini lateri calicis interius adhaerentes a reliquo vino separatae probabilius non consecrantur, quia intentio so solum extendit ad vinum per modum unius continui in calice contentum; unde illae guttulae post infusionem purificatorio abstergi solent. Guttae exterius adhaerentes

non consecrantur, nisi Sacerdos eas consecrare intenderet, quod tamen sine sacrilegio facere nequit. Optimum est offerre, consecrare et determinare materiam secundum communem intentionem Ecclesiae. 7°. Quantitas materiae consecrandae debet esse tanta, quae tempore opportuno sine periculo corruptionis specierum consumi possit: minutissima autem materia sensu adhuc pervia, valido sed non licite consecratur.

CAP. IV.

De forma Eucharistiae.

§. 985. Forma Sacramenti Eucharistiae essentialis sunt haec verba: *hoc est Corpus meum;* Et: *Hic est Sanguis meus:* vel: *Hic est calix Sanguinis mei.* Nam 1°. Christus his verbis in consecratione usus fuit, *Luc.* 22. *Accepto pane, gratias egit, et dedit eis, dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens; Hic est calix novum Testamentum in Sanguine meo, qui pro verbis fundetur.* Idem habetur *Matth.* 26. *Marc.* 14. 1. *ad Cor.* 11. 2°. Ex Traditione patet, haec verba dici ad consecrandum panem et vinum, uti perspicuum est ex omnibus Liturgiis: et Patres dicunt, Corpus Domini fieri mystica prece: S. Iustinus *apol.* 2. et S. Augustinus *l.* 3. *de Trin. c.* 4. Et S. Irenaeus *l.* 5, *c.* 2. ait: *Panis et vinum percipientia verbum Dei fiunt Eucharistia, quod est Corpus etc.* S. Chrysostomus *serm. de prod. Iud. Hoc verbum* (scilicet: *Hoc est Corpus meum*) *proposita dona transmutat.* S. Ambrosius *l. de initiand. c.* 9. *Sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur.* Forma Eucharistiae.

Schol. 1. Bucerus *in c.* 26. *Matth.* vult, SS. Eucharistiam verbis non confici. Calvinus verba consecrationis vult dici per modum lectionis ad instruendam fidelium fidem, non vero ad consecrandum elementum; et ideo in formula Sacramentorum praescribit lectionem ex 1. *ad Cor.* 11. concionem et paucas preces. Lutherus *l. de captiv. Babyl. de Bapt.* ait, parum referre, quibus verbis Sacramentum conficiatur, modo adsit fides accipientis. Kemnitius ad essentiam formae omnia verba a Christo prolata, scilicet: *Accipite, et manducate etc.* spectare putat, omisso ly *enim, et mysterium fidei,* quae Catholici addunt; quia non habentur in S. Scriptura. Verum cum ly *enim* in forma calicis apud S. Matthaeum habeatur, in forma consecrationis panis subintelligitur. Verba: *aeterni*, et *mysterium fidei*, habentur ex Traditione. Et illa: *Elevatis oculis in coelum* antecedentia, habentur in Liturgia S. Iacobi, et apud S. Ambrosium *l.* 4. *de Sacram.* Haereses.

Schol. 2. Nicolaus Cabasilas Graecus Schismaticus docet, verba Christi: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus,* semel ab Eo prolata, virtualiter adhuc permanere ac vere operari: et ideo Sacerdotes consecrantes haec verba solum proferunt historice et narrative, et quidem ex praecepto Christi: consecrationem vero fieri per preces An verbis formae, vel aliis precibus, consecratio fiat?

apud Latinos praecedentes, et apud Graecos subsequentes. Hanc sententiam amplexus est etiam Ambrosius Catharinus, et illam propugnavit in Concilio Tridentino, scriptis hac de re duobus libellis: unde iuxta hanc opinionem illa verba: *Hoc est Corpus meum,* Corpus Christi praesens non efficiunt, sed praesens supponunt virtute antecedentis benedictionis, utpote per quam benedictionem etiam Christus consecravit, et per dicta verba Corpus suum discipulis, quibus illud porrigebat, demonstravit. Item nonnullae Liturgiae Graecorum formam Eucharistiae saltem partialiter in nonnullis precibus videntur collocare. Verum certa est sententia, 1. Christum non sola interiori aut occulta benedictione, sed verbis SS. Eucharistiam consecrasse: tum quia S. Scriptura verba, quibus usus est, expresse recenset: tum quia Sacerdotes ad imitationem Christi consecrantes modo verbis uti debent: tum quia Sacramentum instituit, ad quod verba requiruntur. 2. Consecratio solis Christi verbis: *Hoc est etc.* non vero precibus vel antecedentibus, vel subsequentibus perficitur: nam Patres communiter praedictis verbis conversionem panis in Corpus Christi adscribunt. Deinde sola illa verba conversionem in Corpus et Sanguinem Christi significant: ergo etiam tamquam practica efficiunt. Denique Florentinum solis Christi verbis, non vero precibus consecrationem adscribit: et in Tridentino Catharini sententia multos offendit, qui eam proscribendam esse censuerunt; licet teste Salmerone a definitione Patres abstinuerint: ex quo colligit D. Tournely, non esse de fide, Christum citatis verbis consecrasse, aut iussisse, ut illis solis a Sacerdotibus fiat consecratio. Dices I. Christus prius panem et vinum benedixit, antequam diceret, esse Corpus suum: imo post distributionem modo dixit, esse Corpus suum: certe benedictio illa Christi non minus efficax fuit, quam cum benedicendo panes multiplicavit. *Resp.* Verba illa: *Hoc est etc.* S. Marcus distributioni per anticipationem prius narratae postposuit. Benedictio illa Christi efficax fuit respectu effectus, quem intendit, scilicet praeparandam materiam, et conciliandam Divinam Omnipotentiam pro efficienda illa conversione. II. Apostoli benedictione consecrarunt: 1. *ad Cor.* 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus.* Et Liturgiae Graecae aperte consecrationem in precibus reponunt. *Resp.* Apostolus solum recenset preces in Liturgia celebranda adhiberi solitas, non vero verba, quibus fit consecratio. Liturgiis antiquis variae additiones factae fuerunt; et preces inibi contentae non petunt simpliciter, ut panis fiat Corpus Christi, sed ut nobis suscipientibus fiat ad salutem. III. Patres communiter dicunt, Eucharistiam perfici Dei invocatione, benedictione. *Resp.* Loquuntur de Liturgia, quae tota est oratio, in qua per verba Christi fit consecratio.

An omnia verba formae sint essentialia?

Schol. 3. Quaeritur in Scholis ulterius, an singula verba in consecratione panis et vini adhiberi solita sint essentialia. Scotus in 4. *d.* 8. asserit, omnia illa verba: *Qui pridie quam pateretur etc.* usque ad finem utriusque consecrationis non esse quidem de essentia formae,

esse tamen de necessitate, ut forma vim habere possit; adeoque nec panem, nec vinum consecrari, si omittantur: quia alias non significaretur per verba formae Corpus et sanguis Christi, sed Sacerdotis. Thomistae vero contendunt, omnia verba in consecratione Calicis, scilicet: *Hic est calix Sanguinis mei, novi et aeterni Testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, esse de essentia formae. Respondemus, ea duntaxat verba: *Hoc est Corpus meum*, etc: *Hic est calix Sanguinis mei*, vel: *Hic est Sanguis meus*, consecrationi esse essentialia, licet omne studium adhibendum sit, ne caetera omittantur. Nam 1. illa verba: *Hic est calix Sanguinis mei*, aeque perfectum sensum faciunt, ac illa: *Hoc est Corpus meum*: ergo, si haec, etiam illa sufficiunt. 2. Non omnia verba a nobis solita proferri in consecratione calicis in omnibus Liturgiis habentur. Sic in Liturgia S. Marci, Basilii et Chrisostomi non leguntur illa: *aeterni*, et: *Mysterium fidei*: in Liturgia Æthiopum non habentur illa: *novi et aeterni Testamenti, Mysterium fidei*: et tamen valida est consecratio, quia sola allata verba Christi Corpus et Sanguinem sufficienter significant. Non tamen licet reliqua omittere: illa enim: *Qui pridie, quam pateretur*, ostendunt Sacerdotem consecrationis verba proferre in persona Christi: particula *enim* consecrationem prioribus coniungit: reliqua in memoriam revocant Crucis immolationem et perfectam redemptionem; et hinc maxima audacia foret, in re tam gravi aliquid horum omittere. Nec dicas I. S. Thomas et Catechismus Romanus docent, omnia illa verba esse de essentia: et S. Pius V. iussit, nostram sententiam e Commentariis Caietani expungi. *Resp.* S. Thomas et Catechismus de integritate et perfectione formae intelligi possunt. Et soli Inquisitores Romani, non vero S. Pius V. eam sententiam e Commentariis Caietani expungi iusserunt, quia non satis honorifice de sententia S. Thomae locutus est: ita D. Tournely. II. Sine dictis verbis non exprimitur ratio Sacrificii. *Resp.* Haec satis exprimitur per separationem Sacramentalem Sanguinis a Corpore. III. Illa verba pene omnia habentur apud *S. Matthaeum c.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. in Liturgia S. Iacobi, S. Matthaei, S. Marci, S. Basilii, S. Chrysostomi, et in Missa Mozarabum. *Resp.* Illa verba apud Evangelistas occurrunt, sed non dicitur, esse de essentia formae. Citatae Liturgiae antiquae omnia verba non habent, sed solum correctae; ante correctionem vero certe consecratio etiam fuit valida.

Coroll. Pract. 1°. Particula enim non est de essentia formae, sed de praecepto; unde eam omittens sine contemptu, peccat solum venialiter ob levitatem materiae. 2°. Licet illa verba in consecratione calicis: *novi et aeterni Testamenti etc.* non sint essentialia, ea tamen omittens peccat mortaliter; imo ob dissidentes Theologorum opiniones, iuxta Nat. Alexandrum consecratio sub conditione repetenda foret. 3°. Haec forma: *Hic est Corpus meum*, sumendo hic adverbialiter, est invalida, quia transubstantiationem non significat: secus foret, si esset merus error grammaticalis vel lapsus linguae. Item hac formae: Resolvuntur casus.

Ecce Corpus meum: haec est caro mea: hoc est Corpus Christi, fiat hoc Corpus meum, sunt invalidae, quia est mutatio substantialis. Hae vero formae: *Hic cibus*, vel *haec res*, vel *hoc contentum sub his speciebus est Corpus meum*, sunt validae, semper tamen illicitae.

CAP. V.

De reali Christi praesentia in Eucharistia.

Realis praesentia Christi in Eucharistia.

§. 986. Ex sensu verborum formae Sacramenti Eucharistia apparet, quod in Sanctissimo hoc Sacramento contineatur vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguis, una cum anima et Divinitate Domini nostri Iesu Christi; ac proinde totus Christus, et non solummodo sit in eo ut in signo, vel figura aut virtute. Hoc 1°. probatur ex S. Scriptura, *Ioan.* 6. *v.* 51. ubi Christus ait: *Panis, quem Ego dabo, Caro mea est pro mundi vita etc. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis etc.* usque ad finem. Hic non esse sermonem de Incarnatione, vel spirituali tantum manducatione per fidem, uti volunt Novatores, et nonnulli etiam Catholici, quorum sententiam non quidem expresse damnavit Tridentinum ad instantiam Episcopi Granatensis, teste Pallavicino *l.* 17. *hist. c.* 12. eam tamen temerariam esse, censet Maldonatus; patet ex eo, quod caput 5tum S. Joannis tres partes continet: in quarum prima a *v.* 1. usque ad 26 describitur miraculosa panum multiplicatio. In secunda a *v.* 26. usque ad 52. exclusive, agitur de fide in Christum. In tertia a *v.* 52. usque ad finem transitur ad Eucharistiam, in quo Christus promittit, se Carnem suam daturum, et loquitur de manducatione et bibitione reali Corporis et Sanguinis sui; quia cum quidam dicerent; *Durus est hic sermo*, Christus ad avertendum hoc scandalum non respondit, se locutum esse de manducatione mystica, sed realem denuo asseruit, et in veritatis confirmationem futurum suum in coelos ascensum adduxit *v.* 62. Imo quando Christus advertit, ex dictis suis ob acquivocationem aliquam dubitationem in mentibus discipulorum suorum gigni, eam subito cvellere studuit, ut fecit, dum *Joan.* 3. Nicodemo spiritualem renascentiam, et *Matth.* 13. parabolam zizaniorum exposuit: et ipse S. Joannes tropos a Christo prolatos plerumque explicat, uti illud, *c.* 3. *Solvite Templum hoc:* ubi *v.* 12. subiecit: *Ille autem dicebat de Templo Corporis sui.* Cum igitur neque Christus, neque Evangelista scandalum patientibus et murmurantibus aliter mentem suam exposuerint, verba in sensu proprio de manducatione Corporis Christi in Eucharistia vera et orali sumenda erunt; maxime quia Christus hic aliquid futurum, quale non est Incarnatio, promittit. Quare etiam hunc locum de reali praesentia Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia exponunt Concilia: Alexandrinum a. 430. *ep. ad Nestor.* Nicaenum II. *act.* 6 et Tridentinum *Sess.* 13. *cap.* 2. Item Patres: S. Irenaeus *l.* 4. *c.* 4. S. Cyprianus *l. de or. Dom.* S. Ambro-

sius *l. de initian. c.* 8. S. Cyrillus Jeros. *cat.* 4. etc. Deinde probatur dogma nostrum ex verbis institutionis: *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus: Matth.* 26. *v.* 26. *Marci* 14. *v.* 22. *Luc.* 22. *v.* 14. Certe haec verba in sensu obvio et proprio nihil continent bonis moribus adversum: quale enim flagitium sit si Corpus Christi ad animae sanctificationem devote accipiatur, quod etiam crucifixum fuit? Certe nihil tam Deo dignum, quam hominis salus. Item nil continent, quod repugnet fidei, aut aliis S. Scripturae textibus, cum nullum hucusque Novatores proferre potuerint: ergo in sensu proprio accipienda sunt. Deinde si Christus illis verbis significare voluisset, se tantum figuram Corporis sui dare, contra naturalem sensum verborum locutus fuisset, et gravissimi erroris ansam Apostolis praebuisset, qui sane sine praemonitione de figura Corporis Christi haec verba intelligere non potuissent. Denique ipsae circumstantiae figuratam locutionem excludunt; dogma enim fidei, quod Christus proposuit, figuratis verbis non exprimitur: Christus iam iam moriturus Pater filiis suis ultimum vale in figuratis verbis certe non fecit: Testamentum suum in meris verbis aenigmaticis non condidit: ergo figurate locutus non fuit. 2° Fidem realis praesentiae Christi in Eucharistia probat universalis Traditio. Saeculo 1° S. Andreas, in cuius Actis legimus: *Ego Omnipotenti Deo immaculatum Agnum quotidie sacrifico . . . . qui cum sit vere sacrificatus, et vere a populo carnes eius manducatae, integer perseverat et vivus.* Et S. Ignatius *ep. ad Smyrn.* haereticos eos vocat, qui non confitentur, Eucharistiam Carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi. Saec. 2° S. Justinus *apol.* 2. *Alimoniam incarnati illius Jesu Carnem et Sanguinem esse edocti sumus.* Vide etiam S. Iraenaeum *l.* 4. *adv. haer. c.* 33. Saec. 3° Tertullianus *l. de resur. carn. c.* 8. *Caro Corpore et Sanguine Christi vescitur.* Vide item Origenem *Hom.* 7. *in Num.* Saec. 4° S. Cyrillus Jeros. *cat.* 4. *Cum ipse de pane pronunciaverit et dixerit : Hoc est Corpus meum, quis audebit deinceps ambigere?* Et S. Ambrosius *l. de initi. c.* 9. hoc expresse probat. Saec. 5° S. Chrysostomus *hom.* 88. *in Matth. Quoniam ipse dixit: Hoc est Corpus meum, nulla teneamur ambiguitate.* Et S. Augustinus *ep. ad Honorat. c.* 27. *Et ipsi adducti sunt ad mensam Christi, et accipiunt de Corpore et Sanguine eius.* Saec. 6° S. Remigius *in* 1. *ad Cor. c.* 10. *Licet panis videatur, in veritate Corpus Christi est.* Saec. 7° S. Gregorius M. *hom.* 22. *in Ev. Quid enim prodest Corpus et Sanguinem illius ore percipere, et ei perversis moribus contraire?* Saec. 8° S. Damascenus *l. de fide, c.* 14. *Non est figura panis et vinum Corporis et Sanguinis Christi, absit enim hoc; sed est ipsum Corpus Domini Deificatum.* Saec. 9° Paschasius Radbertus integrum librum *de Corpore Domini* conscripsit. Saec. 10° Stephanus Eduend. librum composuit *de Sacramento Altaris.* Saeculo 11° contra Berengarium scripserunt S. Anselmus, Landfrancus, et Guitmundus. Saec. 12° de veritate realis praesentiae tractarunt Petrus Cluniacensis, Magister Sententiarum, et S. Bernardus. Saec.

13° S. Thomas, et S. Bonaventura. Saec. 14° praeter omnes Scholasticos hanc veritatem definivit Concilium Viennense. Saec. 15° Constantiense *Sess.* 13. et Florentinum. Saec. 16° Tridentinum *Sess.* 13.

Haereses. *Schol.* 1. Manichaei et omnes haeretici, qui negarunt, Christum veram carnem assumpsisse, indirecte negant praesentiam eius realem in Eucharistia. Ex Manichaeorum Schola prodierunt Lisojus et Helibertus Clerici Aurelianenses, damnati in Concilio Aurelianensi a. 1017. qui negarunt Christum de Beatissima Virgine Maria natum fuisse, et verum eius Corpus et Sanguinem in Eucharistia contineri: quibus Gudulfiani in Concilio Atrebatensi a. 1025. damnati accenseri debent, Sacramentum Altaris negantes. Ioannes Erigena Scotus, primus directe realem Christi praesentiam in Eucharistia impugnavit, qui tamen sine sectatoribus a. 884. obiit. Eius tamen errorem Berengarius Turonensi Scholae praefectus, et postea Andegavensis Archidiaconus disseminavit; unde primus Sacramentariorum parens vulgo perhibetur. Eius doctrina in Concilio Romano a. 1050. sub Leone IX. et deinde in Vercellensi et Parisiensi damnata fuit; et ipse Berengarius in Concilio Turonensi, ut videbatur, correctus, ab Hildebrando Cardinali clementer receptus, sed postea ad vomitum reversus, in Synodo Romana a. 1059. sub Nicolao II. libros suos in ignem coniecit cum iuramento, se fidem inviolabiliter servaturum. Ast in Gallias reversus ad priorem errorem rediit, quem Concilium Rhotomagense a. 1073. et Pictaviense a. 1075. iterum proscripsit. An. 1078. Berengarius in Synodo Romana subdolam Confessionem Gregorio VII. obtulit, et demum in altera Synodo Romana a. 1079. abdicato errore Turonem reversus, saeculo renuntians a. 1088. Catholicus vitam finivit. Saeculo 12° Petrobussiani, et a. 1525. Carlostadius realem praesentiam Christi in Eucharistia negavit. Denique Calvinistae non aliam praesentiam Christi in Eucharistia, quam figuratam tantum admittunt, ita ut Eucharistia sit solum figura et nudum signum Corporis Domini.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 2. Argumenta pro sua haeresi depromunt haeretici 1° ex S. Scriptura. Nam I. *Ioan.* 6. de sola manducatione spirituali agitur *v.* 52. *et seq.* cum etiam in antecedentibus versibus de sola fide et manducatione spirituali agatur: et *v.* 53. dicitur, non moriturum illum, qui de hoc pane comederit, quod certe Eucharistiae non competit. Imo ipse Christus murmurantibus Capharnaitis declaravit, verba sua spiritualiter intelligenda esse *v.* 64. *Verba, quae locutus sum vobis, spiritus et vita sunt:* et manducationem carnis reiicit, ac spiritualem commendat, dicens: *Spiritus est, qui vivificat; caro autem non prodest quidquam.* Unde etiam hanc partem *c.* 6. *S. Ioan.* Origenes *in l. Num.* de verbo Dei, S. Hieronymus *in Ps.* 14. de S. Scriptura, Innocentius I. *ep. ad PP. Conc. Milev.* de Baptismo, S. Augustinus *tr.* 26. *in Ioan.* de societate Corporis et membrorum Christi exponit: et *in Ps.* 98. ait: *Spiritualiter intelligite, quod locutus sum: non hoc Corpus, quod videtis, manducaturi estis, et bibituri illum Sanguinem,*

quem fusuri sunt, qui me crucifigent: Sacramentum aliquod commendavi vobis, spiritualiter intellectum vivificabit vos. Resp. Tertiam illam *c.* 6. partem ad SS. Eucharistiam spectare, patet ex dictis. Ille non moritur aeternaliter, qui eum debita dispositione SS. Eucharistiam suscipit, et acceptam gratiam non amittit. Explicatio illa Christi est contra falsam Capharnaitarum imaginationem, qui putabant, carnem Christi in propria specie mortuam et in frusta dissectam comedendam esse, quam tollit Christus docens, se edendum quidem esse realiter, non tamen in propria specie carnis, sed aliena: hinc dicit: caro carnaliter accepta sub forma carnis non prodest, bene vero, si sumatur sub aliena specie, eredendo tamen, esse veram Carnem Christi. Vel, uti S. Cyrillus Alex. *l.* 4. Ioan. *c.* 14. exponit: *Caro mea, si esset pure humana, non prodesset; secus, quia est coniuncta hypostatice Verbo.* Certe si Christus de sola manducatione spirituali locutus fuisset, hoc discipulis non admodum difficile auditu fuisset; cum tamen, teste S. Ioanne *v.* 67. multi eorum retro abierint. Patres, quando hunc locum in sensu tropico et morali exponunt, litteralem non excludunt. S. Augustinus *in Ps.* 98. refutat solum carnalem sensum Capharnaitarum modo explicato, et vult, spiritualiter verba Christi intelligenda esse, ubi spirituale non opponit veritati Carnis Christi, sed carnali cogitationi Capharnaitarum. II. Particula *hoc* in verbis Christi: *Hoc est Corpus meum*, panem solum demonstravit, quem Christus tunc in manibus habuit: tum quia iuxta Catholicos ante pronunciatam totam formam Christo nondum praesens fuit: tum quia Christus panem accepit, benedixit, fregit et discipulis dedit: ergo etiam illum per ly *hoc* demonstravit, cum omnia illa verba eumdem accusativum regant; et in Hebraeo, ubi non datur neutrum, dicatur: *Hic est Corpus meum:* tum quia nihil aliud, quam panis per ly *hoc* assignari potest: tum quia in Graeco dicitur: τοῦτο τὸ ποτήριον, *hic Calix.* Deinde ly *est* sumitur tropice, vel pro *fit;* quia alias falsa esset propositio, cum in instanti, quo pronunciatur ly *est*, nondum sit, sed modo fiat Corpus Christi: vel sumitur pro *significat* seu *est figura* Corporis mei: nam hoc modo sumitur *Exodi* 12. *Joan.* 10. *v.* 7. *Ego sum ostium, etc.* Denique ly *Corpus* non Corpus naturale Christi, sed figuratum denotat: tum quia dicitur frangi, 1. *ad Cor.* 11. *v.* 24. κλώμενον: tum quia comedi non posset corpus naturale, nec Christus ipse suum proprium Corpus manducare potuit: tum quia Christus post consecrationem calicis, contentum in eo *genimen vitis* appellat: tum quia Patres V. L. eamdem nobiscum escam spiritualem manducarunt, etc. 1. *ad Cor.* 10. nec tamen comederunt Corpus Christi, tum quia Corpus Christi in nobis alterari nequit: modo est in coelo, et Deus in Templis manufactis non habitat. *Resp.* Particula *hoc* non demonstrat panem praecise, sed contentum sub illis speciebus, quod licet fuerit panis ante consecrationem, vi tamen illorum verborum incipit esse Corpus Christi, unde in Graeco dicitur: τοῦτο ἐστὶ τὸ σῶμα μοῦ, non vero οὗτος in masculino, quale est ἄρτος *panis:* si vero cum Schmidio dicas, τοῦτο poni

pro οὗτος, tunc intelliguntur species panis: ex quo etiam liquet, hanc propositionem: *Hoc est Corpus meum*, non esse identicam, quia pronomen dicitur de re singulari. Christus accepit et benedixit panem, sed dedit conversum in Corpus suum; nam verbum *benedixit*, quod intercedit, et efficacem benedictionem significat, facit, ne omnia verba eumdem accusativum regant. Hebraei non tantum in pronominibus, sed etiam in nominibus carent genere neutro; unde etiam ly, *Corpus* est generis masculini. Pronomen *hoc*, si sumatur pro instanti, quo profertur, et needum est completa propositio, nec panem, nec species panis, nec Corpus Christi clare et determinate demonstrat, sed confuse tantum et indeterminate substantiam aliquam praesentem, quia haec est natura pronominum: si vero sumatur in instanti, quo completa est propositio, determinate Corpus Christi demonstrat. *Calix* ex communi usu loquendi contentum in eo significat; *panis* vero nonnisi panem significare potest. Ly *est* non habet perfectam significationem, nisi in instanti, quo ultima vox in forma consecrationis profertur, ubi etiam ponitur transubstantiatio panis in Corpus Christi. Quod vero ly *est* non sumatur tropice in verbis consecrationis, ex circumstantiis et dictis in hoc § apparet. Corpus Christi dicitur frangi, id est dari; nam S. Lucas *c.* 22. ait: *Quod pro vobis datur*, διδόμενον; vel illud *frangitur* de passione Christi et oblatione cruenta in Cruce, cuius incruenta oblatio in S. Coena commemoratio est, intelligi potest; et ideo Vulgata nostra bene vertit, *tradetur*. Corpus Christi vere a nobis manducatur in Sacramento, quo continetur: et Christus Corpus suum in ultima Coena vere comedit, in quo Veteres passim miraculum agnoscunt. Certum est, quod Christus totum vinum in mensa appositum non consecraverit; hinc ly *genimen vitis* in vinum non consecratum cadere potest, quod ex Luca *c.* 22. colligi videtur, qui refert, haec verba in Coena communi ante consecrationem dicta esse: si autem de calice Eucharistico dicta sint, dicitur *genimen vitis*, quia ex vino conversio in Sanguinem Christi facta fuit, vel quia species vini remanent. Apostolus non dicit, quod veteres eamdem nobiscum escam spiritualem comederint, sed eamdem inter se; vel eamdem nobiscum gratiam participarunt, sed non per eadem media. Tota illa alteratio speciebus Eucharisticis contingit. Christus est in coelo modo visibili, naturali et extenso localiter; in SS. Eucharistia modo invisibili, localiter inextenso, et Sacramentali; et secundum suam Divinitatem in solis Templis non includitur.

2° Alia argumenta petunt ex PP. I. Tertullianus *l.* 4. *contr. Marc. c.* 40. ait: *Panem Corpus suum fecit, dicendo: Hoc est Corpus meum: id est, figura Corporis mei*: et Origenes *in Matth.* 16. ait: *Is, qui vocatur panis Domini, non suapte natura sanctificat. Resp.* Tertullianus contra Marcionem probat, Christum non esse contrarium Auctori V. L. quia figuras V. L. in Nova implevit; et ideo sensus verborum eius est: panis, qui sub lege fuit figura Corporis mei, in Evangelio est Corpus meum; vel per figuram Corporis intelligit species Sacra-

mentales plenas, praesente Christi Corpore, ut probet, Christum non habuisse Corpus phantasticum contra Marcionem, quia non datur figura phantasmatis. Homiliae Origenis *in Matth.* sunt dubiae, et Origenes reprehenditur a Theophilo Alex. *ep.* 1. quod ad allegorias panem Divinum traxerit, quo Salvatoris Corpus ostenditur. Agnovit tamen Origenes realem praesentiam *l.* 8. *contra Celsum* dicens: *Oblatos panes edimus, Sanctum Corpus sanctificans eos etc.* II. S. Augustinus *l. contr. Adimant. c.* 12. ait: *Christus non dubitavit dicere: Hoc est Corpus meum; cum signum daret Corporis sui.* Et Facundus Hermianensis in *l. pro def. trium Capit. Corpus eius et Sanguinem dicimus, non quod proprie Corpus eius sit panis, et poculum Sanguis, sed quod in se Mysterium Corporis eius Sanguinisque contineat. Resp.* S. Augustinus signum Corporis Christi plenum et illud re vera continens intellexit: vult enim ostendere Manichaeis, Sanguinem potuisse dici a Moyse animam brutorum seu signum animae, sicuti et species panis potuerunt appellari Corpus Christi, licet illius signum sint. Facundus similiter de speciebus panis loquitur, quae sunt signum Corporis Christi, sicut Baptismus est signum adoptionis: quod probare intendit, licet deinde Christum Filium Dei adoptivum male appellet (t. 1. § 317.). III. Doctrinam de reali praesentia Christi in Eucharistia a. 831. primus invexit Paschasius Radbertus, qui a Rabano in *ep. ad Heribaldum*, et Anonymo quodam a Cellotio ad calcem hist. Godeschalchi edito, et a Ratramno in *l. de Corp. et Sang. Dom.* contra Paschasium Abbatem suum refutatus fuit. *Resp.* Ante Paschasium dogma nostrum iam universale fuisse, ex dictis patet. Porro Rabanus et Anonymus non impugnabant Paschasium circa realem Christi praesentiam in Eucharistia, sed quod diceret, Corpus Christi realiter existens in Eucharistia dicendum esse natum ex Maria Virgine, cum tamen fiat ex pane; et quod doceret, Corpus Christi videri, tangi et dentibus conteri, non quidem in specie humana, sed in figura panis; in quibus tamen Paschasius ab omni errore ab Herigero absolvitur. Ratramus Paschasium similiter de reali praesentia asserta non impugnat, sed solum in suo libro probat, Corpus Christi in Eucharistia oculis non videri, nec sensibus deprehendi, cuius erroris Paschasius falso accusabatur. Hinc Paschasius et Ratramnus concedunt, idem Corpus ex Maria Virgine natum quoad substantiam in Eucharistia existere, non vero quoad modum existendi et speciem; et Ratramnus contra eos solum pugnat, qui nullam in Eucharistia figuram, nullum signum a Christi Corpore distinctum admittebant, ita ut totum quod exterius videtur, sit ipsum Corpus Christi, quod videtur, tangitur etc. unde fere semper de speciebus Eucharisticis loquitur.

3°. Denique impossibilitatem realis praesentiae ex ratione haeretici impugnant: I. Quia implicat, idem corpus esse in pluribus locis simul: esse unum, et non esse unum: moveri in uno loco, et non in altero, quae ex reali praesentia sequuntur. *Resp.* Idem corpus potest esse in duobus locis simul saltem divinitus, in uno circumscriptive et

dimensive, in altero Sacramentaliter et definitive. II. Implicat, corpus naturale esse sine quantitate; quantitas vero nequit esse sine extensione, impenetratione et divisibilitate: sed Corpus Christi est in Eucharistia modo inextenso: ergo non est Corpus Christi naturale. *Resp.* Implicat, quantitatem esse sine exstensione interna partium in ordine ad se, ita ut una pars sit posita extra aliam, cum proxima exigentia ad impenetrationem; quae Corpori Christi in Eucharistia existenti competit, cum partes illius inter se non confundantur: non vero implicat, quantitatem esse sine extensione externa in ordine ad locum, sine qua quantitas saltem divinitus esse potest, cum sit quid posterius eius essentia: hac externa extensione Corpus Christi in Eucharistia caret, et dicitur ibi esse indivisibiliter, inextense, penetrative, quod utique est mysterium, sed recte rationi non contrarium.

Deistarum calumniae. *Schol.* 3. Abauzitius recens scriptor Genevensis in lib. *Idée générale de l'Eucharistie* ait, moris apud Iudaeos fuisse, quod Paterfamilias haec verba in coena Paschali proferret: *Hic est panis afflictionis, quem Patres nostri in Ægypto comederunt.* Quae proinde verba etiam a Christo ad solam mortis suae memoriam prolata sunt. Verum undenam probat Abauzitius, dicta verba iam Christi aetate in usu fuisse, et cur Christus non dixit: *Panis afflictionis*, sed: *Corpus meum?* Falso etiam nobis imponit Auctor, libri *l'Evangile du jour*, nos credere, Deum comedi posse; nos enim dicimus, Carnem Christi veram nos accipere, cui natura Divina hypostatice unita est, quae tamen, utpote spiritualis, comedi a nobis nequit. Denique Scriptor opusculi *le Christianisme dévoilé* mentitur, quod iuxta nos ad Praesbyteri vocem cogatur Deus e coelo descendere, aut se in panem immutet, aut quod panis evadat Deus, aut quod nos panem adoremus. Nam tota Sacerdotis potestas a Deo est, quem proinde cogere nequit de coelo descendere, cum simul in coelis et SS. Eucharistia existat. Nec se Christus in panem mutat, nec panis evadit, cum tota panis substantia desinat: panem proinde minime adoramus. Vide Bergier *Apol. de la Religion*, c. 3.

ART. 1. *De Transubstantiatione.*

Transubstantiatio. §. 987. Corpus et Sanguis Christi existit in Eucharistia per Transubstantiationem, adeoque in Eucharistia non manet substantia panis et vini, sed per verba consecrationis in substantiam Corporis et Sanguinis Christi convertitur seu transubstantiatur. Probatur 1°. ex Scriptura, *Matth.* 26. *Hoc est Corpus meum;* ubi pronomen *hoc* non potest referri ad panem, cum non sit generis neutrius, et propositio haec sit practica et effectiva, quae non significat, Corpus Christi poni cum pane, aut in, aut sub pane, quia Christus non dixit: *in hoc,* vel *cum hoc,* vel *sub hoc pane est Corpus meum.* Deinde quando duo vel sunt unita, vel simul existunt, vel unum est in alio, tunc de illo enuntiari non potest, si utrumque sit substantia: sic non possum dicere: Anima est corpus, licet uniatur corpori: Deus est mundus, li-

cet sit in mundo: pictura est paries, licet adhaereat parieti. Ergo nonnisi per Transubstantiationem dici non potest: *Hoc est Corpus meum.* Rursus panis iuxta Lutheranos non est mera figura Corporis Christi: nec est re vera Corpus naturale Christi: nec hypostatice unitur cum Christo, quia alias ob communicationem idiomatum dicere possemus: panis est Christus, sicuti dicere possumus: Deus est homo (t. 1. §. 315.): nec panis potest appellari Corpus Christi, quia continet Corpus Christi, ut volunt Lutherani, quia panis nec ex natura sua, nec ex hominum instituto ad hoc significandum destinatus est, nec de Corpore Christi praedicari potest. Merito igitur Concilium Lateranense IV. *c. Firmiter*, ait, contineri *in Eucharistia Corpus et Sanguinem Domini sub speciebus panis et vini, transubstantiatis pane in Corpus, et vino in Sanguinem potestate Divina.* Et Tridentinum *sess.* 13. *can.* 2. *Si quis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis et vini, una cum Corpore et Sanguine D. N. I. C. negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime Transubstantiationem appellat; anathema sit,* 2°. Probatur ex Traditione. Sacculo 2° S. Iustinus *apol.* 2. panem *Corpus Domini* appellat, Saec. 3° S. Cyprianus *Serm. de Coena: Panis iste . . . natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro.* Saec. 4° S. Cyrillus *Cat.* 4. *Non erit dignus, cui credamus, quod vinum in Sanguinem transmutarit?* Saec. 5° S. Augustinus *in* 1. *ad Cor* 10. *Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi fit Corpus Christi.* Saec. 6° S. Remigius *in* 1. *ad Cor.* 10. *Iste panis transit in Corpus Christi.* Saec. 7° S. Gregorius M. teste Paulo Diacono in eius Vita, ita coram populo locutus est: *Panem et vinum acqua mixtum, manente propria specie, in carnem et Sanguinem suum Spiritus S. sanctificatione convertit.* Saec. 8° S. Damascenus *l.* 4. *de fide, c.* 14. *Panis vinumque et acqua per invocationem et adventum Spiritus S. supernaturaliter transmutatur in Corpus et Sanguinem Christi* Et Strabo *gloss. in* 1. *ad Cor.* 11. *Profitemur, substantiam panis et vini in substantiam Corporis et Sanguinis Dominici converti.* Saec. 9° Paschasius *l. de Corp. et Sang. Dom. Licet figura panis et vini hic sit, omnino nihil aliud, quam Caro Christi et Sanguis, post consecrationem credenda sunt.* Saec. 10° Fulbertus Carnot. *ep. ad Adeodat. Dubitare nefas est . . . si in spiritualibus Sacramentis terrena materies, naturam et meritum generis sui transcendens, in Christi substantiam commutetur.* Saec. 11° Lancfrancus et S. Anselmus Transubstantiationem ex professo propugnarunt. Saec. 12° Hugo Victor et Lombardus eam defenderunt. Saeculo 13° Concilium Later. IV. S. Thomas etc. Denique Concilium Constantiense *Sess.* 8. et Florentinum eam definierunt. Imo in Confessione Augustana legitur: *De Coena Domini ita docetur, quod verum Corpus et verus Sanguis Christi veraciter sub specie panis et vini in Coena*

praesens sit, et in hac distribuatur atque accipiatur. Et Melanchton *l. adv. Æcolamp.* ait, naturam panis mutari.

Nomen transubstantiationis, et quid sit? *Schol.* 1. *Transubstantiatio*, iuxta Tridentinum *Sess.* 13. *cap.* 4. est conversio totius substantiae panis in substantiam Corporis Christi, et totius substantiae vini in substantiam Sanguinis eius. Nomen Transubstantiationis velut novum, et in Concilio Lateranensi IV. primum excogitatum traducunt haeretici; quod etsi verum foret, negare tamen non possent, dogma per illud significatum esse antiquissimum. Verum ne illud quidem verum est, Transubstantiationis nomen ante annum 1215. incognitum fuisse: legitur enim in antiqua fidei professione Albigensium relata a Baronio *t.* 12. *a.* 1178. in epistola Gaufredi apud eumdem *an.* 1188 .apud Stephanum Eduensem in *tr. de Sacr. Alt. c.* 13. *a.* 950. vel iuxta alios *a.* 1160. apud Petrum Blessensem *ep.* 140. *a.* 1160. Antiquiores vero Scriptores, etsi nomen Transubstantiationis non usurpent, per alias tamen voces idem significatum exprimunt, dum vocant conversionem, mutationem, transmutationem, transelementationem, substantialem transmutationem. Graeci item non semper voce μετουσίωσις, quod *Transubstantiationem* significat, usi sunt, sed μεταβολὴν seu μεταποίησιν, id est *conversionem*, dixerunt, quia ut plurimum οὐσία seu *essentia* apud eos non pro interna rerum natura, sed pro sensibilibus proprietatibus et accidentibus usurpatur, quae cum in Eucharistia post consecrationem maneant, non diceretur facta mutatio naturae, et hoc modo innuerunt, symbola esse mutata.

Impanatores. *Schol.* 2. Nonnulli ex discipulis Berengarii confessi tandem praesentiam realem, dixerunt, Christum in Eucharistia praesentem sisti per *Impanationem*, hoc est, per unionem hypostaticam Verbi Divini cum pane et vino, ita ut, sicut de Christo homine vere dicitur: hic homo est Deus, ita de pane Eucharistico dici possit: hic panis est Christus. Ita Guitmundus *l.* 1. *de ver. Corp. et Sang. Christi*, et Algerus in *prol.* 1. *de Sacram. Corp. et Sang. Dom.* Hanc sententiam amplexus est Oziander Luteranus. Eius auctorem Rupertum Tuitiensem facit Bellarminus, quem tamen ab errore hoc vindicat P. Gerberonius O. S. B. in sua *Apologia*. Hic error *Impanatorum* videtur aliquo modo placuisse Ioanni Parisiensi Dominicano, qui an 1306. ut salvaret apparentiam sensibilium specierum, sic explicabat Transubstantiationem a Concilio Lateranensi propositam, ut diceret, panem Corpus Christi effici, quatenus per consecrationem hypostatice assumeretur a Verbo, non quidem immediate, ne diceretur: Deus est panis; sed mediante corpore, ita ut panis proxime corpori humanitatis Christi, et illo mediante Verbo uniretur. Licet autem sententiam suam iudicio Ecclesiae modeste subiecerit, Guidoni tamen Carmelitae ita placuit, ut si fuisset Papa eam decrevisset amplectendam, teste Waldense *tr. de Sacr. c.* 63. caeteris tamen Theologis ei contradicentibus. Wilhelmus Parisiensis de consilio quorumdam Episcoporum et Doctorum Ioanni silentium imposuit. Haec Impera-

torum sententia praeter iam dicta ex eo etiam refutatur, quod Christus dixerit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur;* non vero corpus panaceum, sed carnale pro nobis traditum fuit. Nec iuvat dicere, de corpore panaceo propter unionem hypostaticam predicari posse corpus carneum, et dici: hic panis est corpus, quod pro vobis tradetur; nam praedicatio diversarum naturarum propter unionem hypostaticam non valet, nisi in illis, quae significantur ut tota supposita: unde supposita unione hypostatica panis cum Verbo, posset quidem dici: hic panis est Deus, Christus vel homo; non vero: hic panis est corpus carneum Christi, sicuti non potest dici: hic Deus est Corpus Christi. Eadem ratio pugnat contra Ioannem Parisiensem, in cuius sententiam adhuc dici posset: Deus est panis, quia a toto Verbo assumeretur, in eoque subsisteret.

Schol. 3 Lutherani aliqui utramque panis et Corporis Christi substantiam in Eucharistia coniungunt, et consociant, qui ideo etiam Consubstantiatores dici possunt: verum hanc rem aliter explicat D. Schubert, iuxta quem tota maiestas Divina, adeoque et omnipraesentia communicata est cum humana Christi natura (t. 1. §. 318.), et haec non physice per praesentiam naturalem, sed per omnipraesentiam Divinam secum communicatam in Eucharistia praesens est, et caro Christi ore corporali accipitur, quatenus vehiculum externum, seu panis et vinum ore sumitur, cum quo Christus nobis suam carnem incomprehensibili modo communicat. Verum haec sententia, praeterquam quod laboret in falso supposito, scilicet humanitatem Christi esse ubique, quod alibi refutatum fuit (t. 1. §. 318.), etiam peccat in eo, quod manducationem veram neget, et eam solummodo in participatione singularis praesentiae et operationis humanae Christi naturae reponat; cum tamen Christus *Ioan.* 6. dicat: *Caro mea vere est cibus;* et quod substantiam panis et vini contra probata in hoc § retineat. Ad consubstantiatores accedere videtur Durandus, qui docet, solam formam panis transire in Corpus Christi, non vero materiam panis, utpote quae virtute Divina unita cum anima et Divinitate Christi fit materia Corporis ipsius, sicuti in nutritione non mutatur panis materia, sed quae ante nutritionem erat materia panis, postea fit materia carnis hominis, non recedente priori materia, sed accedente nova forma. Hanc sententiam censet Bellarminus esse haereticam, quia est contra Tridentinum, quod definit, fieri conversionem totius substantiae panis in Corpus Christi. Deinde sequeretur, Christum in Eucharistia non esse proprie hominem, quia non haberet corpus organicum: non esset idem Corpus, quod ex Beatissima Virgine natum est, utpote ex materia, quae antea erat panis conflatum. Immerito ergo Petrus Cally Cadomensis Pastor in lib. *Durand commenté*, non sine gravi temeritate Durandi sententiam defendit, eiusque liber merito ab Episcopo Baiocensi gravi censura an. 1701. notatus fuit, cui se ipse Cally modeste subiecit. Consubstantiatores.

Schol. 4. Haeretici contra nostrum dogma obiiciunt I. In S. Seri- Solvuntur

obiectiones. ptura SS. Eucharistia appellatur panis, 1. *ad Cor.* 10. *Matth.* 26. Et quando Christus, *Ioan.* 6. dixit: *Ego sum panis*, non se mutavit in panem: ergo etiam dicendo: *Hoc est Corpus meum*, panem non mutavit in Corpus suum. Rursus veritas huius propositionis: *Verbum Caro factum est*, salvatur per unionem hypostaticam: ergo et huius: *Hoc est Corpus meum*, sine mutatione substantiae panis; sicuti sine mutatione substantiae ferri de ferro ignito bene dico: hic est ignis. Hinc multi etiam Catholici Okam, Scotus et Paludanus docent, Transubstantiationem ex S. Scriptura probari non posse. *Resp.* SS. Eucharistia dicitur panis, quia ex pane hic cibus coelestis factus est: vel quia manent sensibilia accidentia panis. In illa Christi sententia: *Ego sum panis vivus*, pronomen *Ego* et *panis vivus* pro eodem Christo supponunt, adeoque ad eam verificandam nulla mutatione opus fuit: at in hac propositione: *Hoc est Corpus meum*, pronomen *hoc*, iuxta ipsos adversarios, demonstrat panem, de quo nequit verificari, quod sit Corpus Christi, nisi in illud transubstantietur. In illa propositione: *Verbum caro factum est*; *Verbum* est subiectum, quod cum sit immutabile, non potuit aliter caro fieri, nisi per unionem hypostaticam, quod innuunt verba sequentia: *et habitavit in nobis* (t. 1. § 306.): in illa vero propositione: *Hoc est Corpus meum*; *Corpus* est praedicatum, quod non fit panis per unionem hypostaticam, cum panis sit substantia mutabilis, nec dicatur: Corpus meum factum est panis; nec substantiam panis remanere, ex sequentibus colligitur. Ferrum ignitum dicitur ignis per Synecdochen, sumendo partem pro toto; at vero ly *Corpus* nec partem, nec accidens, nec rem contentam in pane designat. Denique citati Theologi in dogmate Catholico conveniunt; in eo vero, quod dicant, illud ex Scriptura probari non posse, deserendi sunt. II. S. Chrysostomus refutans Appollinaristas Synousiastas, Deum et hominem in unam naturam commiscentes, *ep. ad Caesarium* ait: *Sicut antequam sanctificetur panis, panem nominamus, Divina autem illum sanctificante gratia mediante Sacerdote liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est Dominici Corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, et non duo corpora, sed unum Corpus Filii praedicatur: sic et hic Divina inundante corpori natura unum Filium, unam Personam utraque haec fecerunt.* Et Theodoretus *dial.* 2. ait: *Neque enim simbola mystica post sanctificationem recedunt a natura sua; manent enim in priori substantia, et figura et forma, et videri tangique possunt, sicut et prius. Resp.* S. Chrysostomus nomine naturae panis Φύσεως intelligit species, et complexionem accidentium, non vero substantiam panis: tum quia ait, non duo, sed unum corpus praedicari: tum quia dicit, naturam panis manere in ipso pane: tum quia alias intulissent haeretici duas personas in Christo, sicut caro eius et panis sunt duo corpora: item Theodoretus nomine substantiae accidentia panis intelligit; vult enim contra Eutychianos probare, Christum ad coelos ascendentem non dimisisse proprietates carnis, quod Eutychiani as-

serebant, sicuti et symbolis mysticis remanet figura, circumscriptio et aliae proprietates in sua natura. Quippe tota controversia ibi erat de complexione accidentium; nam Eutychiani volebant, Verbum ab aeterno habuisse naturam humanam, sed materiae expertem: in Incarnatione vero assumpsisse formam externam, circumscriptionem, et reliquas corporis proprietates, in quibus Christus passus est. III. Rupertus *in c.* 9. *Ioan.* ait: *Verbum iam dudum Caro factum panis visibilis fit, non commutatum in panem, sed assumendo, et in unitatem suae personae transferendo panem.* *Resp.* Ruperti meus dubia videtur Salmanticensibus, adeoque deserenda: verum P. Gerberonius in *apol.* fuse ostendit, Rupertum expresse scripsisse, panem et vinum in veram Corporis et Sanguinis Christi transire substantiam: unde in citato loco intelligi potest de speciebus panis remanentibus, et assumi panem in unitatem personae, mediante scilicet corpore, in quod convertitur. IV. Corpus Christi natum ex Beatissima V. Maria, et crucifixum, non fuit factum ex pane, sicut illud in Eucharistia: ergo non idem Corpus. *Resp.* Corpus Christi non fit ex pane veluti materia, sic enim factum est ex Beatissima Virgine; sed tamquam ex termino a quo, sicuti ex aqua factum est vinum in Cana Galilaeae, quod sicuti non fuit diversae naturae a vino ex uvis facto, ita nec Corpus Christi ex pane factum est diversae naturae ab illo nato ex B. V. quia in hoc panis convertitur.

Schol. 5. Quaerunt hic Scholae, qualis actio sit transubstantiatio. Respondetur, esse actionem vere productivam Corporis Christi secundum quid, quia est conversio substantialis, ex Trident. *Sess.* 13. *can.* 1. *et* 2. Ergo est vere productiva, quia omnis actio conversiva simul est productiva eius, in quod fit conversio, uti patet cum uxor Lothi conversa est in statuam salis. Quare non est actio adductiva, quia alias solummodo esset translocatio, non vero Transubstantiatio. Nec est actio conservativa Corporis Christi sub speciebus, quia conservatio est quid consequens Transubstantiationem. Nec est actio unitiva cum speciebus, quia haec unio etiam est quid consequens, et solum quid accidentale, quia unum extremum, scilicet species sunt accidens. Nec est reproductiva Corporis Christi simpliciter, quia hoc iam ante Transubstantiationem productum est, sed secundum quid, nempe ad esse sub speciebus panis, quod proinde novum modum essendi accipit. Qualis actio sit Transubstantiatio?

Schol. 6. Quaeritur ulterius, an et quomodo accidentia panis et vini maneant post consecrationem. Respondetur, esse de fide, in SS. Eucharistia post consecrationem manere accidentia sensibilia panis et vini, ex Trident. *Sess.* 13. *can.* 2. Item de fide est, accidentia panis et vini remanere sine substantia panis et vini, ita ut nec materia prima panis et vini, nec forma substantialis Peripatetica, nec subsistentia, nec existentia, nec ullus gradus genericus vel individualis substantiae panis et vini remaneat. Non tamen ideo substantia panis et vini desinit per annihilationem, quia horum An accidentia maneant sine subiecto?

omnium desitio est in aliquid positivum, scilicet in Corpus et Sanguinem Christi quae non est annihilatio. An vero accidentia maneant sine omni subiecto, quod potest esse vel Corpus Christi, vel aer circumstans, vel quid simile controvertitur. Ubi iterum est de fide, subiectam horum accidentium non esse substantiam panis et vini; itaque de aliis solum subiectis quaestio esse potest. Et quidem Soto, Serra etc. putant, esse immediate de fide, accidentia manere sine omni subiecto. Salmanticenses vero censent, esse certum certitudine conclusionis Theologicae, et consequenter sententiam contrariam non esse quidem haereticam, sed in fide erroneam. Verum ab his censuris abstinendum est, cum Ecclesia necdum declaraverit, accidentia panis et vini in SS. Eucharistia manere sine omni subiecto; nam Concilium Constantiense *Sess.* 8. damnans articulum 2^m Wicleffi: Accidentia panis et vini non manent sine subiecto in eodem Sacramento; teste Petro de Alliaco Cardinale et Papae Legato, non cogitavit definire aliquid de accidentibus, sed solum de subiecto accidentium contra Wicleffum, scilicet de substantia panis et vini, quam remanere cum accidentibus post consecrationem Wicleffus docuit. Imo ipse hic Cardinalis negat, quantitatem esse accidens absolutum a re quanta absolute distinctum. Eodem modo Concilium Tridentinum *Sess.* 13. *can.* 2. et Coloniense solum contra Impanatores et Consubstantiatores definiunt, non remanere, nec adesse substantiam panis et vini: S. Thomas, S. Anselmus, Lanfrancus, et S. Bonaventura etc. asserere quidem videntur, accidentia manere sine omni subiecto; sed suam sententiam ita voluerunt exponere, ut tamen salva fide aliis permiserint aliter opinari, dummodo non admittatur, illa accidentia esse in substantia panis et vini, quod etiam potissimum probare volunt. Nonnullae vero censurae privatae in oppositam sententiam latae hodie videntur abolitae. Quare licet iuxta antiquiores Philosophos accidentia panis et vini maneant sine omni subiecto substantiali, quia periit, non tamen sine accidentali, quia saltem in quantitate subiectantur, et ipsa quantitas existat sine omni subiecto, et quidem per propriam existentiam aptitudinaliter inhaesivam Dei concursu conservativo in obliquo connotato: recentiores tamen Philosophi, qui possibilitatem accidentium absolutorum negant, et accidentia panis et vini vel in Corpore Christi, vel in aere subiectari, vel Deum per seipsum supplere actionem substantiae panis, facta in sensibus nostris eadem modificatione ac impressione, quam panis faciebat ante consecrationem dicunt, nullius erroris contra fidem argui debent. Nos hanc litem Philosophis dirimendam relinquimus; sufficit hic miraculum intervenire, quod non esse impossibile, ratio quidem deprehendit, licet modum, quo fiat, non comprehendat.

Art. 2. *De existentia totius Christi sub qualibet specie consecrata.*

Totus Christus — § 988. Porro totus et integer Christus existit sub qualibet specie consecrata tota, adeoque cum Divinitate et Humanitate, cum Cor-

pore, et Anima, cum Carne et Sanguine, et omnibus accidentibus a loco independentibus. Nam 1° 1. *ad Cor.* 11. *v.* 27. S. Paulus *reum* facit simul *Corporis et Sanguinis Christi, qui manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne.* Unde Florentinum in Decreto ait: *Totus Christus continetur sub specie panis, et totus sub specie vini.* Et Tridentinum *Sess.* 13. *can.* 3. *Si quis negaverit, in Sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie . . . . totum Christum contineri, anathema sit.* 2° Ratio est: Christus divisus non est, et quae semel assumpsit, nunquam dimisit, nec amplius moritur: unde ab ipso Incarnationis instanti nexu inseparabili Divinitas cum humanitate coniuncta fuit, et ab ipsa resurrectione humanitas Christi utpote immortalis indissolubili unione cum anima et Sanguine semper coniungitur. Ergo, qui sub panis specie sumit Corpus Christi, et sub specie vini eius Sanguinem, ille totum et integrum Christum cum Divinitate et humanitate etc. sumit. *est sub qualibet specie.*

§ 989. Non autem tantum Christus existit sub tota specie, sed etiam totus sub qualibet parte, facta separatione. Ita 1° definit Tridentinum *Sess.* 13. *can.* 3. *Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cuiusque partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit.* 2° Patet ex Traditione et praxi Ecclesiae, quae peracta consecratione eamdem Hostiam frangere consuevit in plures distribuendam, et eumdem Calicem omnibus astantibus porrigere solebat, exemplo Christi, qui de Calice dixit: *Bibite ex eo omnes. Matth.* 26. 3° Ratio est, quia Christus in locum substantiae panis succedit: ergo esse debet, ubi antea fuit substantia panis. Sed in quavis hostiae parte erat substantia panis. Ergo post separationem Christus ibi est. *Et totus sub qualibet parte, facta separatione.*

Schol. 1. Bohemi pugnantes pro communione sub duplici specie saeculo 15° putarunt, totum Christum non esse sub qualibet specie. Lutherus etiam circa hanc quaestionem dubius fuit, quam inutilem esse dixit: conqueritur tamen, se falso culpari, quod non existimaret, totum Christum esse sub utraque specie. Discipuli tamen eius in hac re non omnes conveniunt. *Haereses.*

Schol. 2. Quaeritur in Scholis, an Corpus Christi existat totum et actu sub singulis partibus sensibilibus Hostiae etiam coniunctis ante separationem, et quidem etiam sub illis, quae separatae non essent sensibiles. Respondetur affirmative, quia ante consecrationem substantia panis erat tota et actu in singulis partibus hostiae, et sub illis, quae separatae essent insensibiles, ut toti coniunctis conservabatur actu ante consecrationem tota substantia panis: ergo sub eis est actu Christus, facta consecratione. *Et ante separationem.*

Schol. 3. Corpus Christi non est in Eucharistia extensive et localiter, quia locum dimensive et per partes non occupat; unde solum dicitur esse hic vel ibi ratione specierum, vel iuxta P. Suarez, quia habet ubi intrinsecum in ordine ad extrinsecum seu locum. Ex quo etiam sequitur, 1. Christum existentem in Eucharistia per se non *An Christus sit in Eucharistia localiter?*

posse moveri localiter, quia non est in loco proprie dimensive, sed tantum definitive per modum Spiritus: bene vero potest moveri per accidens ratione specierum; nam circumfertur in Processionibus, iuxta Tridentinum *Sess.* 13. *can.* 6. 2. Christus in Eucharistia non potest agere et pati actione et passione corporea ob defectum extensionis localis; quia tamen non est in hoc Sacramento modo mortuo instar alicuius rei insensibilis; est probabile, quod ille defectus a Deo suppleatur, ita ut Christus supernaturaliter videat omnes fideles adstantes, eorumque actiones; imo quia Christus probabiliter videt e coelo homines oculis corporeis, sicuti S. Stephanus e terra vidit Iesum in coelo, etiam per concomitantiam ex Sacramento videt omnia, quae sunt, et aguntur in terris. 3. Christus in Eucharistia naturaliter nequit videri oculo corporeo, quia cum indivisibiliter ibi existat, non potest naturaliter producere sui speciem sensibilem et extensam: potest tamen supernaturaliter, si imago eius poneretur in oculo. 4. Praesentia Sacramentalis nihil dicit realiter distinctum a Corpore Christi et speciebus consecratis, quatenus se mutuo connotantibus, ipsamque actionem conversivam et conservativam.

An in apparitionibus miraculosis in Eucharistia sit vera Caro?

Schol. 4. Ex Scholio praecedenti inferunt Salmanticenses, quod in Eucharistia in miraculosis apparitionibus Caro et Sanguis Christi in specie visibili apparens, non sit vere et substantialiter Corpus et Sanguis Christi, sed quaedam eorum repraesentatio et figura; quod probat S. Thomas 3. *p. a.* 8. tum ex eo, quia corpus gloriosum non tamdiu permaneret visibile, sicuti has apparitiones permanere notum est: tum quia si in his apparitionibus esset vere Caro Christi, Christus esset in hoc Sacramento modo indivisibili, quia non posset contineri sub particula Hostiae, nisi modo indivisibili, et esset ibi modo divisibili, quia Corpus, quod tangitur in propria specie, existit modo divisibili cum extensione ad locum: tum ex eo, quia Caro et Sanguis apparens solent mutationes subire, quae non competunt Corpori Christi glorioso in propria specie existenti. Interim in miraculosis his apparitionibus Christus permanet in Sacramento, licet fiat variatio in aliis qualitatibus et accidentibus: quod iterum probat S. Thomas, tum ex eo quia facta apparitione eadem reverentia et cultus Latriae ei, quod apparet, exhibetur: tum hae apparitiones fiunt ad confirmandam fidem nostram circa realem praesentiam Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia, ubi credibile non videtur, quod miraculis factis ex hac intentione desinat Corpus Christi esse in Sacramento. Notant tamen Salmanticenses, quando in punitionem peccatorum SS. Eucharistia converteretur in lapidem, tunc non conservari species, nec Christum sub illis; sed idem foret, ac si species corrumperentur. Deinde in speciebus miraculose immutatis possunt aliquando ex diuturnitate temporis apparere sufficientia corruptionis signa, ut prudenter iudicemus, non remanere in illis corpus Domini, et tunc inferior illis reverentia exhiberi debet, qualis vestibus Christi exhibetur; semper tamen religiose asservandae sunt usque ad manifestam

earum corruptionem. Si vero miraculose Corpus Christi in Altari sub specie carnis appareret, consulendum esset Sacerdoti, ut Corpus et Sanguinem iterum consecraret et sumeret.

ART. 3. *De existentibus in Eucharistia vi verborum, et per concomitantiam.*

§. 990. In Sacramento Eucharistiae aliqua ponuntur et sunt vi verborum, aliqua per naturalem concomitantiam. Hoc 1° colligitur ex Tridentino *Sess.* 13. *cap.* 3. *Semper haec fides in Ecclesia Dei fuit; statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque eius Sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius Anima et Divinitate existere: sed Corpus quidem sub specie panis, et Sanguinem sub specie vini ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, et Sanguinem sub specie panis, Animamque vi naturalis illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur: Divinitatem porro propter admirabilem illam eius cum Corpore et Anima hypostaticam unionem.* 2° Ratio est: Illud dicitur poni et esse ex vi verborum in Eucharistia, quod per verba praecise significatur: illud vero per naturalem connexionem et concomitantiam, quod in Sacramento ponitur, quia habet realem unionem cum illo, cuius positio necessaria est ad veritatem verborum. Sed certum est, in Eucharistia aliqua existere priori modo, alia posteriori; nam ad consecrationis verborum panis veritatem necessaria est positio Corporis; alias non verificaretur ly *Hoc est Corpus meum;* e contra vero ad veritatem praedictorum verborum non est necessaria positio et existentia Sanguinis sub specie panis; siquidem illa verba Sanguinem non significant: ponitur tamen re ipsa sub dictis speciebus Sanguis Christi ob naturalem connexionem, quam de facto habet cum Corpore Christi modo existente. Ergo dicendum est, aliqua ibi poni vi verborum, aliqua per naturalem connexionem et concomitantiam.

Aliqua sunt in Eucharistia vi verborum, alia vi naturalis concomitantiae.

Schol. Hanc distinctionem modo assertam P. Vasquez et alii putant, esse immediate de fide. Verum Salmanticenses probabilius censent, eam non pertinere immediate ad fidem; esse tamen adeo certam, ut negari non possit, absque errore in fide, et ingenti temeritate. Nam 1. Concilium Tridentinum solum definire voluit, totum Christum cum Divinitate et Humanitate, cum Corpore et Anima, cum Carne et Sanguine sub qualibet specie contineri (§ 988.): ea autem, quae attingunt voces Scholae, et non pertinent ad rem ipsam, maximam quidem auctoritatem habent, ita ut contradicentes puniri debeant: sed non sunt immediate de fide; et talis est doctrina Concilii de distinctione existendi ex vi verborum, aut per naturalem concomitantiam. 2. Esset tamen error in fide et ingens temeritas, contrarium dicere, tum ob auctoritatem Concilii et communem Catholicorum consensum; tum quia ex principiis fidei haec distinctio satis colligitur, et ea negata aliquae fidei veritates aegre salvari possent.

An sit de fide?

Non obstat I. quod Tridentinum dicat: *Semper haec fides in Ecclesia Dei fuit:* nam *Resp.* Hoc refertur ad propositionem immediatam, nempe Corpus et Sanguinem Christi esse sub specie panis, quam propositionem Concilium definivit, non autem ad reliqua verba. II. Sine hac distinctione plura a Concilio dicta verificari non possunt. *Resp.* Plura sunt connexa cum veritatibus ad fidem immediate pertinentibus quin tamen ad fidem immediate pertineant, uti sunt illa, quae ex articulis fidei per legitimam consequentiam deducuntur, et ea, ex quorum negatione infertur negatio alterius fidei articuli; et haec non dicuntur formaliter haereses, sed errores contra fidem, qui est gradus censurae inferioris.

Quid vi verborum ponatur? §. 991. Igitur vi verborum sub specie panis continetur Corpus Christi, et sub specie vini Sanguis Christi. Ita patet ex Tridentino citato (§ 990.). Et ratio est, quia verba consecrationis quantum ad speciem panis, scilicet: *Hoc est Corpus meum:* et quantum ad speciem vini: *Hic est Sanguis meus*, directe significant Corpus et Sanguinem Christi, et non possunt verificari, nisi sub specie panis Corpus, et sub specie vini Sanguis Christi ponatur.

Schol. 1. Ex hoc colligunt Salmanticenses, corpus humanum quod vi verborum in Eucharistia ponitur, esse corpus abstrahens a vivo et mortuo: saliva vero, sudor et lacrymae non ponuntur ibi nec vi verborum, nec per naturalem concomitantiam, quia Christus illa de facto non habet; aliae vero partes, quas Christi Corpus modo habet vi verborum ponuntur. sicut et Sanguis, quem modo Christus in coelo habet, sub specie vini; cholera vero et pituita in utraque specie per realem connexionem et naturalem concomitantiam ponuntur. Item per concomitantiam supernaturalem mediatam remotam et secundariam in Eucharistia est Personalitas Patris et Spiritus S. quia Pater et Spiritus S. sunt inseparabiliter in Filio per circuminsessionem seu unitatem essentiae; non tamen dicuntur sumi Pater et Spiritus S. quia ob mediatam tantum praesentiam non datur communicatio idiomatum (t. 1. §. 170. 315.). Denique si Apostoli consecrassent in triduo mortis Christi, solum Corpus sub specie panis, et Sanguis sub specie vini positus fuisset.

An aqua immediate convertatur? *Schol.* 2. Quaerunt scholae, an aqua vino mixta convertatur in Sanguinem Christi vi verborum consecrationis, an vero in propria substantia remaneat, de qua re acriter disputatum fuit saeculo 12° in Gallia: an vero aqua immediatae vel mediate, id est, prius conversa in vinum, in Sanguinem Christi convertatur, eodem saeculo quaesitum fuit, et Innocentius III. c. *Cum Martha de celebr. Miss.* quatuor sententias refert. Prima vinum et aquam in sanguinem et aquam e latere Christi defluentes converti docuit. Secunda statuit, aquam in phlegma converti, quam opinionem nefariam vocat Innocentius. Tertia dixit, aquam in propria substantia remanere, vini accidentibus circumfusam. Quae sententiae nullos hodie in Scholis patronos habent. Quarta aquam cum vino ideo in Sanguinem con-

verti statuit, quia vino mixta in vinum transit; et hanc sententiam defendunt Thomistae. 1. Dicendum, aquam vino mixtam in calice re vera converti in Sanguinem Christi: tum quia illud, quod a Christo Apostolis datum fuit, et in calice contentum, licet aqua mixtum, erat sanguis eius: Tum quia SS. PP. et Concilia dicunt, Christum calicem aqua mixtum sanguinem suum fecisse (§ 983.). Ergo contraria sententia stare nequit. 2. Dicendum, aquam vino mixtam converti in Sanguinem Christi vi verborum consecrationis immediate: tum quia PP. dicunt simpliciter, vinum aqua mixtum in Sanguinem Christi converti (loc. cit.): tum quia experimenta probant, aquam vino mixtam naturam suam non deperdere, cum per artem iterum ab eo separari possit, odore et sapore retento. Nec dicas I. Aqua non est materia Eucharistiae: et Innocentius III. mediatam solum conversionem in cit. cap. admittit. *Resp.* Aqua solitarie sumpta non est materia Eucharistiae; bene vero mixta vino, ut constituat potum usualem. Innocentius ait, *aquam cum vino in Sanguinem transmutari* (loc. cit.): ergo stat potius pro nobis. II. Chartusiani et Dominicani ideo ab initio Missae vinum infundunt et aqua miscent: et Catechismus Romanus ideo vult paullulum aquae infundi, ut in vinum convertatur. *Resp.* Consuetudo infundendi vinum et aquam ab initio Missae, est ex ritu antiquo, quo olim ab initio statim sacra dona parabantur. Vid. Card. Bona *l.* 2. *rer. Lit. c.* 9. non vero ut aqua in vinum transeat: et a ratione Catechismi Rom. salva reverentia illi debita, recedimus. Porro aqua a vino consecrato separata Sacramenti rationem non retinet.

CAP. VI.

De natura, et essentia Eucharistiae.

§. 992. Ex doctrina Transubstantiationis sequitur, Sacramentum Eucharistiae, si spectetur in facto esse, non consistere in usu et sumptione, sed in re permanente. Nam 1° *Matth.* 27. Christus dixit: *Hoc est Corpus meum. Hic est calix novum Testamentum in Sanguine meo*, antequam Apostoli symbola sumerent: ergo Corpus et Sanguis Christi erant in manibus eius, antequam in os Apostolorum intrarent. Certe verba haec non sunt promissoria, sed demonstrativa per particulam *hoc* rei praesentis. Iuste ergo definit Tridentinum *Sess.* 13. *can.* 4. *Si quis dixerit, peracta consecratione in admirabili Eucharistiae Sacramento non esse Corpus et Sanguinem D. N. I. C. sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante, vel post; et in hostiis seu particulis consecratis, quae post Communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini; anathema sit.* 2°. Patet ex Traditione et usu fidelium, qui hostiam consecratam etsi non sumatur, vocant SS. Sacramentum: sic S. Chrysostomus *in* 1. *ad Cor.* 10. quaerit; *Quid est in calice? quod ex latere Christi fluxit.* Et S. Augustinus *in Ps.* 33. scribit, Christum in manibus Corpus

Eucharistia non consistit in solo usu.

suum portasse. Denique probari potest ex usu antiquissimo Ecclesiae asservandi Eucharistiam; de quo mox plura.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Lutherani et Calvinistae putant, Sacramentum Eucharistiae non esse rem permanentem, sed actionem transeuntem. Primus erroris huius auctor fuit Bucerus. qui a. 1536. persuasit Luthero, Corpus Domini non esse in Eucharistia, nisi dum sumitur. Putavit Bucerus, per hanc sententiam conciliari inter se posse Lutheranos et Zwinglianos; sed licet concordia non successerit, libenter tamen hanc sententiam arripuerunt, tum Zwingliani, tum Lutherani, quia videbant, per eam destrui asservationem et adorationem Eucharistiae apud Catholicos usitatam. Non conveniunt tamen Protestantes in usu hoc explicando. Calvinus tunc solum panem et vinum esse Saramentum dicit, quando manducatur et bibitur: Kemnitius vero, in tota actione Coenae Domini, id est, dum panis benedicitur, frangitur, distribuitur, et dum ad aegrotos defertur, ut illum comedant, non vero, ut asservent, Corpus Domini remanere docet. Prima eorum ratio est, quia *Marci 14.* dicitur: *Biberunt ex eo omnes:* et deinde modo subditur: *Et ait illis: Hic est Sanguis meus. Resp.* S. Marcus per anticipationem scripsit: *Biberunt omnes*, et non servavit ordinem rerum gestarum, sicuti S. Matthaeus et S. Lucas ac S. Paulus, 1. *ad Cor.* 10. II. Verba institutionis significant actionem: *Accipite, comedite. Resp.* Haec verba denotant quidem mandatum sumendi Eucharistiam, et praecipuum eius finem, nempe usum; non tamen rationem formae habent, nec ad essentiam requiruntur. III. Alia Sacramenta consistunt in usu: ergo etiam Eucharistia. *Resp.* Disparitas est, quia Eucharistia continet rem Sacram absolute, nempe Corpus Christi: alia vero tantum continent rem sacram in ordine ad aliud, nempe virtutem sanctificandi eos, quibus applicantur.

Art. 1. *De asservatione Eucharistiae.*

SS. Eucharistia in Templis asservanda est. §. 993. Quia SS. Eucharistia consistit in re permanente in facto esse, scilicet in Corpore et Sanguine Christi sub speciebus panis et vini, ideo in Templis religiose et devote asservatur. Ita 1° definit Tridentinum *Sess.* 13. *can.* 6. *Consuetudo asservandi in Sacrario S. Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam etiam Saeculum Nicaeni Concilii agnoverit. Porro deferri ipsam S. Eucharistiam ad infirmos, et in hunc usum diligenter in Ecclesia conservari, praeterquam quod cum summa aequitate et ratione coniunctum est, tum multis in Conciliis praeceptum invenitur, et vetustissimo Ecclesiae Catholicae more est observatum. Quare haec S. Synodus retinendum omnino et salutarem hunc et necessarium modum statuit.* Verum cum hanc Concilii doctrinam falsi arguant haeretici tam quoad factum, quam quoad ius: hinc probatur 2° ex antiquo usu, quo olim fideles SS. Eucharistiam secum domum asportabant pro spirituali alimonia, de quo testatur Tertullianus *l.* 2. *ad uxor. c.* 2. S. Cyprianus *tr. de lapsis* narrans, mulierem dum arcam suam, in qua Eucharistia continebatur, indi-

gnis manibus aperire tentasset, igne crumpente deterritam fuisse. S. Basilius *ep.* 289. scribit, Monacos secum SS. Eucharistiam in desertum retulisse. S. Gregorius Naz. *or.* 11. narrat, sororem suam noctu coram SS. Eucharistiam apud se retentam procumbentem, a morbo liberatam esse. S. Ambrosius in *or. fun. fratris sui Satyri* narrat, eum beneficio Eucharistiae, quam collo suo appendcrat, naufragii periculum evasisse. 3° Patet ex usu Eucharistiam ad absentes deferendi: de quo testantur S. Iustinus *apol.* 2. S. Iraeneus *ep. ad Victorem.* Item ex usu servandi Eucharistiam pro infirmis: de quo testantur Eusebius *l.* 6. *hist. c.* 44. narrans, quemdam Serapionem in extremis positum a Presbytero aegroto noctu per puerum exiguam Eucharistiae partem accepisse, quam madefactam puer in os eius instillavit. Et concilium Nicaenum I. *can.* 13. statuit: *Omni cuilibet in exitu posito et poscenti sibi Communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter, id est probatis eius dispositionibus. ex oblatione dare debebit.* Idem patet ex modo veteri asservandi SS. Eucharistiam, pro cuius receptaculo olim fiebant columbae et turres argenteae, uti habet liber Pontificalis in Silvestro: Concilium Constantin. a. 536. Item Pastophoria in Const. Apost. *l.* 8. *c.* 5. et alii modi, qui videri possunt apud Martene *l.* 1. *de ant. rit. c.* 5. *a* 3. 4° Rationes sunt, quia verba consecratoria iam ante usum practice significant, et quia alias suscipientes, saltem ex parte, ministri SS. Eucharistiae forent.

Schol. Ex haeresi, quod SS. Eucharistia in usu consistat, fluit altera, quod SS. Eucharistia non debeat in Templis asservari. I. Quia olim in Ecclesia Romana prohibitum fuit, aliquid in crastinum de SS. Eucharistia asservari; unde residuum consumebant Clerici, iuxta *ep.* 2. S. Clementis: et in Ecclesia Constantin. residuum dabatur pueris Scholaribus, teste Evagrio *l.* 4. *hist.* Et Concilium Caesaraugustanum a. 381. et Toletanum I. a. 400. vetat, ne in privatorum manibus SS. Eucharistia domum deferenda detur: et hodie apud Abyssinos SS. Eucharistia non asservatur. *Resp.* Residuum ex SS. Eucharistia, quod putredini vel erat obnoxium, vel omnino brevi consumi non poterat, Clerici comedebant, et pueris dabatur, aliis particulis sepositis. Concilia Caesaraugustanum et Toletanum ideo prohibuerunt, Eucharistiam in manibus dari, et domum asportari, quia eo tempore in Hispania Priscillianistae sub nomine Catholicorum accedentes, SS. Eucharistiam domi horrenda impietate proiiciebant; quod praeceptum universale non fuit. Abyssini Schismatici vel in hoc errant, vel non putant, asservationem esse necessariam, quia apud eos laici bis in septimana communicant. II. Origenes *hom.* 5. *in Lev.* ait: *Dominus panem .... non distulit, nec servari iussit.* Et S. Cyprianus *Serm. de Coena c.* 5. ait, panem Eucharisticum recipi, non includi. Et Ven. Beda *l.* 4. *hist. Angl.* narrat, puerum infirmum ab Apostolis monitum esse, ut expectaret celebrationem Missarum, et ita accepto Dominici Corporis Viatico in coelum avolaret. *Resp.* Origenes

Solvuntur obiectiones

solum probare vult, Sacrificium laudis semper novum esse debere; et certe ex eo, quod Christus SS. Eucharistiam distribuerit, non sequitur, asservandam non esse, eum hoc prudentiae Ecclesiae reliquerit. S. Cyprianus vel potius Arnaldus Bonaevallensis Auctor illius Sermonis *de Coena* solum vult, Corpus Christi non ita pyxidi includi, quin sit in aliis Hostiis consecratis. Ex narratione Ven. Bedae non sequitur, SS. Eucharistiam asservatam non fuisse, sed tantum SS. Apostolos iussisse, ut puer aegrotus tempus Sacrificii expectaret, quo maiori devotione Eucharistiam sumeret. III. Cardinalis Humbertus saeculo 11^mo^ reprehendit Graecos, quod SS. Eucharistiam asservarent; et Gabriel Biel saeculo 15° in Canone Missae observat, Christum non dedisse Apostolis Eucharistiam, ut eam honorifice asservarent, sed ut eam ederent. *Resp.* Humbertus Graecos reprehendit, quod per Quadragesimam Missas imperfectas ex Praesanctificatis die Dominico celebrarent. Biel vero adducto argumento fideles ad Sacram Communionem urget.

Christus in Eucharistia cultu Latriae adorandus. § 994. Quia vero Christus Dominus in SS. Eucharistia etiam ante sumptionem vere et realiter praesens est (§ 986 992.); ideo Domino Iesu in SS. Eucharistia existenti Latriae cultus est exibendus. Nam 1° Christus cultu Latriae est adorandus (t. 1. § 319.): sed Christus est vere, realiter et substantialiter praesens in Eucharistia (§ 985.): ergo cultu Latriae est adorandus. Unde Tridentinum *Sess.* 13. *can.* 5. definit: *Si quis dixerit, in SS. Eucharistiae Sacramento Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu Latriae etiam externo adorandum; anathema sit.* 2° Ita iubent Patres. S. Cyrillus Ierosol. *cat.* 5. praecipit, ad S. Synaxim accedere *sinistra subiecta dexterae, et pronum in modum adorationis.* 3. Chrysostomus *hom.* 7. *in Matth.* vult, ut accedentes ad Altare, *simus imitatores Magorum, atque adoraturi Christum.* S. Ambrosius *l.* 3. *de Spir. S. c.* 11. *Carnem Christi hodieque in mysteriis adoramus.* S. Augustinus *in Ps.* 98. *v.* 5. *Nemo ipsam carnem manducat, nisi prius adoraverit.* 3° Accedunt antiquissimae Liturgiae iubentes, ut post consecrationem Sacerdos et fideles Christum in Eucharistia adorent. Vid. Witasse *de Sacr. Euch.* et ipse Lutherus *t.* 8. *Ien. fol.* 417. scribit: *In venerabili Sacramento, quod omni honore adorandum est.*

ART. 2. *De festo Corporis Christi.*

Festum Corporis Christi merito celebratur. § 995. Ex dogmate praecedente sequitur, quod optimo consilio solemne Festum Sacratissimi Corporis Christi, et cum eo Processio et circumgestatio Augustissimi Sacramenti instituta sint. Ita definit Tridentinum *Sess.* 13. *can.* 6. *Si quis dixerit, in SS. Eucharistiae Sacramento Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu Latriae etiam externo adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in Processionibus secundum laudabilem et universalem Ecclesiae S. ritum et consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non pubblice, ut adoretur, populo proponendum, et eius adoratores*

esse idolatras; anathema sit. 2. Ratio est, quia congruum est, ut SS. Eucharistia, commemoratio Passionis Dominicae, et Divinae charitatis perenne memoriale, speciali Festo, quod Feria 5ª maioris Hebdomadae ob alias caeremonias incidentes non satis solemniter fieri potest, celebretur; maxime, ut hoc modo suppleatur devotio, quae in quotidianis Sacrificiis ob multorum negligentiam intepescit, et hoc cultu splendeat fides Catholica, et Ecclesia de haeresi triumphum agat: quam rationem a Tridentino *Sess.* 13. *cap.* 5. allatam experientia probavit; siquidem ipse Lutherus in Processione SS. Sacramenti se repentino terrore correptum frigidum sudorem emisisse, confessus fuit apud Aurifabrum. Accedit solemnis circumgestatio Arcae in V. L. *Ios.* 3. et 1. *Reg.* 4. et antiquus mos SS. Eucharistiam ad aegrotos deferendi. Denique Christus in SS. Eucharistia cultu Latriae etiam externo adorandus est, et quidem ante sumptionem (§ 993. 994.). Ergo speciali Festo coli, et in Processione supremo Latriae cultu adorandus solemniter circumgestari et proponi potest.

Schol. 1. Non omnino certum est, quis primus Festum SS. Corporis Christi indixerit: ex variarum tamen historiarum collatione coniectura fieri potest. Igitur a. 1208. B. Iulianae Sanctimoniali in suburbio Leodiensi huius solemnitatis facienda institutio divinitus revelata fuit, ostenso sibi coelo syderibus, seu aliis festis in Ecclesia celebrari solitis, micante, sine sole seu hac solemnitate. Haec revelatio postea a multis Theologis examinata, impulit Robertum Episcopum Leodiensem, ut anno 1246. coacta Synodo in sua dioecesi hanc solemnitatem celebrandam indiceret. Postea Urbanus IV Papa, antea Iacobus de Trecis dictus et Archidiaconus Leodiensis, tum supplicationibus Henrici Leodiensis Episcopi, tum insigni miraculo apud Vulsinium contingente, quo Sacerdote incredulo rem Sacram faciente ex fractae Hostiae Particula in subiectum Corporale, quod etiamnum in maiori templo Urbevetano asservatur, prodigiosus Sanguis effluxit; Pontificio Diplomate: *Transiturus de hoc mundo*, Urbeveteri dato a. 1264. die 11. Augusti, idem Festum solemne ad universam Ecclesiam extendit. Unde Urbanus IV. passim huius solemnitatis Auctor ab Historicis dicitur. Decessit Urbanus IV. Non Octobr. eiusdem anni, eiusque Bulla statim executioni mandata fuit. Verum Diploma Urbani postea confirmatum fuit a Clemente V. a. 1311. in Concilio Viennensi: deinde a. 1316. a Ioanne XXII. et a. 1429 a Martino V. a. 1433. ab Eugenio IV. et a. 1551. a Tridentino. Vid. Benedictum XIV. *de fest. Dom.* Auctorem Officii huius diei Papebrochius fecit Ioannem Clericum Leodiensem. Ast passim Scriptores concordant, Auctorem huius Officii esse S. Thomam, qui a. 1246. iubente Urbano IV. illud composuit. Processionem solemnis huius Festi ab Urbano IV. institutam esse, negant Magdeburgenses *cent.* 13. c. 10. et Genebrardus *l.* 4. *Chronici.* Verum Benedictus XIV. loc. cit. ex ipsa Bulla Urbani: *Transiturus*, in qua mandatur, ut populi ad laudum Cantica in Festo hoc concurrant: et ex facto Ur-

Institutio huius Festi.

bani, quo Corporale illud Vulsinii Sanguine S. conspersum cum solemni Processione *Urbem veterem* transferri voluit; probat, saltem ex facto Urbani hanc Processionem derivari. Certe Martinus in Constit *Ineffabile Sacramentum*, Indulgentias 100. annorum comitantibus hanc Processionem concedens, eam iamdiu institutam supponit, et post Urbanum IV. nullus huius Processionis Auctor assignari potest.

Salvuntur obiectiones. *Schol.* 2. Protestantes Catholicis idololatriam, id est; quod pani cultum Divinum exhibeant, opponunt, dum SS. Eucharistiam adorant, religiose asservant, et speciali Festo ac solemni Processione colunt. I. Quia Idololatriae crimen est, pani rei creatae cultum Divinum exhibere, et SS. Eucharistia ad usum, non vero ad asservationem et Processionem instituta fuit. *Resp.* Nos non adoramus panis et vini accidentia, sed Christum sub illis latentem; adeoque Tridentinum caute definivit, adorandum in SS. Eucharistiae Sacramento Christum, licet Catholico sensu dici poterat, Sacramentum adorandum, quatenus hoc nomine non solae species, sed quod sub illis continetur, significatur. Deinde per asservationem et Processionem usus SS. Eucharistiae non tollitur, sed fideles ad eum excitantur. II. Arca foederis olim in castra delata capta fuit, ut Deus ostenderet, hanc circumgestationem sibi displicere; adeoque haec Processio contra S. Scripturam, et consuetudinem Apostolicam introducta fuit. *Resp.* Arca in castra delata Philisteos terrore concussit, capta contrivit idolum Dagon, percussit Azotios et Gethaeos etc. Quod autem deferentibus Arcam in castra triste accidit, non Arcae, sed militum idololatriae Diis Baalim et Astaroth servientium 1. *Reg.* 7. tribuendum est; ubi monemur, ne sacra profanationis periculo exponamus. Sacra Scriptura Processioni huic non contradicit. Priscis illis temporibus expediebat, S. Mysteria Gentilium profanationi subtrahere, adeoque publice non circumgestare; nunc contra Apostatas Sacramentorum nostrorum conscios palam colenda et vindicanda sunt. III. Quaerit Kemnitius, cur SS. Sacramentum sub duplici specie non circumferatur. *Resp.* Quia sub una specie totus Christus et ratio Sacramenti habetur, et quia in speciebus vini adest maius periculum effusionis.

ART. 3. *De tempore, quo Christus desinit esse in Eucharistia.*

Quando in Eucharistia desinat Corpus Christi? § 996. Restat modo, ut explicetur, quousque Christus in Eucharistia maneat; ubi certum est, 1° quod Corpus Christi non recedat in Eucharistia, nec substantia panis redeat, quando quis indigne ad eam accedit; quia 1. *ad Cor.* 11. dicitur: *Qui enim manducat, et bibit indigne, iudicium sibi manducat, et bibit, non diiudicans Corpus Domini.* Ubi Apostolus aperte supponit, aliquos Corpus Domini indigne suscipere, quod falsum foret, si Corpus Domini recederet.

2° Non recedit, quando SS. Eucharistia indigne tractatur; quia Christus est in hoc Sacramento impassibiliter; ergo ex eo, quod indigne tractetur, nullam immunditiam contrahit, propter quam recedere debeat. Unde Gregorius XI. in Directorio inquisitorum damnavit

aliquorum sententiam dicentium, Christum desinere esse in Sacramento, quando Eucharistia in locum immundum proiicitur.

3° Nec statim esse sub speciebus desinit, quando sumuntur, sed tunc solum, quando species alterantur et corrumpuntur. Nam in *c. Si quis, de consecr. d.* 2. poena imponitur illi, qui propter ebrietatem evomuerit Eucharistiam. Ubi supponitur, etiam post specierum sumptionem perseverare Corpus Christi, quamdiu species permanent. Quare Christus tunc solum desinit esse in Sacramento, quando desineret esse substantia panis et vini, si ibi foret; succedit enim substantiae panis et vini. Ergo sicuti in aliis gerit vices substantiae panis et vini, sic etiam quantum ad permanentiam et desitionem.

Schol. 1. Stercoranistae saeculo 9° affirmare non erubuerunt, Divinissimam Eucharistiam in secessum emitti. Recensentur inter illos Nicetas Pectoratus ab Humberto Cardinale *Bibl. PP. t.* 18. et Paulus Samosatenus, qui docuit, Christi Sanguinem esse puri hominis sanguinem. Verum res non satis explorata esse videtur P. Berti, quia impia eorum dogmata potius videntur fuisse de Dominici Corporis natura, quam comestionis exitu intelligenda: et licet Nicetas putaverit, per Sacrificium frangi ieiunium, iuxta Umbertum, nullibi tamen dicit, illud per S. Communionem violari, aut ex alvo egeri. Amalarius etiam Stercoranismi insimulatur a Gilberto Manguini in *hist. Godeschalci, c.* 18. Item Rabanus Maurus ab Anonymo edito a Cellotio in *append. ad hist. Godeschalci*; sed Mabillonius *praef.* 2. *in Saeculum* 4. *Benedict.* eos ab errore vindicat. Ex quibus colligi videtur, turpem Stercoranistarum haeresim nunquam extitisse. Stercoranistarum haeresis.

Schol. 2. Quaeritur denique, quomodo ex speciebus Sacramentalibus aliquod compositum, v. g. vermes generari possint, et communius docent, materiam tunc a Deo de novo produci.

CAP. VII.

De Ministro Eucharistiae conficiendae.

§ 997. Considerata natura SS. Eucharistiae, ad eius Ministrum ordo nos vocat, qui quoad illius consecrationem et confectionem solus est Sacerdos. Quippe 1° verba illa: *Hoc facite in meam commemorationem*, Christus dixit ad solos Apostolos; et Concilium Nicaenum I. c. 18. Diaconos SS. Eucharistiam dispensantes ita reprimit: *Quod nec regula, nec consuetudo tradat, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi Corpus accipiant.* Et Conc. Lateran. c. *Firmiter: Hoc Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus.* Quibus accedit Florentinum in Decreto, et Trident. *Sess.* 22. *cap.* 1. *et can.* 2° 2. Ita docet Traditio. Tertullianus *l. de praescript. c.* 41. arguit haereticos, quod laicis Sacerdotalia munera concederent. S. Epiphanius *ep. ad Ioan. Ierosol.* se excusat, quod in eius dioecesi Presbyterum ordinaverit, ne multitudo sanctorum fratrum sacris privarentur Mysteriis. S. Hieronymus *contra Luciferian.* hoc tamquam rem manifestam supponit. Minister Eucharistiae.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* S. Irenaeus *adv. haer. l.* 1. *c.* 9. refert de quodam Marco haeretico et mago, eum mulieres adhibuisse ad conficiendam Eucharistiam: quod idem testatur S. Epiphanius *haer.* 49. de Pepuzianis, et *haer.* 79. de Collyridianis. Waldenses tribuebant potestatem consecrandi Sacerdoti probo, quam negabant impio: ex Reinerio *l. contr. Wald. c.* 5. Lutherus in *l. de capt. Babyl. c. de Ord.* contendit, omnes fideles virtute Baptismi habere potestatem consecrandi Eucharistiam ; sed neminem hac potestate uti debere, nisi sit legitime vocatus: quod tamen in casu necessitatis, absente Sacerdote, laico concedit Wernher in *princ. Iur. Eccl. Protest.* Rationes eorum sunt: I. Quia illud: *Hoc facite etc.* omnibus fidelibus, ut nimirum cum grata recordatione ad Eucharistiam passionem Domini meditantes accedant, dictum est, teste S. Paulo 1. *ad Cor.* 11. Deinde omnes baptizare possunt, licet solis Apostolis dictum sit: *Docete omnes gentes, baptizantes etc.* praesertim quia omnes Christiani per Baptismum facti sunt Deo Regnum et Sacerdotes. *Apoc.* 1. *et* 1. *Petr.* 2. *v.* 9. *Resp.* Illud: *Hoc facite etc.* tam conficientes quam suscipientes Eucharistiam respicit; utrique enim in memoriam passionis Domini hoc facere debent. Omnes baptizare posse habetur ex perpetua Traditione (§ 942); non vero omnes consecrare posse: pro ratione stat voluntas Dei. Baptizati dicuntur Reges et Sacerdotes in sensu mystico, quatenus dominantur suis affectibus, et offerunt *spirituales hostias, fructum labiorum suorum.* II. Tertullianus *l. de castit. c.* 7. ait: *Nonne et laici Sacerdotes sumus? . . . differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiae auctoritas . . . Igitur si habes ius Sacerdotis in temetipso, habeas et disciplinam Sacerdotis.* Scilicet, ut non sis bigamus. *Resp.* Tertullianus sumit nomen Sacerdotis in latiori significatione, uti sumitur *Apoc.* 1. quem loco citat, ut reprobet secundas nuptias. III. Olim Diaconi Parochiis regendis praeficiebantur, uti constat ex Concilio Eliberitano *c.* 77. et Concilium Ancyranum *c.* 2. statuit, ut Diaconi lapsi a pane et calice offerendo, et a praedicando abstineant. Arelatense vero *can.* 15. Diaconis, quos cognovit multis in locis offerre, ab hoc officio prohibet. *Resp.* Diaconi Parochias regebant, quoad officia sibi competentia ; non vero quoad confectionem Eucharistiae et Absolutionem. Patres Ancyrani supponunt, Diaconum offerre ministrando et cooperando Sacerdoti, non vero consecrando: et ita etiam intelligendum est illud S. Laurentii apud S. Ambrosium *l.* 1. *de off. c.* 41. *Experire, utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.* Denique in Concilio Arelatensi agitur de dispensatione SS. Eucharistiae a Diaconis sine licentia Episcopi vel Presbyteri sibi arrogata.

Art. 1. *De Ministro Eucharistiae dispensandae.*

Minister dispensans Eucharistiam. **§. 998. Eucharistiae vero dispensandae minister quidem ordinarius est solus Sacerdos; extraordinarius antem Diaconus. Quoad Sacerdotem colligitur ex dictis (§. 997.), et ex Trident. *Sess.* 13 *c.* 8**

dicente, *semper in Ecclesia Dei hunc morem fuisse, tamquam ex traditione Apostolica descendentem, ut laici Eucharistiam a Sacerdotibus acciperent.* Quoad Diaconos, constat ex nniversali Ecclesiae Traditione. Sic S. Cyprianus *tr. de lapsis* observat, Diaconum offerre calicem praesentibus. Idipsum testantur Acta passionis S. Laurentii, *l.* 8 *Const. Apost.* c. 28. Ordo Romanus: et Concilium Aquisgranense c. 7. ait: *Sicut in Sacerdote consecratio, ita in Ministro dispensatio Sacramenti est . . . si tamen accedat licentia Episcopi aut Presbyteri*, inxta Conc. Carthag. IV. c. 38.

Coroll. Pract. 1°. Ut SS. Eucharistia licite administretur, debet Sacerdos esse Pastor ordinarius, vel ab ordinario Parocho, Episcopo, vel Papa habere commissionem expressam vel praesumptam, quia hoc spectat ad proprium officium pastoris; et si Sacerdote inferior sine licentia dispenset, fit irregularis * (praxi tamen receptum est, ut quilibet Sacerdos, excepto Viatico, possit Eucharistiam ministrare)* Et si Religiosus fuerit, incurrit Excommunicationem Papae reservatam: *Clem. I. de Priv.* * (quod tamen de sola communione paschali, et Viatico intelligendum est; nam extra hos casus possunt Regulares in propriis Ecclesiis Eucharistiam ministrare fidelibus, Parocho etiam invito, excepta tantum die dominica Resurrectionis, in qua nec etiam devotionis causa Eucharistiam ministrare possunt. S. Cong. *an.* 1736.)* 2° Peccat graviter, qui scienter S. Communionem distribuit sine Stola, Superpellicco vel Alba; excepto casu extremae necessitatis, vel periculo mortis: in nigris vero paramentis non est distribuenda S. Communio: S. Congr. a. 1701 * (Sed nunc attendendum aliud decretum eiusdem S. Congr. a. 1741, quo statuitur, in Missis defunctorum non esse ministrandam Eucharistiam per modum Sacramenti, scilicet cum particulis praeconsecratis, extrahendo pixidem de custodia: bene vero ministrari posse per modum Sacrificii, cum particulis intra eamdem Missam consecratis)* Omittere autem *Confiteor*, et lumen, est tantum veniale. 3° Non licet etiam morituro dare species vini sub mortali, nec dare hostiam maiorem laico, quae convenientius in plures partes in defectu minorum dividitur. 4° Sacerdos licite distribuit S. Commnnionem mediis digitis, si ob aliquod impedimentum pollice et indice distribuere non possit. 5° Si in distributione S. Hostia in terram decidat, locus linteo mundo tegatur, postea abluatur, et ablutio in S. piscinam mittatur. Si in barbam vel vestes communicantis decidat, vestes et barba ob turbationem ablui non debent. Si in linteum communicantium decidat, tollatur, et locns notetur, ut postea abluatur, et ablutio in Sacrarium mittatur; si in sinum aut intra vestes mulieris decidat, ut a Sacerdote extrahi non possit, mulier ipsa extrahat, et Sacerdoti in Ciborio reponendam tradat, digitos lavet, et ablutio in Sacrarium mittatur. 6° Ciborium renovetur singulis mensibus * (Verum Clemens VIII. id qualibet dominica fieri praecipit; Const. *Sanctissimus* an. 1595.) modus purificandi Ciborium est, ut particulae post sum-

Resolvuntur casus.

ptam utramque speciem digito indice e Ciborio in patenam effusae sumantur, deinde vinum in Ciborium infusum pro resolvendis reliquis particulis, et in calicem effusum ebibatur. Vermes vero, vel aliae sordes in Ciborio repertae comburantur, et cineres in S. piscinam mittantur. 7°. Si Sacerdoti afferatur Hostia, quae per magicos usus profanata dicitur, non facile credat; eam tamen decenter in Tabernaculo asservet, donec species corrumpantur: quod idem faciendum cum Hostia veneno infecta, aut per vomitum eiecta. 8° Si Sacerdos advertat, communicantem S. Hostiam ex ore sumere, et in libro suo reponere; vel repetat, vel auferat, si sine nota personae occultae fieri possit, vel personam notet, ut sine strepitu eam repetat, vel si non possit, rem Deo commendet. 9° In nocte Nativitatis vel die Parasceves non licet distribuere S. Communionem, excepto casu necessitatis pro dando Viatico; non vero probibetur Sabbato S. saltem post Missam celebratam. 10° Diaconus in casu necessitatis ex praesumpta licentia SS. Eucharistiam ministrare potest: laicus vero in necessitate ne quidem ex commissione Parochi SS. Eucharistiam ad aegrotum deferre potest: *c.* 29. *d.* 2. *de consecr.* 11° Si quis seu Clericus seu laicus in periculo mortis idoneum ministrum dispensantem SS. Eucharistiam non habeat, cessante scandalo, seipsum communicare potest; imo etiam extra periculum mortis Sacerdos ex iusta causa celebrare non valens, cessante scandalo, si alium Sacerdotem vocare non possit, seipsum communicare potest, licet adesset Diaconus; quinimo Sacerdos etiam infirmus allatam a Diacono Eucharistiam, non ex illius, sed propriis manibus sumere debet. 12° Parochus etiam tempore pestis petenti infirmo S. Communionem ministrare debet; ubi tamen ob necessitatem ad evitandum periculum mortis medio aliquo instrumento illam porrigere posset.

Subiectum Eucharistiae. §. 999. Subiectum capax suscipiendi Sacramentaliter SS. Eucharistiam est omnis et solus homo viator, baptizatus, etiam peccator. Nam 1° Sacramenta pro solis hominibus viatoribus instituta sunt (§. 926.). Ergo solus homo viator est subiectum Eucharistiae capax. 2° Character Baptismalis habet se per modum potentiae passivae ad recipienda alia Sacramenta (§. 911.). Ergo SS. Eucharistiam suscipiens Sacramentaliter, debet esse baptizatus. 3° Etiam Iudas peccator suscepit Sacramentaliter licet indigne SS. Eucharistiam (§. 979. Schol. 8). et 1. *ad Cor.* 11. *v.* 27. indigne communicantes dicuntur rei Corporis et Sanguinis Domini. Ergo etiam peccator Corpus et Sanguinem Christi vere suscipit.

An mortui sint capaces? *Schol.* Ex hoc sequitur, Angelos, animasque a corpore separatas non posse suscipere Sacramentaliter SS. Eucharistiam: neque mortuis illa dari potest, uti statuit Concilium Carthaginense III. a. 397. *c.* 6. et Trullanum *c.* 83. Olim quippe abusus invaluerat, mortuorum corpora cum SS. Eucharistia sepeliendi. S. Basilius, teste Amphilochio in eius Vita, morti proximus SS. Eucharistiam in tres partes divisit, et una sumpta, alteram secum sepeliri, tertiam in aurea

columba super Altare suspendi iussit. Item S. Benedictus Eucharistiam super pectus Monachi, cuius corpus terra semper evomuit, poni et terrae mandari iussit: S. Gregor. *l.* 2. *Dialog. c.* 24. Originem huius consuetudinis Lupus in *Schol.* exinde deducit, ne daemones in defunctorum corpora furerent, et ut, qui vivi SS. Eucharistiam non perceperant, iuvarentur saltem praesentia S. Viatici.

Coroll. Pract. 1° Infantibus et perpetuo amentibus SS. Eucharistia danda non est, quia licet illis gratiam augeat, tamen eis non necessaria, nec pro iis est instituta, cum non habeat in eis rationem spiritualis alimoniae restaurantis vires animae, quae tum per internum concupiscentiae fomitem, tum per externas hostium spiritualium insidias in illis ob Baptismi gratiam, quam in illa aetate et statu amittere non possunt, non debilitantur. 2° Mutus et surdus a nativitate signis instrui, et saltem tempore Paschali, et in mortis articulo SS. Eucharistiam suscipere potest. 3° Energumenis danda est SS. Eucharistia, si eam sine irreverentia suscipere possint, et sint sufficienter dispositi 4° Damnatis ad mortem SS. Eucharistia danda est; decet tamen, ut vel pridie supplicii, vel eodem die horis aliquot ante mortem, nondum publicata mortis sententia, praebeatur. 5° Dantibus signa verae poenitentiae, usu linguae destitutis, non tamen usu rationis, absolutis sacramentaliter SS. Eucharistia danda est in exitu mortis. 6° Ætas certa pro admissione puerorum ad SS. Eucharistiam a prudentia Parochi determinanda est. Parvulis tamen moribundis sufficienter instructis debet dari Viaticum, etsi nunquam ante S. Communionem susceperint. Parvuli tamen iam communicantes ob levitatem animi, nisi virtus defectum aetatis suppleat, non tam frequenter ad S. Communionem admittendi sunt, sicuti adulti. 7° Illis, qui post rationis usum in amentiam inciderunt, Eucharistia in articulo mortis solum danda est, *c. Is qui, cau.* 26. *q.* 6. quam censentur implicito desiderasse ob vitam Christianam ante amentiam transactam; secus foret, si constaret, quod in statu peccati mortalis aut impoenitentiae in amentiam inciderint, aut sine periculo irreverentiae communicare non possent, aut si lucidum adhuc intervallum expectari possit. 8° Semifatui, qui debilem usum rationis habent ad SS. Eucharistiam admittendi sunt, licet rarius, maxime vero tempore Paschali et in articulo mortis, dummodo inter cibum profanum et hunc spiritualem discernere possint. Resolvuntur casus.

CAP. VIII.

De dispositionibus ad Eucharistiam digne suscipiendam.

§. 1000. 1. Ut autem quis digne et fructuose SS. Euchari[...]am suscipiat, si sit in statu peccati mortalis, cuius habet conscient[...] non sufficit sola fides, nec Attritio supernaturalis, cognita ut [...] Nam 1° 1. *ad Cor.* 11. dicitur: *Probet autem seipsum ho[...] sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim man[...]*

bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans Corpus Domini. Quae verba non de sola fido accipienda esse, probat loci series, qnia Apostolns non reprehendit Corinthios, qnod non crederent, sed qnod irreverenter accederent. Unde Trident. *Sess.* 13. *can.* 11. *Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem praeparationem ad sumendam SS. Eucharistiae Sacramentum: anathema sit.* 2° Hoc docet Traditio. S. Cyprianns *de laps. Cum peccato accedentes, vim inferunt Corpori Christi et Sanguini.* S. Chrysostomns *hom.* 83. *in Matth. Nullus Iudas, nullus avarus adsit.* 3° SS. Eucharistia est Sacramentum vivorum. Ergo ad eam snscipiendam status gratiae praerequiritur (§ 931. n, 2.) qui per solam fidem et Attritionem cognitam ut talem haberi nequit (t. 1., §. 376).

2. Et quidem qui vult commnnicare, si habeat conscientiam peccati mortalis, et copiam Confessarii, tenetur praemittere Sacramentalem Confessionem, nec sufficit sola Contritio. Ita Tridentinum Sess. 3. *cap.* 7. *Communicare volenti necessario revocandum est in memoriam eius, Apostoli praeceptum: Probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa Sacramentali Confessione ad SS. Eucharistiam accedere debeat. Quod a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec S. Synodus perpetuo observandum esse decrevit: modo non desit copia Confessoris. Quod si necessitate urgente Sacerdos absque praemissa Confessione celebraverit., quamprimum confiteatur.* Et *Can.* 11. contrarium asserentes ipso facto excomunicantur.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 1. Protestantes volunt, solam fidem esse praeparationem sufficientem homini gravinm peccatorum conscio, nt digne SS. Eucharistiam suscipiat. I. *Matth.* 9. Christus dixit: *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Et *Ioan.* 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. Resp.* In primo loco sermo est de vocatione ad poenitentiam, non vero de invitatione ad SS. Eucharistiam. Panis tantum viventibns prodest: ita et SS. Eucharistia, quae vitam snpponit, eam conferre dicitur, conservando et roborando viventem. II. S. Augustinus *ep.* 54. ait: *Peccata si tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo censeatur, non debet se a quotidiana medicina Corporis Dominici separare. Resp.* S. D. loqnitur de excommunicatione late snmpta, quae a SS. Commnnione separat, et probat, non licere, cum mortali ad Eucharistiam accedere.

An venialia augmento gra[tiae]... *Schol.* 2. Ut SS. Encharistia conferat angmentum gratiae babitualis, non requiritnr devotio actnalis exclndens venialia, sed sufficit [stat]us gratiae habitualis expellentis omnia mortalia. Ita contra Caie[tanu]m, etc. patet 1. ex Tridentino, quod ad fructnose recipiendum [Sa]cramentnm nonnisi absentiam conscientiae peccati mortalis [requirit]. Et S. Thomas 3. *p. a.* 8. ait: *Si aliquis accedat ad hoc Sa-*

cramentum per peccata venialia mente distractus, non....tollitur augmentum habitualis gratiae. 2. Accedens cum veniali non ponit obicem augmento gratiae habitualis, quod illi non opponitur: ergo illud recipit, licet intensionem huius augmenti impediat. Dices I. Patres dicunt, venialia obsistere fructui SS. Eucharistiae. *Resp.* Loquuntur de maiori intensione augmenti gratiae, et spirituali dulcedine, quam venialia impediunt. II. Accedens cum veniali peccat venialiter: ergo gratia augeri nequit; cum desit fervor charitatis qui in cibum hunc coelestem agere nequit, ita ut ille nutrire non possit. *Resp.* Gratia ex opere operantis augeri nequit; bene vero ex opere operato vi Sacramenti cum necessaria dispositione suscepti. Dein cibus hic spiritualis nos in se convertit spiritualiter, nosque nutrit in nos agendo, et augmentum gratiae producendo. III. Hoc modo Sacerdos quotidie tepide celebrans plus gratiae reciperet, quam alius sanctus in exercitiis suis spiritualibus. *Resp.* Illa gratia in tepidis Sacerdotibus ferventius non operatur, tum ob habitus Sacerdotis vitiosos; tum ob denegata auxilia actualia: imo Sacerdos saepe tepide celebrans, de peccato mortali timore potest.

An praeceptum praemittendi Confessionem sit Divinum?

Schol. 3. Caietanus putat, ante Tridentinum non extitisse praeceptum praemittendi Confessionem S. Communioni, quam sententiam haereticam esse putat P. Vasquez: Scotistae vero nonnulli putant, hoc praeceptum esse Ecclesiasticum. Verum probabilius est, esse Divinum: 1. Ex illo Apostoli: *Probet seipsum homo*, ubi praemiserat, se ea, quae de Communione scribit, a Domino accepisse: *Ego enim accepi a Domino.* Et Tridentinum ait, se solum consuetudinem Ecclesiae declarare, non vero hanc legem statuere. 2. Non extat in aliquo Concilio initium huius praecepti, quod tamen semper in Ecclesia observatum fuit: ergo est Divinum.

Resolvuntur casus.

Coroll. Pract. 1. Ut sine Confessione cum sola Contritione communicare liceat, *(praeter defectum Confessarii)* debet adesse necessitas gravis, uti urgens periculum mortis, gravis infamiae, dandi Viaticum morituro, scandalum ex omissione celebrationis Missae pro Parochianis die festo: non vero audiendi Missam obligatio in Sacerdote. Item necessitas absolvendi Sacrificium iam inchoatum, ubi Sacerdos ab Altari non tenetur recedere, *(etiam ante consecrationem)* vel Confessarium ad se vocare, si sine scandalo et nota infamiae non possit; secus vero, si possit: et qui recordatur ante Communionem alicuius peccati inculpabiliter obliti, vel certi, de quo velut dubio se accusavit, iterum confiteri ante Communionem tenetur. *(Sed hoc in casu sufficit, quod Sacerdos conteratur; quia post consecrationem Missa non est interrumpenda, uti docet S. Thomas 3. *p. q.* 8. *a.* 6. et expressum habetur in Rubrica Missalis *de defect. tit.* 8. *n.* 10.)* 2° Copia Confessarii tunc non habetur, quando vel nullus Sacerdos approbatus pro Confessionali adest, vel sine magna difficultate itineris, brevitatis temporis conveniri non potest: peccatum tamen reservatum Sacerdoti inferiori, quando Superior adiri nequit, cum aliis non re-

servatis confiteri oportet, ut indirecte quis a reservato absolvatur; cum onere tamen illud postea Superiori, vel facultatem habenti confitendi, ut quis directe absolvatur 3. Contritio elicienda in defectu Confessarii debet praemitti a Sacerdote consecrationi et sumptioni. 4. Praeceptum quamprimum confitendi post celebrationem est pro solis Sacerdotibus, non vero pro laicis, estque verum praeceptum, non vero merum consilium, iuxta prop. 38. ab Alexandro damnatam; nec particula, *quamprimum*, intelligitur, quando Sacerdos suo tempore confitebitur, iuxta prop. 39. ab eodem damnatam; sed intelligi debet moraliter, id est, data prima opportunitate. 5. Non sunt sacrilegi, qui sumunt Eucharistiam, antequam Poenitentiam sibi iniunctam persolverint, iuxta prop. 22. ab Alexandro VIII. damnatam. 6. Qui cum peccato veniali actuali SS. Eucharistiam sumit, plerumque novum peccatum veniale contra reverentiam Sacramenti, impediendo fructum secundarium, seu spiritualem dulcedinem, committit.

Art. un. *De ieiunio ad Communionem requisito.*

Ieiunium naturale ad Communionem requisitum.

§. 1001. Ex parte corporis ad dignam SS. Eucharistiae sumptionem, requiritur sub gravi praecepto Ecclesiastico ieiunium naturale, quod in eo consistit, ut nihil omnino per modum cibi, potus, aut medicinae a media nocte praecedente S. Communionem ab ore in stomachum traiiciatur: et munditia corporis. 1. Ieiunium naturale probatur ex Traditione, cuius testes sunt, Tertullianus *l.* 2. *ad uxor. c.* 5. scribens, SS. Eucharistiam sumi *ante omnem cibum*: S. Cyprianus *ep.* 63. S. Basilius *hom.* 1. *de ieiun.* S. Augustinus *ep.* 54. *placuit Spiritui S. ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam caeteri cibi*. Accedit definitio Concilii Carthaginensis III. *c.* 20. *Sacramenta Altaris nonnisi a ieiunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo Coena Domini celebratur*. Idem definit Concilium Constantiense *Sess.* 13. 2. De Munditia corporis patet; eam requiri ob dignitatem huius Sacramenti.

Resolvuntur casus.

Coroll. Pract. I. 1. Ad violandum ieiunium naturale, requiritur ut id quod sumitur, habeat rationem cibi: unde vapor ciborum, fumus tabaci, aer, nebula, charta, frustula ligni, aurum, plumbum, filum sericum, lana, capilli, ungues abrasi, lapilli non violant ieiunium naturale: bene vero aurum potabile, creta et pulveres medicinales. 2. Requiritur, ut sumatur per modum cibi aut potus ore ab extrinseco: hinc musca in os dormientis irrepens, vel per respirationem deglutita, pulvis tabaci per nares attractus; item guttulae humoris per nares attractae, saliva, sanguis aut humor a capite in os defluens (dummodo ex digito non sugatur, vel ex oculis et naribus in os ab extrinseco non influat); una vel altera gutta aquae inter abluendum os salivae permixta, et ab ea inseparabilis in stomachum traiecta; aromatum sub lingua circumlata, mox per sputum eiecta; reliquiae pridianae coenae dentibus implicitae, casu paesertim deglutitae, alias enim eas expuere omnino decet; non violant ieiunium naturale. 3. Ie-

ieiunium naturale violatur, si quid sumatur a primo pulsu horologii horae 12^{mae} nocturnae, licet ante illam comestio vel potus inceptus fuerit, quia saltem est comestio continuata. 4. Non violatur Ieiunium, si in Communione prius vinum quam S. Hostia deglutiatur, quia est una moraliter sumptio: nec requiritur, ut quis cibos praecedentis diei digesserit, aut dormierit: post Communionem vero ex iusta causa etiam ante finitum quadrantem, comedere et bibere licet. 5. Causae excusantes ab hoc ieiunio sunt: 1. Necessitas complendi Sacrificium inchoatum, etiam ante consecrationem, si Sacerdos sine scandalo ab Altari recedere non possit. 2. Necessitas sumendi Viaticum in periculo mortis; ubi tamen in eodem morbo, nonnisi post 7. vel 8. dies, Eucharistia a non ieiuno sumi potest. 3. Necessitas celebrandi pro plebe die Dominico vel Festo, vel in funere aut benedictione nuptiarum, si sine scandalo Sacrum omitti non possit. 4. Metus etiam mortis excusat ab hoc ieiunio, nisi petatur in contemptum Religionis. Non licet tamen Sacerdoti non ieiuno celebrare in casu necessitatis, si desit Hostia pro Viatico morituri.

Coroll. Pract. II. 1. Macula corporis, aegritudo, lepra, vestium deformitas sine scandalo a S. Communione non impediunt. 2. Nec pollutio nocturna involuntaria, vel voluntaria per poenitentiam expiata, nisi turpes cogitationes, et magnam distractionem post se relinquat; ubi sub veniali a S. Communione abstinendum foret, nisi iusta causa, publica devotio, magna solemnitas, Regula Ordinis, et extraordinarium desiderium excuset. 3. Actus coniugalis per se non impedit S. Communionem, nisi magnum affectum ad venerea relinquat; ubi sine iusta causa a S. Communione sub veniali abstinendum foret. 4. Si mulier frequenter communicare soleat, tenetur ad reddendum debitum ob evitandas rixas; si vero solis praecipuis Festivitatibus communicet, potest maritum rogare ut abstineat; si nil proficiat, reddendum est debitum, et illa nihilominus communicare potest.

CAP. IX.

De effectibus Eucharistiae.

§. 1002. SS. Eucharistia plurimos et praestantissimos habet effectus, quorum praecipuos hic considerabimus. Ante omnia vero certum est de fide, quod SS. Eucharistia per se ac directe non remittat peccatum mortale, et consequenter primam gratiam sanctificantem non producat. Nam 1. Christus, antequam discipulis suis Corpus suum porrigeret, lavit eorum pedes: et *Matth.* 22. non indutus veste nuptiali a regio convivio repulsus fuit: quod SS. PP. de munditia ad S. Mensam afferenda exponunt. Hinc *Matth.* 7. *v.* 6. dicitur: *Nolite dare Sanctum canibus.* Et 1. *ad Cor.* 11. *v.* 28. Apostolus iubet: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat.* Quae munditia ad SS. Eucharistiam non requireretur, si illa per se remit-

Effectus Eucharistiae. Non remittit directe mortalia.

teret mortalia. Igitur Tridentinum recte definit *Sess.* 13. *can.* 5. *Si quis dixerit, vel praecipuum fructum SS. Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema sit.* 2. Confirmant hoc Patres (§. 1000.). Et ratio est, quia SS. Eucharistia Sacramentum vivorum per modum alimenti spiritualis institutum est, quod sicuti cibus corporalis vitam in sumente supponit.

Per accidens potest conferre primam gratiam. *Schol.* Nihilominus SS. Eucharistia potest per accidens aliquando conferre primam gratiam in eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam non habet, nec affectum, et non fuit sufficienter contritus: devote enim et reverenter accedens consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quae Contritionem perficiet, et remissionem peccati: ita S. Thomas 3. *p. q.* 79. *a.* 3. et patet ex dictis (§ 908. Schol 2).

Dat gratiam nutritivam. § 1003. Primus igitur et proprius SS. Eucharistiae effectus est gratia per modum nutritionis et augmenti in vita spirituali. Ita 1° Florentinum in Decreto: *Hoc SS. Sacramentum habet omnem effectum, quem materialis cibus et potus quod vitam agunt corporalem, sustentando, reparando, augendo, etc.* Et Tridentinum *Sess.* 13. *cap.* 2. *Sumi autem voluit Salvator noster Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* 2° Ratio est: Sacramentum hoc per modum cibi institutum est et potus. *Ioan.* 6. *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus.* Ergo gratiam nutritivam confert.

Quando Eucharistia causet gratiam? *Schol.* 1. Bechanus *de Euch. c.* 22. putat, SS. Eucharistiam causare gratiam, quando S. Hostia sumpta est; etsi necdum sit in stomachum transmissa. Suarez tunc, quando per guttur transire incipit. Maior assignat totum tempus, quo durat eius sumptio. Alii tunc, quando species Sacramentales corrumpuntur, et in substantiam aliti convertuntur. Probabilius est, gratiam tunc causari, quando species Sacramentales stomachum attingunt, et manducatio terminata est, quia tunc censetur cibus hic coelestis manducatus; consequenter gratia manducantibus promissa datur.

An augeatur gratia, SS. Eucharistiae in stomacho existente? *Schol.* 2. Quod si eo tempore, quo species in stomacho remanent, homo novos et ferventiores actus charitatis, aliarumque virtutum eliciat, recipiet maiorem gratiam ex opere operato; tum quia sicuti cibus naturalis tamdiu nutrit, quamdiu calor naturalis in eum agit; ita agente calore supernaturali SS. Eucharistia nutrit animam. Nec obstat I. quod gratia soli manducanti promittatur. *Resp.* Manducatio est tantum conditio, ut Eucharistia causet gratiam, qua posita manducatum, quamdiu est in stomacho, semper operatur. II. Sic peccaret, qui SS. Eucharistia in sthomaco existente peccatum committeret, quia poneret obicem gratiae. *Resp.* Negatur, quia homo non debet tollere obicem pro omni duratione, sed quando primo suscipit Sacramentum.

Secundus § 1004. Secundus effectus SS. Eucharistiae est, quod causet

quamdam gratiam actualem, nempe excitationem charitatis, et actualem refectionem, cum quadam dulcedine, et gaudio spirituali. Hoc probat S. Thomas ex illo *Cantic.* 5. *Comedite amici, et bibite, et inebriamini, charissimi.* Et in *Clement. de reliq.* dicitur: *Panis habens omne delectamentum, et omnis saporis suavitatem.* Eodem modo loquuntur Patres. S. Cyprianus *de Coen. Panis iste Angelorum omne delectamentum habens.* Et S. Ambrosius *l.* 5 *in Lucam*: *Qui domicilio Christum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum.* effectus, spiritualis dulcedo.

Schol. Non obstat, quod nonnulli spiritualem hanc dulcedinem non percipiant; quod vel est ex eo, quod palatum mentis terrenis delectationibus depravatum habeant; vel quod Deus illis sensibilem gustum harum delectationum pro maiori bono subtrahat.

§ 1005. Tertius effectus est, quod SS. Eucharistia tollat peccata venialia, et praeservet a mortalibus. Ita Tridentinum *Sess.* 13 *cap.* 2. *Hoc Sacramentum est antidotum, quo liberamur a peccatis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservamur.* Et S. Chrysostomus *hom.* 46 *in Ioan.* 6 ait: *Ab illa mensa discedimus terribiles effecti diabolo.* Ratio de venialibus est, quia per hunc cibum spiritualem restauratur fervor charitatis, qui per venialia quotidie perditur. Ratio de praeservatione a mortalibus est, quia per hunc cibum et medicinam spiritualem anima roboratur contra corruptionem mortiferam, et armatur contra daemonum insultus ob rememorationem passionis Christi, et praebentur auxilia ad vincendas eorum tentationes. Tertius effectus, remissio venialium.

§ 1006. Quartus effectus SS. Eucharistiae est perseverantia et gloriae adeptio. Perseverantia quidem, quia nutrit et fovet vitam spiritualem (§ 1003), praeservat a mortalibus, et auxilia ad perseverandum et vincendas tentationes praebet (§ 1005). Adeptio gloriae vero, quia *Ioan.* 6 dicitur: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Et Tridentinum *Sess.* 13. *cap.* 2. *Est pignus futurae nostrae gloriae.* Et quia est causa perseverantiae, quae est ianua ad gloriam: est memoriale passionis Christi, quae aditum vitae aeternae nobis aperuit: est Christi Testamentum, quod ius ad haereditatem vitae aeternae confert. Quartus, perseverantia et adeptio gloriae.

§ 1007. Quintus effectus est remissio poenae peccatis debitae, non directe et vi Sacramenti, cum SS. Eucharistia ad satisfaciendum pro peccatis non sit instituta, sed ex consequenti et concomitanter, quia remittit venialia (§ 1005): quam remissionem semper aliqua poenae remissio, licet non omnis, comitatur. Hinc etiam aliis quantum ad remissionem poenae prodesse potest, si ille, qui pio SS. Eucharistiae usu remissionem poenae obtinet, eam aliis sive vivis, sive defunctis ob Sanctorum communionem communicet. Et ideo Congregatio Cardinalium merito damnavit librum Theophili Raynaudi, in quo communionem pro mortuis refellit. Quintus, remissio poenae.

§ 1008. Sextus effectus SS. Eucharistiae est, quod mitiget fomi- Sextus ef-

fectus, mitigatio fomitis. tem appetitus sensitivi. Ita docet S. Cyrillus Alex. *l.* 4. *in Ioan. Sedat, cum in nobis manet Christus, saevientem membrorum nostrorum legem.* Et S. Thomas 3. *p. q.* 79. *a.* 1. *ad* 3. hoc probat ex illo *Zach.* 9. *Quid est bonum eius, et quid est pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et vinum germinans Virgines?*

Quomodo fiat? *Schol.* Mitigationem fomitis per Eucharistiam aliqui causari volunt por hoc, quod Sacramentum hoc digne susceptum imprimat aliquas qualitates supernaturales. Alii volunt, imprimi qualitatem naturalem, qua ardor concupiscentiae temperetur, et impetus fomitis compescatur. S. Thomas. 3. *p. q.* 79. *a.* 6 mitigationem hanc ita explicat: Cum SS. Eucharistia sit verus animae cibus, confortans cor in bono, habet annexa auxilia, quibus fomes mitigetur, piae cogitationes ad hunc finem utiles excitentur, et Dei providentia tollantur occasiones extrinsecae, et arceantur daemones, ne fomitis incendium augeant.

Septimus, resurrectio corporis. § 1009. Septimus effectus est, quod SS. Eucharistia causet resurrectionem corporis. Ita docent PP. S. Irenaeus *l.* 4. *Corpora nostra percipientia Eucharistiam iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* S. Gregorius Nyssenus *or. catech. c.* 38. *Corpora nostra alta Corpore et Sanguine Christi veluti fermentantur ad resurrectionem futuram.* Et S. Augustinus *tr.* 26 *in Ioan.* ait: *Eucharistia immortales et incorruptibiles facit,* Quod S. Thomas *in c.* 6. *Ioan. lect.* 7 probat ex illo: *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Unde nonnulli Theologi docent, eos qui saepe et devote in vita communicarunt, specialem quemdam splendorem in corporibus suis habituros esse.

Quomodo causet? *Schol.* SS. Eucharistia resurrectionem corporis causat tantum moraliter, quatenus Deus voluntate sua acceptat sumptionem Eucharistiae velut pignus futurae gloriae, ob promissionem suam, *Ioan.* 6. *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.*

CAP. X.

De necessitate Eucharistiae.

Eucharistia non est necessaria necessitate medii. § 1010. Licet autem SS. Eucharistia praeclarissimos effectus habeat, non tamen est necessaria necessitate medii ad salutem. Nam 1° S. Scriptura vim delendi omnia peccata et haereditatem regni coelestis tribuit Baptismo: *ad Rom.* 8. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu* (§ 951). Ergo aliquis per solum Baptismum sine sumptione SS. Eucharistiae salvari potest; adeoque SS. Eucharistia non est necessaria necessitate medii ad salutem. 2° Rationem huius dat Tridentinum *Sess.* 21 *c.* 4 ubi declarat, parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiae Communionem, siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati adeptam iam filiorum gratiam in illa aetate amittere non possunt. Et *can.* 4 definit: *Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae Communionem; anathema sit.*

Schol. 1. Graeci nonnulli recentiores, Simeon Thessalon *l. de Sacr.* Cabasilas etc. docent, Eucharistiae sumptionem parvulis et adultis esse necessariam necessitate medii ad salutem. I. Quia Christus iisdem verbis utitur ad praecipiendum Baptismum et Eucharistiam: sicut enim ait *Ioan.* 3. *Nisi quis renatus etc.* ita dixit *Ioan.* 6: *Nisi manducaveritis Carnem filii hominis, et biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Resp.* Haec verba solam necessitatem praecepti innuunt in Eucharistia, cuius gratiae effectus non est absolute necessarius, sicuti gratia Baptismi. II. S. Augustinus *l.* 1 *de pecc. merc. c.* 20 ut probet existentiam peccati originalis, vult illa verba: *Nisi manducaveritis etc.* non spectare ad solos adultos, uti volebant Pelagiani, sed etiam ad parvulos, quibus est medium ad salutem absolute necessarium. Idem docet innocentius I in *ep. ad PP. Concilii Milevit.* quem etiam S. Augustinus citat *l.* 1 *contr. Iulian.* Et Gelasius *ep.* 7 *ad ep. Picenos* ait: *Nec ausus est aliquis dicere, parvulum sine hoc Sacramento salutari ad vitam aeternam posse perduci. Resp.* Hi patres vel loquuntur de perceptione Eucharistiae spirituali, et in voto implicito et interpretativo ratione incorporationis cum Christo, quo modo etiam parvulis necessaria est Eucharistia: vel refutant Pelagianos ex propria eorum sententia, quia putabant, perceptionem Eucharistiae esse absolute necessariam ad salutem: vel refelluut vanam distinctionem Pelagianorum inter regnum coelorum et vitam aeternam, de qua dictum est (t. 1 § 343), et probant, parvulos sine Baptismo decedentes non solum privari regno Coelorum, quod Pelagiani concedebant ob illud Christi dictum: *Nisi quis renatus fuerit etc.* sed etiam vita aeterna, quia non acceperunt SS. Eucharistiam, ob illud: *Nisi manducaveritis etc. non habebitis vitam in vobis.* Ita colligi potest ex attenta lectione horum Patrum. III. Ecclesia per 12 saecula olim infantibus SS. Eucharistiam administravit. *Resp.* Tridentinum *Sess.* 21. *c.* 4 nulla necessitate salutis, sed ob alias probabiles rationes pro circumstantiis illorum temporum hoc factum fuisse docet. Certe hoc argumentum probaret, etiam Confirmationem esse necessariam necessitate medii, quia olim cum Baptismo parvulis data fuit. Solvuntur obiectiones.

Schol. 2. Eucharistia saltem in voto proprie dicto et desiderio explicito non est necessaria necessitate medii ad salutem, quia non est destinata ad conferendum aliquem gratiae effectum absolute necessarium ad salutem; nam incorporatio cum Christo facta in Baptismo sufficit, ut quis sit membrum Christi, filius Dei adoptivus, et ius habeat ad haereditatem coelestem; si autem intelligatur votum improprium et implicitum, quatenus est voluntas generalis implendi omnia a Christo praescripta, sine dubio hoc est necessarium, et includitur in charitate perfecta. An in voto sit necessaria?

Art. 1. *De praecepto Eucharistiae.*

§ 1011. Nihilominus SS. Eucharistia est necessaria adultis necessitate praecepti; tum Divini in articulo mortis per modum Viatici, SS. Eucharistia est

de praecepto. et saepius in vita: tum Ecclesiastici quotannis in Paschate: 1° Praeceptum Divinum sumendi Eucharistiam pro adultis ex *Ioan.* 6. colligitur: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ex hoc loco non eruitur necessitas medii (§ 1010.). Ergo saltem necessitas praecepti. Et ratio est, quia omnes fideles iure Divino tenentur ad conservationem vitae spiritualis, quod fit per sumptionem SS. Eucharistiae.

2° Praeceptum Divinum sumendi SS. Eucharistiam in articulo mortis constat ex Conciliis, et perpetua praxi Ecclesiae magna diligentia caventis, ne infirmi sine Viatico decedant, uti videri licet in Concilio Nicaeno *can.* 13. et aliis relatis *can.* 26. *q.* 6. adeo ut negari non possit, esse Traditionem Apostolicam.

3° Praeceptum Ecclesiasticum habetur in Concilio Lateranensi *c. Omnis utriusque sexus, de poenit. et remiss. Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, semel saltem in anno confiteatur, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum. Alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens Ecclesiastica careat sepultura.* Et Tridentinum *Sess.* 12. *can.* 9. contra Protestantes definit: *Si quis negaverit, omnes et singulos fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum iuxta praeceptum S. Matris Ecclesiae; anathema sit.*

An expediat quotidiana Communio? *Schol.* Quaeritur, an expediat omnes laicos in gratia existentes quotidie communicare. Marzilla et Sanctius volunt, etiam invito Confessario quamvis nullius mortalis sibi conscium communicare posse: imo Calasibeta in *exhort. ad dev. quotid. commun.* ait, Superiorem quotidianam Communionem prohibentem peccare, esse iniustum, et gravi poena dignum, subditumque non teneri obedire, etsi sub obedientia praecipiatur. Verum communior est Theologorum sententia, non expedire, nec esse salubre consilium, quod omnes indiscriminatim laici existentes in gratia quotidie communicent. Nam 1. S. Thomas 3. *p. q.* 80. *a.* 10. ait: *Si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quod quotidie sumat . . . . . . sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta huius devotionis occurrunt propter corporis indispositionem vel animae, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere.* Item S. Bonaventura *l. de prof. Rel. c.* 77. *Vix aliquis ita religiosus videtur et sanctus, exceptis Sacerdotibus, quin semel in septimana sufficiat ei ex consuetudine communicare, nisi specialis causa quandoque vel ratio plus suadeat, vel infirmitas superveniens, vel singulariter festivitas solemnis.* Et B. Albertus M. *d.* 6. *de Euch. tr.* 4. *c.* 3. *De his, qui mulieres omni die communicant, videtur mihi, quod acriter reprehendendi sunt, quia nimio usu vilescere faciunt Sacramentum, vel potius ex levitate mulierum videtur desiderium, quam ex devotione causatum.* Et S. Augustinus *l. de*

dogm. Eccl. Quotidie Eucharistiae Communionem percipere, nec laudo, nec vitupero; omnibus tamen Dominicis suadeo. Et hinc S. Theresia *Constit. c.* 5. voluit, ut Moniales suae nonnisi bis in septimana communicarent: et ita etiam sentiebat S. Magdalena de Pazzis, speciali Dei revelatione circa hoc instructa. 2. Patet ex Decreto Innocentii XI. *de quotid. Commun.* ubi statuit, nihil certi de quotidiana Communione posse constitui: adeoque falsa est sententia tum eorum, qui dicunt, omnes laicos in universum existentes in gratia convenienter accedere quotidie ad S. Communionem: tum eorum, qui generaliter statuunt, indecens et illicitum esse, quod laici quotidie communicent, quia possunt dari laici bene dispositi. Deinde decernit, una praecepti forma pro omnibus certos dies Communionis determinari non debere. Rursus constituit, ut pro qualitate dispositionis frequentius vel quotidie S. Communio ab Episcopo vel Superioribus concedatur. Ergo omnes in gratia existentes iure Divino quotidie communicare possunt; et Superiorum vel Confessarii licentia ad hoc requiritur. 3. Denique in S. Communione quotidiana indiscriminatim concessa multi defectus contra reverentiam tanti Sacramenti obrepere solent, et saepe vana gloria, aliusque finis imperfectus, et venialiter peccaminosus latet. Dies I. In primitiva Ecclesia fideles quotidie communicabant, *c.* 10. *Apost.* multa Concilia hoc suadent, et ipsum Tridentinum *Sess.* 22. *c.* 6. optat, ut omnes Fideles Missae astantes sacramentaliter communicarent. *Resp.* Non omnino certum est, fideles olim quotidie communicasse, cum non constet, singulis diebus Missam esse celebratam, sed solis diebus Dominicis: vel si communicarent, hoc cum debita devotione fiebat; quod etiam solummodo suadent Concilia: et Tridentinum non dicit, *optat,* quod desiderium absolutum importat; sed, *optaret,* quod solam inclinationem ad aliquid denotat, licet non sit futurum, aut moraliter sit impossibile. II. Patres reprehendunt eos, qui raro communicant, uti videre licet in *Theatr. vit. hum. v. Eucharistia:* imo Eucharistia dicitur panis quotidianus. *Resp.* Rara Communio a Patribus merito improbatur; quotidiana sine magna devotione non suadetur. SS. Eucharistia est panis quotidianus, quo quotidie perfecti uti possunt; sed praeter eum pro conservanda vita dantur alia media spiritualia. III. Quotidiana Communio omnibus in gratia existentibus ad augendam gratiam utilis est. *Resp.* Solus status gratiae ad quotidianam Communionem sine magna perfectione non sufficit; quia alias multa saepe venialia in eius sumptione committuntur. Quid de Sacerdotibus dicendum sit, inferius ostendetur. Vide meas *Inst. Theol. myst. tom.* 2. §. 405. *et seq.*

Coroll. Pract. I. 1° Fideles in praeviso periculo mortis, gravis morbi, ante primum puerperium, conflictum, periculosam sectionem et navigationem tenentur sub mortali communicare. 2° Qui eodem die, aut pridie, aut ante 7. vel 8. dies ante periculum mortis communicavit, non obligatur ad denuo communicandum, licet ei iuxta sententiam probabiliorem consulendum sit: qui tamen mane sanus

Resolvuntur casus.

communicavit, eodem die incidens in periculum mortis SS. Eucharistiam denuo per modum Viatici sumere potest. 3° Parvulis moribundis S. Viaticum dari potest, si satis instructi fuerint, et desiderium illud suscipiendi produnt; secus est de rudioribus. 4° Si aegrotus sumpto S. Viatico iterum graviter peccet; consultum quidem est, ut praemisso Poenitentiae Sacramento iterum communicet, non tamen eodem die; sed ad hoc tenetur, si exinde grave scandalum, aut gravis suspicio oriretur Si vero post reconvalescentiam iterum in morbum incidat, denuo S. Viaticum sumere tenetur, quia est distinctum mortis periculum; et in eodem morbo post 8. dies iterum SS. Eucharistia dari potest. 5° Viaticum solus Parochus, vel alius de eius licentia administrare potest, et Regulares incurrunt Excommunicationem Papae reservatam, si sine licentia Parochi ministrent.

Coroll. Pract. II. 1° Tempus Paschale pro S. Communione ex consuetudine dioecesium determinandum est; et qui iusta vel iniusta de causa S. Communionem tempore Paschali omisit, quamprimum fieri potest, eam supplere debet, et longam moram trahendo peccatum auget. 2° Qui praevidet, tempore Paschali se a S. Communione impeditum iri, non tenetur illud praevertere, dummodo intra illum annum semel communicarit; quia nemo tenetur ad anticipandum opus praeceptum, nisi per anticipationem ab obligatione liberetur: si vero post ultimum tempus Paschale non communicarit, debet praevenire, quia sic implere adhuc potest, quod primario praecipitur, ne Communio ultra annum differatur. Si autem ob praevisum impedimentum anticiparit, eo sublato, in Paschate adhuc communicare debet, quia anticipando satisfecit annuae, non vero Paschali Communioni. 3° Communio Paschalis debet sumi in Ecclesia Parochiali, etsi in variis locis etiam in Ecclesia Regularium de licentia Parochorum sumatur; quomodo etiam studiosi Philosophi et Inferioristae satisfaciunt communicando in Templo Academico; Theologi vero et Iuristae in suis Parochiis communicare debent; Religiosi in suis Monasteriis: Sacerdotes saeculares ubicumque celebrando; Vagi et Peregrini in templo Parochiali, ubi morantur, vel in alio, praecepto annuae Communionis satisfaciunt. Puerperae vel domi communicare possunt, vel cum consensu Parochi Communionem post Pascha differre. Consuetudinarii etiam ultimis diebus Paschatis confitentes ob praetextum Communionis absolvi non debent, sed Communio differri potest. Denique per sacrilegam Communionem huic praecepto non satisfit, iuxta prop. 55. ab Innocentio XI. damnatam.

Art. 2. *De Communione sub duplici specie.*

Communio sub duplici specie non est praecepta.

§ 1012. Nullum tamen extat praeceptum Divinum, quo laici et Clerici Missam non celebrantes obligentur ad Eucharistiam sub utraque specie sumendam, sed alterutrius speciei Communio ad salutem sufficit: iustissimis vero gravibusque de causis Ecclesia divinitus inspirata usum calicis laicis interdicit, solius panis specie permissa:

Nam 1° nullibi S. Scriptura Communionem sub duplici specie praecipit; imo vero innuit sumptionem unius speciei sufficere: *Ioan.* 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Et *Act.* 2. *v.* 42 de primis fidelibus legitur: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis.* Dicere autem, nomine panis utramque speciem per Synecdochen intelligi, divinare est, huicque explicationi contrariatur. 2° Traditio hoc probat, ex qua constat, 1. olim fideles SS. Eucharistiam domum, in deserta, et in itinere secum pro spirituali sua refectione detulisse, de qua consuetudine testatur Tertull. *l.* 2. *ad uxor c.* 5. S. Basilius *ep.* 289. S. Ambrosius *de obit. fratris.* Ubi ex circumstantiis, et historia, de specie vini et vase eas continente silente, aperte colligitur, eos sub sola panis specie communicasse, cum species vini commode circumgestari, et conservari non potuissent. 2. Mos dandi infantibus Eucharistiam in Ecclesia usque ad saeculum 12. viguit, et quidem sub sola specie vini, teste Hugone Victor. *l.* 1. *de Sacr. c.* 20. et Paschalis II. *ep. ad Pontium* a. 1118 praecipit, ut parvulis et infirmis, qui panem absorbere non possunt, in solo Sanguine communicetur, vetatque utramque speciem misceri. 3. SS. Eucharistia olim sub una specie infirmis administrabatur: sic Eusebius *l.* 6. *hist. c.* 44. refert, Presbyterum ad Serapionem misisse exiguam Eucharistiae partem per puerum, ut eam in aquam intinctam illi moribundo porrigeret: et Concilium Toletanum XI. infirmis solam vini speciem ministrari iubet *can.* 11. 4. Olim etiam in publicis conventibus SS. Eucharistia sub sola specie panis ministrata fuit, nam teste S. Hieronymo *ep.* 22. *ad Eustoch.* nonnullae Virgines Romanae ita abstemiae erant, ut ne quidem speciem vini in Mysteriis sumerent; unde a maledicis Manichaeae vocabatur, quia Manichaei a vino veluti re mala abstinebant. Ut vero Manichaei Romae latentes detegerentur, S. Leo *serm.* 4. *de Quadr.* plebem monuit, eos observare, qui in S. Mensa a Divino poculo abstinerent; in quo sane non latuissent, imo seipsos prodidissent, si tunc Catholicis liberum non fuisset, aliquando unicam solummodo speciem sumere. Tandem Gelasius P. ut Manichaei certo iudicio detegi possent, decrevit *d.* 2. *de consecr. c.* 12. ut Communio sub duplici specie sumeretur, quod tamen decretum mutatis deinde circumstantiis in desuetudinem abiit, et communio iterum sub una specie accipi coepit; ut 5. apparet ex Missa Praesanctificatorum, in qua Sacerdos ommissa consecratione sumit solam speciem panis pridie consecratam: qui mos antiquissimus iam in Ordine Romano assignatus hodiedum viget in Ecclesia Latina Feria VI. Parasceves, et in Ecclesia Graeca toto tempore Quadragesimali, exceptis Sabbatis et Dominicis, ac Festo Annuntiationis, uti constat ex Euchologiis. Nec obstat quod, in Ordine Romano legatur: *Sumit de S. Hostia et ponit Calicem... sanctificatur enim vinum non consecratum per consecratum panem, et communicant omnes cum silentio.* Quod de Calice vere consecrato intelligit Micrologus c. 9. Amalarius *de offic. Eccl.* Strabo *de reb. Eccl.*

Missale Noviomense, Suessionense, Trevirense et Rothomagense; quia Ordo Romanus subdit: *Archidiaconus confirmat omnes Sanguine Dominico, quos communicaverat Pontifex Corpore Dominico.* Et Graeci ipsi in Missa Praesanctificatorum panem consecratum intingunt in Calicem consecratum, et ita praesentibus distribnunt. Verum Ordo Romanus non agit, ibi de Missa Praesanctificatorum in die Parasceves, sed de Missa plena Aliis diebus celebrata, uti legenti patet, in qua Pontifex ex Calice consecrato partem fundit in Calicem maiorem non consecratum vino plenum, unde Diaconus ministrat fidelibus, qui propter illam mixtionem dicuntur sumere Sanguinem Domini, quia de illo Calice bibunt, in quem aliquid Sanguinis Christi transfusum est; et vinum dicitur sanctificari, quia cum Sanguine Christi confunditur, ita ut ab eo separari non possit. Ita etiam intelligenda sunt Missalia citata, Micrologus etc. quia Ordo Romanus expresse dicit. *Sumat oblata ad servandum usque mane diei Parasceves, de quibus communicent absque Sanguine Domini.* Ritus Graecorum est recentior; nam antiqua Euchologia simpliciter panem asservandum praescribunt, uti patet ex Arcudio *l.* 3. *de Euch. c.* 5. et Michaele Caerulario *l. pro defens. praesanct.* imo licet Graeci Schismatici quoad Communionem sub duplici specie cum Lutheranis conveniant; in Missa tamen Praesanctificatorum ita tingunt Sanguine Domini species panis, ut nullus humor remaneat, cum eas igne exsiccent. Ex his liquet 3° quam merito concilium Constantiense *Sess.* 13. declararit, consuetudinem dandi laicis SS. Eucharistiam sub una specie esse rationabiliter introductam, eamque pro lege habendam esse, nec esse illicitam, aut sacrilegam, et contrarium asserentes veluti haereticos arcendos esse. Quod idem statuit Concilium Basiliense *Sess.* 30. contra Taboritas et Calixtinos, et Tridentinum *Sess.* 21. *can.* 1. *Si quis dixerit, ex dei praecepto, vel necessitate salutis omnes et singulos Christi fideles utramque speciem SS. Eucharistiae Sacramenti sumere debere; anathema sit.* Et *can.* 2. dicit, iustis causis ad unam tantum speciem simpliciter communicantibus concedendam Ecclesiam induclam fuisse; quae sunt, periculum effusionis et irreverentiae: difficultas diu asservandi species vini pro infirmis: horror naturalis vini in abstemiis; vini penuria et magni sumptus pro eo comparando in nonnullis regionibus: protestatio fidei, sub una etiam specie totum Corpus et Sanguinem Christi contineri. 4. Ratio est, quia sub unica specie totus Christus est, et tota ratio Sacramenti salvatur; significatur enim Christus praesens, eius mors et passio in separata consecratione; et quia vi verborum sub specie panis solum Corpus, et sub specie vini solus Sanguis existit (§ 991), significatur refectio spiritualis, quia Caro Christi vocatur cibus, sicut Sanguis eius potus, et in refectione spirituali inter cibum et potum nullum sit discrimen: significatur etiam unio fidelium tum inter se, tum cum capite suo Christo in multis granis, e quibus panis conficitur. Denique omnis gratia ad salutem necessaria ex Communione sub una specie percipitur, utpote

quae ex Christo omnis gratiae fonte oritur. Vide Ill. Bossuet *de Commun. sub duab. spec.* Marca, Bona, etc.

Schol. 1. Saeculo 14 Pragae in Bohemia Petrus Dresdensis Ludimagister, et Jacobellus Misnesis Concionatur speciem vini laicis esse necessariam docuerunt. His initio saeculi 15 se adiunxit Joannes Huss, qui Bohemis suasit, ut usum Calicis retinerent. Ex eius cineribus duae factiones emerserunt, scilicet Taboritae ab urbe Tabor, auctore Joanne Ziska: et Calixtini ab usu Calicis, pro quo certarunt, appellati, auctore Roquesane. Lutherus et Calvinus usum Calicis laicis iniuste et tyrannice ereptum esse calumniantur. I. Quia *Joan.* 6 dicitur: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et *Matth.* 26 Christus ait: *Bibite ex eo omnes.* Et: *Hic est Sanguis meus, qui pro vobis, et pro multis effundetur.* Ergo sicuti pro omnibus fusus est, ita ab omnibus sumi debet. Et *Luc.* 22 Christus ait: *Hoc facite in meam commemorationem;* quod S. Paulus 1 *ad Cor.* 11 *v.* 25 explicat: *Hoc facite, quotiescumque bibetis etc.* et ibidem ait, se a Domino accepisse, quod fidelibus tradebat, scilicet *v.* 28. *De pane illo edat, et de calice bibat. Resp. Joan.* 6 solum praecipitur, ut Carnem Filii hominis manducemus, et Sanguinem bibamus; an vero sub duplici specie, hoc non exprimitur, imo in sequentibus solius panis fit mentio, utpote sub cuius specie totus Christus continetur. Deinde particula et non raro pro disiunctiva *vel* accipitur; et pro nostra explicatione stat universalis Traditio. Deinde illa verba *Matth.* 26 *comedite, bibite*, sunt potius invitantis, quam praecipientis. Ad Calicem autem Christus addidit vocem, *omnes*, quia fracto pane, et in partes distributo facile intelligebatur, manducationem eius ad omnes spectare; Calix vero unus erat, adeoque monuit, ut omnes ex eo biberent, unde ait: *Dividite inter vos;* imo ly *omnes* spectat ad solos Apostolos, eorumque successores Sacerdotes sacrificantes: et si ex supposito ad omnes fideles spectaret, non tamen probat, praeceptum Divinum ad salutem non necessarium obligare, quando sine irreverentia servari nequit. Rursus si omnes, pro quibus Sanguis Christi fusus est, eum sub specie vini sumere debent, dari etiam debebit Judaeis, infantibus, abstemiis, periculose decumbentibus, quod nec ipsi adversarii faciunt. Verba illa: *Hoc facite, quotiescumque bibetis*, sunt hypothetica, et significant, ut illi, qui bibunt, quoties bibunt, in memoriam Christi bibant. Denique S. Paulus solum tradit historiam de institutione Eucharistiae, non vero praeceptum de utraque specie sumenda. II. Apostoli in ultima Coena repraesentabant totam Ecclesiam, et Christus iussit eos facere, quod ipse fecit. Ergo omnibus dictum est: *Bibite ex eo*, et omnes ius habent ad duplicem speciem. *Resp.* Toti Ecclesiae in communi, non vero singulis membris dictum est: *Bibite*, quod sufficienter in Sacerdotibus impletur: item facere, quae ipse fecit, circa ea, quae ad essentiam Sacramenti spectant: item laici ius habent ad utramque speciem, sed dependenter a licentia Ecclesiae,

Solvuntur objectiones.

quae illis usum Calicis et permittere, et prohibere potest, quod spectat ad disciplinam. III. S. Cyprianus *ep. ad Caecil.* ait, quosdam in Calice offerendo non observare ea, quae Christus tradidit. Et Gelasius P. *c. Comperimus, de consecr. d.* 2 ait: *Divisio unius et eiusdem Mysterii non potest fieri sine grandi sacrilegio.* Et S. Bernardus *Serm.* 3 *de Dom. Palm.* ait, *alimoniam Corporis et Sanguinis Domini in prima Coena exhibitam, ac deinceps frequentari mandatam esse. Resp.* S. Cyprianus agit contra Aquarios, aquam solam in Calice offerentes. Gelasius ferit Manichaeos ex pravo sensu vinum non sumentes, non vero Catholicos S. Bernardus non dicit, quod sub duplici specie Corpus et Sanguis Christi sumi debeat, cum sub una etiam contineatur. IV. Una species non repraesentat mortem Christi, et fideles hoc modo fructu ex Communione Calicis proveniente privantur. *Resp.* In una specie ab altera separata repraesentatur mors Christi, quia significatur separatio Sanguinis a Corpore, et plus fructus non percipitur ex duplici, quam una specie, quia sub qualibet specie totus Christus latet: quod declarabit Schol. seq.

An communicans sub duplici specie plus gratiae recipiat?

Schol. 2. Sacerdos sub duplici specie communicans non plus recipit gratiae, quam laicus sub una tantum specie communicans, si uterque sit aequaliter dispositus. Nam 1. Trident. *Sess.* 21. *c.* 3. ait, nulla gratia necessaria ad salutem defraudari eum, qui sub una specie communicat; ubi non restringit ad gratiam simpliciter necessariam, adeoque gratiam etiam secundum quid necessariam et utilem intelligit. 2. Sacerdos non recipit plus gratiae ratione specierum, quia hac abstrahendo a re contenta non habent vim productivam gratiae: nec a re contenta, quia totus Christus est sub qualibet specie: nec ratione significationis, quia una species implicite significat id, quod utraque explicite. Nec dicas cum P. Vasquez I. Clemens VI. concedens Regi Galliae Communionem sub duplici specie dicit, se hoc facere pro maiori gratiae augmento: et duae species maiorem gratiam significant: ergo etiam conferunt. *Resp.* Pontifex loquitur de augmento gratiae ex opere operantis ratione maioris dispositionis: deinde duae species maiorem gratiam significant, non ex parte rei significatae, sed modi significandi. II. Gratia vel confertur Sacerdoti in sumptione speciei panis, et sic altera sumptio nullam gratiam conferret: vel in sumptione speciei vini, et sic prima species nil conferret. *Resp.* Tota gratia confertur in sumptione S. Hostiae: altera species per accidens nil gratiae confert ob indispositionem subiecti, quod totum effectum iam recepit in sumptione specierum panis.

SECTIO II.

De Eucharistia prout est Sacrificium.

CAP. I.

De Sacrificio Missae.

§ 1013. SS. Eucharistiam hactenus ut *Sacramentum* consideravimus: nunc ut *Sacrificium* illud contemplabimur. Porro quid sit Sacrificium, quotuplex sit, et an, ac quo iure Deo offerendum sit, dictum est (§ 800, 801.). Igitur Eucharistia est verum ac proprie dictum Sacrificium, quod in Missa offertur. Hoc probatur 1° ex vaticiniis Prophetarum: *Malach.* 11. *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est Nomen meum in gentibus, dicit Dominus: et in omni loco sacrificatur, et offertur Nomini meo oblatio munda.* Hoc vaticinium de Sacrificio Missae explicat S. Iustinus *dial. cum Tryph.* S. Irenaeus *l.* 4. *c.* 325. S. Chrysostomus *in Ps.* 95. S. Augustinus *l.* 18. *de Civ.* S. Hieronymus *in Mal.* Item Rabbini hunc locum explicant de vero Sacrificio, sine victimarum cruore ubique offerendo: nam מנחה (*mincha*) significat Sacrificium externum et oblationem similae seu molitae farinae. Deinde Christus, qui est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. *Ps.* 109, *v.* 4. et *ad Hebr.* 5. *v.* 6. obtulit in ultima Coena Sacrificium panis et vini, quando dedit pro nobis Corpus et Sanguinem suum sub speciebus panis et vini: ita enim explicant veteres Rabbini: R. Pinas filius Jair: *Tempore Messiae omnia Sacrificia cessabunt, et Sacrificium panis et vini nunquam cessabit, sicut dictum est, Gen.* 14. et quod hic panis et vinum transmutetur in Corpus et Sanguinem Messiae, clare dicit R. Cahanan *in c.* 49. *Gen.* et R. Iohai *in c.* 28. *Num. In Sacrificio vini Sanguis et caro Messiae, et eadem erunt in pane.* Ita etiam exponit communis PP. Clem. Alex. *l.* 4. *strom.* S. Ciprianus *ep.* 3. *ad Caecilium*, Eusebius Caesareens. *l.* 5. *dem. Evang. c.* 3. Ambrosius etc. apud Bellarminum. Rursus Christus in ultima Coena *Luc.* 22. ait: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur.* Nb. non ait: *vobis datur*, sed, *pro vobis datur*, id est offertur. Similiter: *Hic est calix novum Testamentum in Sanguine meo, qui pro vobis funditur:* ita textus Graecus: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo tunc Christus seipsum obtulit Deo Patri sub speciebus panis et vini, et idipsum fieri iussit ab Apostolis et eius successoribus; adeoque verum ac proprium Sacrificium obtulit, et offerendum instituit; quod etiam innuit Apostolus, 1. *ad Cor.* 10. dicens: *Quae immolant gentes, demoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri daemoniorum; non potestis Calicem Domini bibere et calicem Daemoniorum.* Ubi Apostolus Altare Christianorum opponit Altari Gentilium, et oblationem Christianorum species panis et vini Corpus et Sanguinem Christi assignat. Et *ad Hebr.* 13. *v.* 10. ait: *Habemus Altare, de quo edere non habent potestatem, qui Taber-*

SS. Eucharistia est verum Sacrificium.

Sacrificia Ierosolymitana sunt Sacrificia celebrata in Gentibus. II. *Mincha* saepe tantum significat Sacrificium metaphoricum, et quodcumque donum, a radice מנה *(mana) donavit;* vel נהג *(nahag) adduxit;* hinc etiam Rabbini per hanc *Mincham* puras preces intelligunt; S. Hieronymus, Theodoretus, Cyrillus, Iustinus etc. de Sacrificiis spiritualibus intelligunt, sicut etiam multi Theologi Lusitani. *Resp.* Vox *Mincha* solitarie sine adiecto in S. Scriptura posita, nullibi Sacrificium metaphoricum significat, sed proprie dictum, uti ostendit P. Widenhofer in *Explic. S. Script.* unde solitarie, si donum Deo oblatum significet, pro rata circumstantiarum Sacrificium proprium denotat. Rabbini in sua explicatione falluntur. Patres communiter citatam Prophetiam de Sacrificio Missae exponunt; licet nonnulli etiam Sacrificium improprium precum adiungant. Theologi illi ante Tridentinum scripserunt, vel si post illud, erraverunt. III. Melchisedech Sacrificium non obtulit: tum 1. quia הוציא *(Hotzi)* significat, *fecit exire;* non vero, *obtulit*: tum 2. quia panem et vinum tantum protulit in refrigerium Abrahae et militum, cum nil legatur de destructione Sacrificii: tum 3. quia LXX. legunt ἐξείνεγκεν αυτῳ ἄρτους καὶ οἶνον, *obtulit ipsi Abrahae panes et vinum;* tum 4. quia protulit panem ut Rex, cum כהן *(Cohen) Principem* significet: imo si fuisset Sacerdos, panem et vinum tamen quatenus Sacerdos non protulit, cum in Hebraeo non legatur particula causalis כי *(Chi)*, sed ו, et in LXX. *autem:* tum 5. quia ly *Sacerdos* spectat ad versum sequentem, ita ut sensus sit: Melchisedech ut Rex convivio excepit victores, et ut Sacerdos benedixit Abrahae *v.* 19. tum 6. quia S. Paulus in *Ep. ad Hebr.* Sacrificii Melchisedech non meminit, licet eius Sacerdotium Levitico Sacerdotio praetulerit: imo nomine Sacerdotis Abraham intelligitur, utpote cui Melchisedech decimas obtulit. Ergo nec Christus panem et vinum obtulit. *Resp.* Ad 1. *Hotzi* seorsim sumptum significat, *fecit exire;* secus, si in contextu legatur, ubi significat, *obtulit: Gen.* 4. *v.* 3. Ad 2. Protulit, ut pars Sacrificii illis daretur, et sic destrueretur; refrigerio enim non egebant, quia iam comederant, v. 24. Ad 3. Oblato iam Sacrificio, panes et vinum oblata Abrahae consumenda dedit. Ad 4. *Cohen.* nonnisi improprie *Principem* significat, unde omnes versiones legunt, *Sacerdos:* particulam vero *ve* hic esse causalem, patet ex eo, quia datur ratio, cur panem protulerit; alias enim frustra Sacerdotii mentio fieret: ita omnes PP. Ad 5. Lectio illa est falsa, quia *v.* 18. et ly *Sacerdos,* separatur a *v.* 19. per *Sophpasuch,* sive punctum sensum terminans. Ad 6. Commemoratio Sacrificii Melchisedech non erat ad scopum S. Pauli; quia tantum volebat probare, Christum non esse Sacerdotem secundum ordinem Aaron, et illo maiorem, sicuti Melchisedech fuit maior Abrahamo; meminit tamen *ad Hebr.* 13. *v.* 10. Ly *Sacerdos coniungitur* per ly et cum persona praecedente, quae Abrahae benedixit, id est, cum Melchisedech. IV. *ad Hebr.* 10. dicitur: *Sanctificati sumus per oblationem Corporis Jesu Christi semel . . . . . una enim oblatione consummavit*

in sempiternum Sanctos. Ergo non datur aliud Sacrificium, nisi illud Crucis; et hoc discrimen assignat Apostolus inter Legem novam et veterem, quod in hac oblatio saepe repeteretur; in Nova Christus semel oblatus fuerit, qui unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedeat in dextera Dei: et ideo Christus est Sacerdos in aeternum, qui nullos habet successores. *Resp.* Oblatio Corporis Christi et meritum eius in Missa, quae eadem est cum Sacrificio Crucis, nobis applicari debet. Hinc non opus est, ut Sacrificium Crucis cruentum repetatur; possunt tamen multiplicari Sacrificia multiplicantia Sacrificium Crucis, et eius fructum nobis applicantia. Et Christus nullos in Sacerdotio successores habet, sed tantum ministros, per quos Sacrificium offert. V. SS. Eucharistia est Sacramentum et Testamentum: ergo non est Sacrificium: hinc non legimus, Christum in ultima Coena Corpus suum Deo Patri obtulisse. *Resp.* Eucharistia sub diverso respectu est Sacramentum et Sacrificium: Sacramentum, quatenus nos sanctificat: Sacrificium, quatenus Deo offertur. Evangelistae quidem expresse non dicunt, Christum in ultima Coena se Patri obtulisse in Sacrificium, et multum de hac re in Tridentino disputatum fuit; sed universalis Traditio tandem omnes in affirmativam sententiam coegit, cui Tridentinum *c.* 1. *Sess.* 22. subscripsit. VI. Sacrificium Missae evacuat vim Sacrificii Crucis, quae est infinita: alias Christus in singulis Missis mori deberet, quippe in Sacrificio Hostia occidi debet, nec pendet a nobis naturam Sacrificii immutare, et ex cruento incruentum facere. *Resp.* Sacrificium Crucis habet vim infinitam, nec opus est repetitione Sacrificii cruenti Crucis, ita ut Christus saepius moriatur, aut incruenta eius in Missa oblatio sit in supplementum defectus Sacrificii Crucis: potest tamen idem quoad substantiam Crucis Sacrificium modo incruento offerri, ut meritum Crucis nobis applicetur. Deinde in Sacrificio cruento rei viventis in forma rei viventis oblatae requiritur victimae occisio, non vero in incruento rei in quodam statu mortis; in hoc enim sufficit occisio mystica, quae in Missa habetur, dum Christus vivens quidem offertur quasi in statu quodam mortis sub speciebus panis et vini, quae seorsim consecratae repraesentant separationem Animae a Corpore Christi tempore mortis.

Cudworthi sententia.

Schol. 3. Radulphus Cudworthus *de vera notione Coene Dom.* arbitratur, Coenam a Christo institutam fuisse ad imitationem Iudaeorum et Gentilium, qui Sacrificio peracto ex reliquiis eius coenas adornabant: unde Eucharistiam non Sacrificium, sed epulum ex Sacrificio nominat. Praelusit illi Stukius *l.* 1. *antiquit convival.* c. 33. Molinaeus *l. de Altar.* c. 5. Et Cudworthum ex Calvinistis sicuti sunt Ioan, Claudius *Sermon sur l'Eucharistie*, et Massonius. Et ex Lutheranis Olearius *diss. de κοινοία cum Christo et daem.* Pfaffius *Th. dogm. part.* 3. c. 3. Verum si Coena Dominica dictis Sacrificiis successit, oportet, ut de ipso Sacrificio, quod Corpus Domini est, fideles fiant participes, sicut etiam Apostolis cum Christo accumbentibus de Sacrificio ipse Salvator distribuit, qui, cum nondum cruentam in

Cruce se victimam obtulisset, incruentam aeterno Patri Hostiam in Coena se offerre debuit. Itaque si Eucharistia epulum est ex Sacrificio, verum etiam erit Sacrificinm.

Finis Sacrificii Missae

§ 1014. Porro Sacrificium Missae quadruplici ex causa, a Christo institutum fuit, quas Tridentinum *Sess.* 22. *cap.* 1. recenset. *Prima* ducitur à necessitate Sacrificii exterioris (§ 800.). *Secunda* petitur ab imperfectionc Sacrificiorum Legis naturae et scriptae, quae perfectioni Legis Evangelicae non conveniunt. *Tertia* a grata memoria Passionis et Mortis Christi, quae inter Christianos semper vigere debet. *Quarta* est, ut merita et dona, quae Christus nobis per mortem suam promeruit, impetrentur.

Praestantia.

Schol. Ex quibus sequitur, Religionem Christianam per Sacrificium Missae tantum eminere super alias Religiones, quantum veritas figuram, et corpus lucidum umbram praecellit, et fideles summa devotione huic SS. Sacrficio interesse debere.

Art. 1. *De essentia Sacrificii Missae.*

In quo eius essentia consistat?

§ 1015. Sacrificium autem Missae non in sola mortis Christi commemoratione ac repraesentatione reponi debet, sed in oblatione incruenta et mystica Christi realiter praesentis sub speciebus panis et vini. Nam 1° Tridentinum *Sess.* 22. *cap.* 1. veritatem Sacrificii Missae probat ex oblatione sni Corporis et Sanguinis, quam Christus in ultima Coena fecit, et ab Apostolis eorumque successoribus fieri praecepit: sicuti ergo ipse Christus vero et proprie Corpus suum et Sanguinem, non figurate solum obtulit, ita Sacerdotibus praecepit, ut idem non figurate tantum, sed vere et proprie facerent. Et ideo *can.* 3. definit, Sacrificium Missae non esse nudam tantum Sacrificii in Cruce peracti commemorationem. 2° Patres veritatem Sacrificii ex reali Christi praesentia, eiusque oblatione in Eucharistia probant, uti S. Ignatius *ep. ad Smyrn.* S. Iustinus in *apol.* Tertullianus *l. de orat. c.* 14. etc. Ergo realis praesentia Christi in Eucharistia a Sacrificio Altaris divelli non potest, sine qua Missa non esset verum Sacrificium.

Solvuntur obiectiones.

Schol. 1. P. Courayer, qui postea ad Anglos defecit, in dissert. *sur la validité des Ordinations des Anglais*, docet, totam Sacrificii Missae essentiam in sola commemoratione et repraesentatione Sacrificii Crucis reponendam esse, ita ut si etiam Christus in SS. Eucharistia realiter praesens non foret, nihilominus Missa repraesentatio Passionis et Mortis Christi, ac verum Sacrificium esset, quia PP. communiter asserunt, Missam esse commemorationem et repraesentationem Sacrificii Crucis. *Resp.* Sed non nudam, quia realem Christi praesentiam supponunt.

In quo actione consistat?

Schol. 2. Quaerunt Scholae, in quanam actione Missae essentia Sacrificii consistat. Ubi certum est, 1° essentiam Sacrificii Missae non consistere in oblatione ante consecrationem facta, quia in illa Corpus et Sanguis Christi nondum praesens non offertur. 2° Certum est, non consistere in distributione populo facta, quia verum est Sacrificium,

licet nullus de populo communicet, uti docet Tridentinum *Sess.* 22. *can.* 8: 3° Probabilius etiam essentia Sacrificii Missae non consistit in oblatione post consecrationem, uti vult Scotus: tum quia in illa nulla fit mutatio rei oblatae: tum quia ab Apostolis non fuit adhibita: tum quia tantum fit nomine Ecclesiae. 4° Fractio Hostiae consecratae in tres partes ante sumptionem facta, non est de essentia Sacrificii Missae, tum quia non versatur circa utramque speciem: tum quia sine hac fractione habetur integrum Sacrificium; si enim ante fractionem casu Hostia in Calicem decidat, iuxta Rubricam non debet frangi, sed cum S. Sanguine sumi. 5° Melius ergo dicitur, essentiam Sacrificii Missae adaequatae consistere in duabus actionibus consecrationis et sumptionis SS. Eucharistiae. De consecratione patet, tum ex eo, quia illa perspicue fit in Persona Christi: tum quia in illa consistit repraesentatio Sacrificii Crucis, et fit immutatio Hostiae per mysticam occasionem, quae consistit in separatione specierum. De sumptione probatur, quia per sumptionem victima, uti olim holocaustum, perfecte tota quasi absumitur et destruitur: hinc etiam sumptio ita censetur necessaria, ut si ante eam Sacerdos vel moriatur, vel ab ea alio modo impediatur, alius Sacerdos etiam non ieiunus Sacrificium consummare et sumere debeat: deinde de ratione Sacrificii est, ut Sacerdos de eo participet, si sit victima, iuxta S. Thomam; ergo sine sumptione Missa perfectum Sacrificium non foret, adeoque ad essentiam spectare videtur. Non obstat I. quod S. Thomas 3. *p. q.* 83. *a.* 4. *ad* 2. dicat: *in consecratione perficitur Sacramentum, in qua Sacrificium Deo offertur, usus autem Sacramenti est consequenter se habens ad Sacramentum.* Et Sacerdos non sumit Sacramentum nomine Christi: nec Hostiae minores a Sacerdote consecratae, non vero sumptae, essent perfecte sacrificatae. Ergo sumptio non spectat ad essentiam Sacrificii, *Resp.* S. Thomas loquitur de Eucharistia, prout est Sacramentum, non vero prout est Sacrificium. Deinde Christus non quidem immediate consumit Sacramentum; potest tamen dici consumere, quatenus se ad consumendum tradit, et eatenus Sacerdos sumit nomine Christi. Denique ut tota Hostia dicatur oblata, non requiritur, ut totaliter quoad omnes partes absumatur, sed solum quoad aliquam partem. II. Consecratio tantum praeparat victimam ad Sacrificium, nihil in ea immutat et facit Sacramentum. Ergo in ea non consistit essentia Sacrificii *Resp.* Consecratio et praeparat, et sacrificat Hostiam: praeparat per verba transubstantiando: sacrificat mystice occidendo per separationem specierum, in qua Hostia mutatur: et quatenus terminatur ad signum gratiae nos sanctificantis, facit Sacramentum, quatenus Christum Deo offert Sacrificium.

Art. 2. *De consecratione utriusque speciei.*

Non licet unicam § 1016. Quia consecratio utriusque speciei ad essentiam Sacrificii spectat (§ 1015.), ideo nulli Sacerdoti licet, unam speciem sine alia

consecrare. Ita 1° colligitur ex Tridentino *Sess.* 22. *cap.* 1. *et can.* 2. in quo definit: *Si quis dixerit, illis verbis: hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum, anathema sit.* Ubi modus offerendi Sacrificium quoad utramque speciem comprehenditur. Et *Sess.* 21. c. 2. docet, nullo praecepto Divino laicos et Clericos non conficientes obligari ad Eucharistiae Sacramentum sub utraque specie sumendum; ubi per ly conficientes satis indicat, eos ad consecrandum et sumendum sub utraque specie teneri. Hinc *c. Comperimus de cons. d.* 4. dicitur non posse absque gravi Sacrilegio dividi hoc Mysterium. 2° Ratio est: Sacrificium Missae integrum et perfectum non esset, nisi offeratur Deo Corpus et Sanguis Christi (§ 1015.); et repraesentetur unius ab altero separatio (loc. cit. Schol. 2.). Ergo una species sine altera consecrari non debet, licet una sine altera valide consecretur. **speciem consecrare**

Schol. 1. Praeceptum non consecrandi unam speciem sine altera est Divinum, et non mere Ecclesiasticum, uti contendit Hadrianus. Nam 1° ex Tridentino loc. cit. constat, Christum instituisse Eucharistiam uti Sacrificium constans ex speciebus panis et vini continentibus Corpus et Sanguinem Christi ad repraesentandum Sacrificium Crucis, et Apostolis praecepisse, ut hoc idem Sacrificium offerrent: ergo hoc praeceptum est Divinum. 2° Sacrificium Eucharistiae est perfecta commemoratio Sacrificii cruenti Crucis, adeoque separationem Corporis a Sanguine Christi repraesentare debet, quod iuxta institutionem Christi non fit, nisi utraque specie consecrata: maxime quia Sacerdotium Christi est iuxta ordinem Melchisedech, qui fuit in oblatione panis et vini. Dices I. Christus in Emmaus sub sola specie panis consecravit. *Resp.* Nondum est certum apud omnes, Christum in Emmaus consecrasse; vel si hoc factum sit, usus est potestate sua suprema. II. Ratio Sacramenti in qualibet specie salvatur; imo si vinum veneno infectum reperiatur post consecrationem panis, et aliud haberi non possit, non tenetur quis vinum consecrare. *Resp.* In una specie non salvatur ratio Sacrificii perfecti, et in casu proposito per accidens est, quod non sit integrum. **An sit praeceptum Divinum?**

Schol. 2. Quaeritur, an Summus Pontifex dispensare possit, ut Sacerdos in una tantum specie consecret. Respondetur negative contra B. Albertum, Azorium etc. 1. Quia consecratio Eucharistiae sub utraque specie est de iure Divino absoluto, derivato ab institutione Christi clara et minime obscura: ergo dispensatio et interpretatio Papae locum non habet. 2 Haec dispensatio nullius foret utilitatis, non pro privatis, quia privatorum utilitas debet cedere reverentiae Sacramenti: nec utilitatis publicae pro toto regno, quod alias vero Sacrificio privaretur: nec adest necessitas, cum vinum in omnes Provincias deferri possit. Dices I. Innocentius VIII. dispensavit cum Norwegis, ut in solo pane consecrarent, teste Volaterrano *l.* 7 *Georg. c.* 4 et de facto dispensat cum Neo-ordinatis Sacerdotibus, ut cum **An Papa in una specie dispensare possit?**

Episcopo celebrantes unam tantum speciem sumant: ergo potest dispensare, ut una tantum consecretur. *Resp.* Dispensatio Innocentii est fictitia. Sumptio utriusque speciei spectat tantum ad principalem celebrantem, qualis in Ordinatione est solus Episcopus; non vero Ordinati, qui tantum sunt concelebrantes. II. Papa potest in votis, quae sunt iuris Divini, dispensare: ergo etiam in consecratione sub duplici specie *Resp.* In dispensatione voti non tollitur obligatio, quamdiu manet promissio; sed Ecclesia solum declarat, in certis casibus non manere votum, et ad eos obligationem voti se non extendere, adeoque obligatio voti est iuris Divini conditionati, si Superior non contradicat: obligatio vero consecrandi sub duplici specie est iuris Divini absoluti.

An differat Sacrificium Missae a Sacrificio Coenae et Crucis? *Schol.* 3. Ex his patet, Sacrificium Missae non differre essentialiter a Sacrificio ultimae Coenae, quia eadem est utrobique Hostia, et principalis offerens Christus: accidentaliter tamen differt, quia in ultima Coena Christus mortalis oblatus est; in Missa sub statu quodam mortis offertur, non tamen mortuus. In Coena Christus seipsum immediate obtulit; in Missa mediate ministerio Sacerdotis offertur. In Coena Sacrificium meritorium et satisfactorium fuit; non vero Sacrificium Missae, quia Christus modo mereri et satisfacere nequit: propitiatorium tamen est nostrum Sacrificium, applicando nobis merita Passionis et Mortis Christi. Illud mortem Christi futuram; hoc praeteritam significat. Illud non fuit imago alterius Sacrificii incruenti; hoc est imago Sacrificii Coenae incruenti. Deinde Sacrificium Missae essentia et substantia non differt a Sacrificio Crucis: discrimen solum est, quod hic modus sit incruentus, qui in Cruce cruentus fuit: hic mystica oblatio; in Cruce realis cum Sanguinis effusione: hic applicatur redemptionis pretium; ibi solvitur: hic imago et repraesentatio Sacrificii Crucis; illud vero imago alterius non fuit, sed prototypon omnium Sacrificiorum. Denique Sacrificium Missae essentialiter differt a Sacrificiis Mosaicis, tum ratione rei oblatae, tum ratione offerentis, tum ratione virtutis et efficaciae.

CAP. II.

De Ministro Sacrificii Missae.

Offerens principalis est Christus. §1017. Solum Sacerdotem rite ordinatum, esse ministrum consecrationis Eucharistiae, iam alibi dictum fuit (§997). Sed quia Sacerdos sacrificans agit nomine Christi et Ecclesiae, hinc imprimis Christus Dominus est Sacerdos, praecipue Deo Sacrificium Missae offerens per alios Sacerdotes ut ministros. Id patet 1° *ad Hebr.* 7. *v.* 17. *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*: scilicet per tuos ministros Sacrificium sub specie panis et vini offerens. Et ideo in Concilio Lateran. *c. Firmiter, de sum. Trin.* dicitur, *Christum in hoc Mysterio simul esse Sacerdotem et Sacrificium.* Et Tridentinum *Sess.* 22. *cap.* 2. docet: *Idem nunc offerens Christus Sacerdotum ministerio, qui*

seipsum tunc in Cruce obtulit. 2° Ratio est, quia actio sacrificandi non solum a re oblata, sed etiam a principalis offerente suum valorem et dignitatem trahit. Ergo cum Sacrificium purum esse debeat, homo vero Sacerdos non semper mundus existat; saltem principalis Sacerdos talis esse debet, qui solus Christus esse potest.

Schol. Christus Dominus iuxta Salmanticenses offert singula Sacrificia immediate in ratione principali Sacerdotis, oblatione formali, actuali et elicita: quia dignitati aeterni Sacerdotis et excellentiae Sacrificii magis congruit, quod actu formali et elicito offerat singula Sacrificia, quam quod solum mediate et remote concurrat, quatenus Sacrificium instituit, et Sacerdotibus potestatem dedit illud nomine suo offerendi. An omnia Sacrificia immediate offerat?

§ 1018. Quia vero Christus Sacerdotes ut ministros Deo sacrificat (§ 1017.), ideo Sacerdos celebrans est minister, qui vere proprie et immediate in persona Christi Sacrificium Missae Deo offert. Nam 1° Sacerdos ex Ordinatione sua habet specialem potestatem offerendi hoc Sacrificium, uti constat ex Tridentino *Sess.* 23. *can.* 1. Ergo Sacerdos proprie et immediate hoc Sacrificium offert. 2° Oblatio huius Sacrificii inadaequate saltem consistit in consecratione (§ 1015. Schol. 2.). Sed solus Sacerdos Eucharistiam consecrare potest (§ 997.). Ergo est minister vere offerens. Sacerdos vere offert.

§ 1019. Denique cum Sacerdos nomine Ecclesiae sacrificet; hinc Ecclesia seu fideles, qui sunt in Ecclesia, etiam suo modo hoc Sacrificium offerunt. 1° Enim hoc modo etiam fideles in V. L. Sacrificium offerre dicebantur, *Exod.* 5. *v.* 1. *Dimitte populum tuum, ut sacrificet mihi in deserto.* 2° Sacerdos in Missa orat: *Ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat. Memento, Domine, famulorum . . qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis.* 3° Sacrificium ex natura sua est cultus publicus et solemnis totius populi. Ergo nomine totius populi offertur. Deo per Sacerdotem; quod enim specialiter agitur ministerio Sacerdotum, hoc generatim agitur ex voto fidelium: ait Innocentius III. *l.* 3. *c.* 6. *de Sacr. Miss.* Et fideles.

Schol. 1. Fideles triplici sensu dicuntur Deo Sacrificium Missae offerre: 1. Quia sunt membra Ecclesiae, cuius nomine Sacerdos offert: totum enim corpus Ecclesiae, quatenus Sacerdotem offerentem includit, recte denominatur offerens, quia offert per membrum suum, ut ministrum ad hoc deputatum. 2. Fideles speciali ratione offerunt, quatenus exterius cooperantur Sacerdoti offerenti, quod fit petendo et procurando Sacrificium, dando stipendium Sacerdoti, inserviendo Sacrificanti. 3° Quia interno affectu uniendo se Sacerdoti Sacrificio consentiunt, et petunt, fructuum illius participes fieri. Quomodo fideles offerant?

Schol. 2. Animae etiam in Purgatorio specialiter Sacrificium Missae offerre dici possunt, quia cum non sint omnibus modis extra viam, eo quod conservent fidem et spem, movere possunt Sacerdotem ad celebrandum, in casu, quo stipendium pro Missarum oblatione reliquerunt; vel quo Deo permittente Sacerdoti apparent, ro- An animae Purgatorii offerant?

gantes, ut pro iis celebret: quo modo etiam Beati possunt dici specialiter offerre, quando speciali modo Sacerdotem ad offerendum movent. Qui autem praecise actu interno Sacrificium Missae offert, non potest dici, illud offerre illa specialitate, qua offerunt, qui stipendio movent Sacerdotem ad celebrandum, vel qui Missae ministrant, aut illi assistunt, quia priores illi non cooperantur per quid externum ad oblationem offerentis; possunt tamen dici specialiter offerre relate ad omnes fideles, qui nec actu interno offerunt, de Sacrificio nihil cogitantes, et qui dicuntur solum generaliter offerre, quatenus Sacerdos nomine omnium agit et orat.

CAP. III.

De iis, pro quibus Missa offerri potest.

Missa pro omnibus fidelibus offerri potest.

§ 1020. Subiectum, pro quo Sacrificium Missae recte offertur, sunt omnes fideles Christiani iusti et peccatores. Ita definit Tridentinum *Sess.* 22. *can.* 3. *Si quis dixerit, Missae Sacrificium soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere; anathema sit.* Ratio est, quia Sacerdos ordinatur ut publicus mister totius Ecclesiae. Ergo *debet quemadmodum pro populo, ita et pro semetipso offerre pro peccatis: ad Hebr.* 5. adeoque pro tota Ecclesia, et fidelibus Christianis iustis et peccatoribus.

Resolvuntur casus.

Coroll. Pract. 1° Sacrificium Missae offerri potest pro ipso Sacerdote, pro fidelibus etiam absentibus, quibus prodest, etsi nihil de hoc sciant: et Sacerdos mortaliter peccaret, si quem de Ecclesia excludere vellet de fructu universali sui Sacrificii: non tamen requiritur intentio expressa pro omnibus offerendi, sed sufficit virtualis et implicita celebrandi secundum institutionem et ritum Ecclesiae, quae hanc intentionem satis exprimit in Canone. 2° Missa directe etiam offerri pro infantibus potest, ut Deus eos perfectos in timore suo ad adultam aetatem perducat: item etiam pro energumenis et peccatoribus, quibus tamen, sicut et infantibus in ratione satisfactionis, cuius non sunt capaces, nil prodest. 3° Potest etiam offerri pro Catechumenis, saltem quoad fructus impetrationis, non vero satisfactionis, licet pro iis alia suffragia, preces et eleemosinae offerri possint: oratione tamen publica pro Cathecumenis in Missa orare non licet, nisi Ecclesia permittat. 4° Sacrificium Missae non potest pro Infidelibus offerri quantum ad fructum satisfactionis, cuius non sunt capaces: potest tamen pro iis offerri per modum deprecationis, ut ad fidem Catholicam convertantur, non tantum in genere, sed etiam in particulari pro hac vel illa persona infideli, cuius tamen nomen in Canone alta voce pronunciari non debet. 5° Sacerdos graviter peccat, qui pro excommunicato non tolerato Missam offert; imo licet constet, excommunicatum vitandum contritum obiisse, non licet pro eo Sacrum offerre, quia necdum est ab excommunicatione absolutus, *c. A nobis*,

de sent. Excom. saltem directe, quatenus Sacerdos est minister Ecclesiae, nec licet pro eo orare collectas, quae nomine Ecclesiae in Sacro recitantur; indirecte autem, quatenus offertur pro peccatoribus, ut convertantur, offerri pro eo potest, imo Sacerdos ut persona privata potest illius meminisse in *Memento:* si tamen Sacerdos offerret pro excommunicato vitando, qui fructus Sacrificii capax foret, illicite quidem, valide tamen offerret, quia hoc pendet ab institutione Christi, et ille fructus principalioris ex meritis Christi particeps fieret. 6° Pro excommunicato non vitando licitum est directe Sacrificium offerre, quia iuxta Extrav. Martini V. *Ad evitanda,* cum illo non prohibetur omnis communicatio: hinc Sacerdos tuta conscientia apud nos in Germania potest acceptare stipendium ab Acatholico Protestante oblatum, et illi legere Sacrum.

§ 1021. Licet etiam Sacrificium Missae offerre in honorem Sanctorum. Ita Tridentinum *Sess.* 22. *can.* 5. definiens: *Si quis dixerit, imposturam esse, Missam celebrare in honorem Sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit; anathema sit.* 2° Patet ex Traditione. S. Cyrillus Ieros. *Cat.* 5. ait: *Cum hoc Sacrificium offerimus, mentionem facimus eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum et deprecationibus suscipiat preces nostras.* Et S. Augustinus *tr.* 84. *in Ioan. Non sic Martyres commemoramus quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro iis oremus; sed magis, ut ipsi orent pro nobis.* Accedunt omnes Liturgiae tam Graecae, quam Latinae, quae memoriam Sanctorum faciunt. 3° Sancti pro nobis in coelo orare possunt, et orant (§ 782.). Ergo bonum est, petere a Deo, tum ut Sanctos pro nobis orare faciat, tum ut illos pro nobis orantes exaudiat, quae in Missa petuntur. Licet offerre Missam in honorem SS.

Schol. Kemnitius in *Exam. Conc. Trid.* impudenter mentitur *pag.* 818. Catholicos Sacrificium offerre Sanctis, iisque Templa et Altaria erigere. Item ait, Catholicos docere; Coenam S. per se institutam esse, ut in eius celebratione Sancti implorentur. Verum contrarium docent omnes Catholici, iuxta Trident. *Sess.* 22. *cap.* 6. docens: *Quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere solet: offero tibi Sacrificium, Petre vel Paule, sed Deo, de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris.* Deinde Sacrificium Sanctis non prodest ad gratiae vel gloriae essentialis augmentum, sed tantum gloriae accidentalis, in quantum eorum cultui aliquid superaddi potest. Quare dum oramus, ut oblata Sanctis prosint ad gloriam, petimus gratiam ita sancto Sacrificium celebrandi, ut Sancti inde gaudeant, et gloria illis coram hominibus accedat. Item Sacrificium Missae per se primario ad cultum Divinum institutum est, Resolvuntur casus.

et secondario solum ad honorandos et invocandos Sanctos, quatenus institutioni eius non repugnat offerre Deo Sacrificium in honorem Sanctorum. Dices I. Olim memoria Martyrum die anniversario in loco sepulturae eorum fiebat, et modo tempore S. Augustini opinio de intercessione Martyrum invaluit. *Resp.* Quam falsum hoc sit, patet ex Eusebio *de praep. Evang. c.* 7. dicente: *Vota Sanctis facimus, quorum intercessione apud Deum non parum iuvari nos profitemur.* II. Oblatio Sacrificii est cultus Latriae soli Deo debitus: ergo male ad honorem sanctorum transfertur. *Resp.* Nos Deo in honorem Sanctorum tamquam Auctori virtutum, quas per Sanctos operatus est, Sacrificium offerimus; non vero Sanctis in honorem Dei.

Missa pro defunctis offerri potest. § 1022. Item pro animabus in Purgatorio detentis Sacrificium Missae fructuose et bene offertur. Probatur ex S. Scriptura, 2. *Mach.* 12. (t. 1. §. 413.), et ex Traditione (ibid.), cuius testes etiam sunt, Tertullianus *l. de cor. mil. c.* 3. *Oblationes pro defunctis annua die facimus.* S. Cyprianus *ep.* 66. *Antecessores nostri censuerunt, quod, si quis hoc fecisset, non offeretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione eius celebraretur.* S. Cyrillus Ierosol. *Cat.* 5. *Maximum esse credimus animarum iuvamen, pro quibus offertur obsecratio Sancti illius tremendi, quod in Altari positum est, Sacrificii.* Et S. Augustinus *l.* 9. *Confes.* testatur, pro matre sua mortua oblatum esse Sacrificium pretii nostri. Item S. Epiphanius in lib. *anacephal.* ait, Ætium inter haereticos damnatum esse, quod negaret pro mortuis offerendum esse Sacrificium. Hinc merito Tridentinum *Sess.* 22. *can.* 3. definit: *Si quis dixerit, Missae Sacrificium . . . neque pro vivis et defunctis offerri debere, anathema sit.*

Schol. Protestantes negant, Sacrificium Missae pro defunctis in Purgatorio existentibus offerri posse, ex eo, quod existentiam Purgatorii negent. Sed hi alibi (t. 1. § 413.) iam refutati sunt.

Non vero pro damnatis. § 1023. Damnatis autem in Inferno Sacrificium Missae nihil prodest, pro quibus nec ut propitiatorium, nec ut impetratorium offerri potest. Nam damnati irrevocabili Dei sententia aeternis suppliciis sunt addicti (t. 1. § 200.), nec quidquam refrigerii suscipere possunt. Ergo pro iis Sacrificium Missae offerri non potest. (§ 787.).

CAP. IV.

De fructu Sacrificii Missae.

Sacrificium Missae est propitiatorium. § 1024. Effectus seu fructus Sacrificii Missae ex parte rei oblatae quadruplex est, scilicet, Latreuticus, Eucharisticus, Propitiatorius, et Impetratorius. De *Latreutico* patet, quia offertur Deo in recognitionem supremi sui dominii. De *Eucharistico* etiam constat, quia offertur Deo pro omnibus acceptis beneficiis. De *Propitiatorio* contra haereticos Catholica fides docet, Sacrificium Missae esse propitiatorium, et valere ad remissionem peccatorum mortalium et venialium. Probatur 1° ex S. Scriptura, *ad Hebr.* 5. *Omnis Pontifex ex homini-*

bus assumptus pro hominibus constituitur . . . ut offerat dona et Sacrificia pro peccatis. Sed Christus est Pontifex secundum ordinem Melchisedech. Ergo quod obtulit, et adhuc offert in Ecclesia, est pro peccatis: hinc *Matth.* 26. ait: *Hic est Sanguis meus qui pro multis effundetur*, vel iuxta textum Graecum, *effunditur in remissionem peccatorum.* 2° Ex Traditione. S. Cyrillus Ieros. *Cat.* 5. *Christum pro peccatis nostris mactatum offeramus, et nobis eum, qui benignissimus est, propitium reddamus.* S. Ambrosius *l.* 1. *de off. c.* 48. *Offert Christus seipsum quasi Sacerdos, ut peccata nostra dimittat.* Et S. Augustinus *q.* 57. *in Lev. Unum hoc nostrum Sacrificium signatur, in quo fit vera remissio peccatorum.* Ideo Tridentinum *Sess.* 22. *c.* 2. recte docet, *Sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde et recta fide; cum metu et reverentia contriti et poenitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit.* Et *can.* 3. *Si quis dixerit, Missae Sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis . . . non autem propitiatorium, anathema sit.*

Schol. 1. Fructus Sacrificii Missae tripliciter dividi potest. 1. Ex parte causae seu causalitatis, estque partim ex opere operato, partim ex opere operantis. 2. Ex parte rei, estque Latreuticus, Eucharisticus, Propitiatorius et Impetratorius. 3. Ex parte participantium, estque generalis, specialis, et specialissimus. Fructus Missae quotuplex?

Schol. 2. Lutherus docet, Sacrificium Missae non esse propitiatorium. I, Quia alias communio unius prodesset alteri, quod esse nequit, sicuti nec Baptismus unius alteri prodesse potest. *Resp.* disparitas est inter Sacramentum et Sacrificium. Sacramentum ordinatur ad sanctificationem suscipientium: Sacrificium per modum deprecationis et orationis concurrit, quae etiam pro altero fieri potest. II. Sic homo sine proprio labore et operibus veniam peccatorum consequeretur. *Resp.* Sacrificium non remittit immediate, et per se peccatum, sed mediate per viam impetrationis, movendo Deum ad conferenda auxilia, ut hominem poeniteat per Contritionem vel Attritionem cum Sacramento, quarum vi immediate remissio peccatorum obtinetur: et hoc quidem probabilius facit ex opere operato ex sola dignitate huius Sacrificii, independenter a merito et dignitate Sacerdotis, vel eius, pro quo offertur, a qua vis causativa et impetrativa horum auxiliorum in hoc Sacrificio non retardatur. Quomodo peccata remittat?

§ 1023. Sacrificium Missae plurimum etiam prodest tam vivis quam defunctis ad satisfaciendum, sive ad remittendas poenas peccatis debitas. Ita Tridentinum *Sess.* 22. *can.* 3. *Si quis dixerit . . . neque offerri debere pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus, anathema sit.* Deinde Sacrificium Missae recte offertur pro defunctis (§ 1022.), qui, cum in statu merendi non sint, nihil conferunt ad poenae relaxationem. Ergo Sacrificium relaxat. Dein cruen- Valet ad remittendas poenas.

tum Crucis Sacrificium fuit vere satisfactorium pro poenis peccatis debitis. Ergo etiam Sacrificium incruentum, quod est illius applicatio, ad hunc finem institutum fuit.

Quomodo poenas remittat? *Schol.* Missae Sacrificium ex opere operato immediate remittit poenas, ex condonatis peccatis sive mortalibus, sive venialibus relictas; alio enim modo mediate impetrando auxilium ad eliciendum actum satisfactorium, defunctis in Purgatorio ad remissionem poenae prodesse non potest, utpote qui nonnisi satispati possunt.

Missa est Sacrificium impetratorium. § 1026. Denique Sacrificium Missae est *Impetratorium*, ad obtinenda a Deo spiritualia et temporalia. Quoad bona spiritualia patet ex Tridentino (§ 1024. 1025.); et quoad bona temporalia idem Tridentinum docet, offerri illud *pro aliis* etiam *necessitatibus*, quo nomine pacem: terrae foecunditatem etc. bona temporalia intelligit. Idem docent. PP. S. Chrysostomus *hom.* 18. *in Acta,* dicit, illud offerri pro fructibus terrae. S. Augustinus *l.* 2. *de Civ. c.* 8. refert, Sacrificium hoc oblatum esse ad purgandam domum ab infestatione daemonum. Certe si hoc Sacrificium pro remittendis peccatis valet, cur non pro poenis ex peccatis hortis, et quidem ex opere operato (§ 1024. Schol. 2.)?

An ex opere operantis vim habeat? *Schol.* 1. 1° Sacrificium Missae non solum habet vim ex opere operato, sed etiam ex opere operantis seu pietate et devotione offerentis; cum enim valeat per modum impetrationis et orationis, eo maiorem effectum producit, quo magis est fervida ad Deum oratio. Unde observat Bellarminus, quod etsi non sit necessaria bonitas ministri offerentis ad valorem Sacrificii, alicuius tamen offerentis bonitas necessario requiritur; quia cum Sacrificium impetrando valeat, placere nequit, nisi offerens placeat; unde si Sacerdos in mortali offerens non placeat, saltem Christus principalis offerens semper placet. 2° hinc Sacrificium Missae, prout est a principali offerente, vim habet ex opere operantis certo et infallibiliter: prout autem offertur ab homine, infallibiliter quidem ex opere operato confert auxilia ad Contritionem etc. excitantia; item remissionem alicuius saltem poenae, et bona temporalia, si animae saluti expediant, confert; ex opere vero operantis non semper, si minister sit malus, nullam, vel ex defectu devotionis debilem vim habet. 3° P. Gonet docet, hoc Sacrificium etiam aliquo modo immediate causare remissionem venialium, non quasi homo nullum actum detestationis formalis ponere deberet, sed, quod si ponat actum insufficientem ad remissionem venialium, ea vi Sacrificii remittantur.

An valor Missae sit infinitus? *Schol.* 2. Valor et fructus Sacrificii Missae in actu primo, et quoad sufficientiam tam intensive, quam extensive est infinitus, quia in eo offertur res infiniti valoris a Persona infinite digna: maxime quia est idem cum Sacrificio Crucis et ultimae Coenae; et insuper habet virtutem completam ad producendum effectum syncategorematice infinitum. In actu tamen secundo, et quoad efficientiam est tantummodo finitus, quia dispositio subiecti, cui applicatur valor Sacrificii Missae,

semper est finita: causae enim universales agunt iuxta dispositionem subiecti. Non obstat I. quod Sacrificium Missae pro eodem iteretur, et quod offerens Sacerdos sit tantum finitae dignitatis. *Resp.* Ex hoc solum sequitur, quod fructus eius sit quoad efficientiam finitus, non vero quoad sufficientiam. Unde etiam Sacerdos per unicam Missam nequit Satisfacere pluribus, a quibus stipendia accepit; nam fructus tanto magis decrescit, quanto in plures partes dividitur. II. Si plures assistunt, et offerunt, per se prodest singulis non minus, ac si unus tantum adesset: ergo etiam si pro pluribus offertur a Sacerdote. *Resp.* Disparitas est, quia multiplicatis offerentibus multiplicantur oblationes, quarum singulae habent suum fructum specialem: non autem multiplicantur oblationes, quando multiplicantur obiecta, pro quibus offertur. III. Certum est, licere Sacerdoti in *Memento* orare non tantum pro dante stipendium, sed etiam pro aliis, iisque nominatim applicare fructum Sacrificii, uti patet ex Canone Missae. Ergo ex eo, quod Missa pro pluribus applicetur, non minuitur eius fructus. *Resp.* Licet tantum in *Memento*, quod est quaedam distincta et repetita oblatio, et sic non minuitur quidem generalis; minuitur tamen specialis.

Coroll. Pract. 1° Sacrum ab impio Sacerdote celebratum non habet minorem vim ex opere operato, sed tantum ex opere operantis. Illud autem Sacrificium est fructuosius, quod devotius legitur vel auditur, sive sit de Feria, sive de Sancto, sive in summo vel alio Altari, in quibusvis paramentis, quia eadem est semper Hostia, licet per accidens plus prosit Missa in Altari privilegiato ob Indulgentias annexas. 2° Missa *de Requiem* quoad fructum satisfactorium ex opere operato non plus prodest defuncto: quam alia; plus tamen prodest, quatenus Ecclesia per preces in Missa *de Requiem* specialiter pro defuncto orat: sicuti etiam per accidens plus prodest Sacrum solemne cum ministris quod Magis redundat in gloriam Dei.

CAP. V.

De applicatione Sacrificii a Sacerdote facienda.

§ 1027. Ut vero Sacrificium Missae in aliis praedictos effectus causet, requiritur intentio seu applicatio fructus facta a Sacerdote celebrante. Nam 1° Sacerdos est dispensator Mysteriorum Dei, et in Ordinatione sua accipit potestatem Sacrificium offerendi, adeoque eius fructum applicandi. Ergo quod fructus huius Sacrificii huic vel illi in particulari prosit, pendet ex intentione Sacerdotis, tale Sacrificium ad talem effectum referentis. 2° Sacrificium Missae de se non est determinatum, ut hos vel illos effectus in hoc vel illo subiecto causet, sed habet se instar causae universalis de se in actu primo indifferentis. Ergo ab intentione Sacerdotis ad hunc vel illum effectum in hoc vel illo subiecto producendum determinari debet; nullum enim aliud

Pro obtinendo fructu requiritur applicatio Sacerdotis.

determinans aptius assignari potest, cum oporteat, ut ab eo determinationem habeat, a quo esse suum habet.

Coroll. Pract. 1° Ut effectus Sacrificii specialiter obtineatur, debet
Resolvuntur casus. Sacerdos fructum ex opere operato respondentem Sacrificio, prout offertur in persona Christi; vel sibi ipsi, vel alteri capaci per intentionem ante vel saltem in ipsa consecratione factam applicare; quia in consecratione Sacerdos potissimum personam Christi agit. 2° Intentio debet ferri in personam determinatam, licet ignotam; nec potest alicui fructus applicari sub conditione de futuro contingenti, quia non est in potestate Sacerdotis eousque fructum suspendere. 3° Si Sacerdos nulli vel incapaci, vel non indigenti fructum applicet, remanet in thesauro Ecclesiae; vel iuxta P. Layman illis cedit, pro quibus Sacerdos saepius offerre solet, vel ipsi Sacerdoti obvenit, quia hanc intentionem habere censetur. Hinc consultum est, ut Sacerdos primae intentioni aliam substituat, v. g. offeram Missam pro patre, vel si his non indigeat, pro fratribus etc. vel pro quibus ex accepto stipendio teneor ad intentionem petentis eo modo quo Deus scit, me applicare debere. 4° Intentio applicantis debet esse vel explicita vel virtualis et implicita, semel posita et non revocata, etsi longo tempore praecesserit, quia est donatio de praesenti rei futurae. 5° Applicatio debet fieri saltem ante consecrationem secundae speciei: imo si Sacerdos accepto stipendio pro aliis celebret, applicationem ante initium Missae facere debet, ut etiam fructus precum Ecclesiae illis proveniat: de quo tamen alii cum Salmanticensibus adhuc disputant, uti mox videbimus. Et si Sacerdos alii applicet, quam cui Superior applicari iussit, valida est applicatio, quia est actus Ordinis, licet Sacerdos contra obedientiam peccet. Neomysta vero in Ordinatione cum Episcopo celebrans, nonnisi ad intentionem Episcopi primarii celebrantis illam Missam applicare potest. 6° Sacerdos Missam applicare potest pro eo, quem sit de facto velle a se Missam petere, licet necdum petierit, nisi sit pro effectu, ad quem non iuvaret. Item valet applicatio pro eo; pro quo Deus vult applicari. 7° Si quis applicavit ad unum finem, et postea immemor applicationis factae applicat ad alium finem, si hoc faciat ex fine speciali, censetur interpretative revocare priorem intentionem, 8° Applicatio sub conditione de praeterito vel praesenti valet, non autem de futuro v. g. pro eo, qui stipendium dabit; item nec haec applicatio valet: offero pro eo, quem Deus scit, primo stipendium daturum, vel primo moriturum, quia est contra praxim Ecclesiae, et graviter prohibita a Clemente VIII. 9° Si quis Missam ex errore pro mortuo putato offert, qui tamen adhuc vivit, prodest applicatio secundum fructum vivo applicabilem ob voluntatem interpretativam applicantis: qui tamen putans alium esse mortuum celebraret Missas, quas pro eo defuncto re ipsa legere tenetur, non satisfaceret obbligationi, sed eo defuncto, alias pro eo Missas legere debere. 10 In die Commemorationis omnium defunctorum pia consuetudo habet, ut omnibus animabus in Purgatorio

Missa applicetur; non tamen est gravis obligatio. Missa vero in Altari privilegiato, si per Rubricam liceat, *de Requiem* dici debet.

Schol. Quaeritur, quem fructum Sacerdos danti stipendium, vel cui titulo obligatus est, applicare debeat. *Resp.* cum Salmanticensibus, teneri applicare fructum specialem ex opere operato, seu medium inter generalem et specialissimum, et obligationi satisfacere, licet non applicet fructum ex opere operantis, nec fructum et impetrationem orationum Ecclesiae. Nam 1. Sacerdos etiam in peccato mortali celebrans et applicans Missam, cui debet, peccat quidem contra Religionem, non tamen contra iustitiam: ergo obligationi satisfacit, nec tamen Sacrificium habet fructum ex opere operantis, et si sit excommunicatus, non agit nomine Ecclesiae, et sic non offert eius orationes, nec impetrationem illis respondentem applicare potest. 2. Sacerdos suae obligationi satisfacit applicando illud, quod Deus aliis applicandum hoc in Sacrificio instituit, quod non est bonum operantis, nec orationes Ecclesiae, quae omnia Sacrificio sunt accidentalia. Non obest I. quod sit mens petentium, ut sibi impetratio operationum Ecclesiae applicetur. *Resp.* Hoc rationabiliter tamquam sibi debitum petere non possunt, quia illud solum iure exigere possunt, quod Christus illis applicandum instituit. II. Fideles pro legendis Missis quaerunt merito bonos et pios Sacerdotes; ergo volunt sibi applicari fructum ex opere operantis. *Resp.* Fructus impetratorius ex opere operato, quatenus in persona Christi offertur, non pendet a bonitate ministri, nec quatenus orat nomine Ecclesiae, nisi sit excommunicatus: quatenus vero orat uti persona privata et offert, fructus impetrationis ex eius bona dispositione dependet: hinc fideles quaerunt bonos Sacerdotes non pro fructu ex institutione sibi applicabili, sed pro fructu impetrationis Sacerdotis, quatenus est persona privata. Quem fructum Sacerdos applicare debeat?

Coroll. Pract. 1° Fructus specialissimus ipsi Sacerdoti proveniens nulli alteri applicari potest, quia est personalis. 2° Sacerdos, quatenus Sacrificium offert nomine Ecclesiae, nec licite nec valide eius intentionem mutare potest, ita ut aliquem excludat, quem in generali sua intentione ratione fructus generalis includit, vel aliquem v. g. excommunicatum includat, quem Ecclesia exclusum esse cupit. Intentio autem principalis Ecclesiae est, supplicandi pro omnibus Christi fidelibus: secundaria vero intentione Ecclesia offert pro Catechumenis, et Infidelium salute. 3° Quatenus Sacerdos ut privata persona Sacrificium offert, et orat in *Memento*, fructum impetrationis et satisfactionis ex opere operantis applicare potest cuivis homini capaci, etiam excommunicato non tolerato, sicuti etiam Sacrificio assistentes, quia haec propria ipsorum actio eorum arbitrio relinquitur. 4° In Missa gratuita Sacerdoti licet fructus dividere, v. g. applicando fructum satisfactorium Paulo, impetratorium sibi etc. Si quis vero alicui Missam simpliciter promisit, non limitando ad certum fructum, tenetur omnes fructus illi applicare: si autem ad certum tantum finem promisit, v. g. in gratiarum actionem pro sanitate, poterit alteri fructum Resolvuntur casus

satisfactorium et impetratorium applicare; quod idem tenet, si iubeatur Sacerdos ad certum solum finem celebrare. E contra si quis obligetur ex stipendio, vel fundatione, tenetur totum fructum ex opere operato applicare danti stipendium, vel fundatori, vel, si capaces non sint, eorum consanguineis, aut quibus maxime obligatur. 3° Ex accepto stipendio tenetur quidem Sacerdos nonnisi fructum medium et specialem applicare; ne tamen scrupulis implicetur, consulit Gerson *de sollic. Ecclesiastic. c. 34.* ut omnia in Divinam dispositionem referat, et intendat suis obligationibus satisfacere eo meliori modo, et eo maiori extensione, quibus valet; sic enim re ipsa suo muneri satisfaciet.

CAP. VI.

De stipendio Missarum.

Stipendia Missarum licent

§ 1028. Cum vero Sacerdos non semper obligetur huic vel illi fructus Sacrificii Missae applicare, ideo quando suas Missas non habet obligatas, iustum aliquod stipendium pecuniarum accipere potest, non quidem tamquam pretium Sacrificii, sed uti stipendium iustum ad sui sustentationem. Nam 1° *Luc.* 10. *v.* 7. dicitur: *Dignus est enim operarius mercede sua.* Et 1. *ad Cor.* 9. *v.* 13. *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant?* 2° Patet ex recepto antiquissimo usu Ecclesiae; quippe iam olim fideles in Missa publica oblationes faciebant, consistentes in fructibus; deinde saeculo 8° pecunia offerebatur pro ministris: cumque Missae privatae invalescerent, sub quibus oblationes non fiebant, fideles anticipato has oblationes dabant. Vid. Van-Espen. in *Iur. Eccl.*

Solvuntur obiectiones.

Schol. Dices I. Omne pactum in rebus sacris reprobandum est, et Simoniacum habetur (§ 862.). Sed hoc contingit in stipendio Missarum, ubi est obligatio ex iustitia et pacto: unde etiam Tridentinum *Sess.* 22. *in Decret.* prohibet cuivis generis mercedem, conditiones, pacta, et quidquid pro Missis novis celebrandis datur. *Resp.* Pactum, quod inter dantem stipendium et Sacerdotem intervenit, nonnisi ex pravo motivo Sacerdotis variari, et Simonia fieri potest, si nimirum is stipendium spectaret ut finem praecipuum, aut pretium rei sacrae: sed stipendium hoc non datur ut pretium, sed ut sustentatio operantis. II. Non licet pecuniam dare etiam per modum stipendii pro collatione Ordinum: ergo neque pro Missa. *Resp.* Disparitas est, quia concesso stipendio multi abusus et promotiones indignorum in collatione Ordinum contingerent; et aliunde Episcopis de congrua sustentatione satis provisum est.

Resolvuntur casus.

Coroll. Pract. 1° Iustum stipendium illud censetur, quod vel lege Episcopi, vel loci consuetudine ex piorum et prudentum iudicio determinatum est. 2° Si quis etiam ex Beneficio suo largiter se sustentet, stipendium tamen pro Missa non obligata admittere potest, quia prius est per accidens; si tamen grave scandalum praeberet, abstinere

deberet. Item si pecunia accipienda esset finis primarius, cur Sacerdos Missam celebret, a mortali excusari non posset ob formalem avaritiae speciem. 3° Si Missa cantanda sit, vel legenda tempore, et loco incommodo, vel distante, maius stipendium exigi potest: non vero licet plus exigere propria auctoritate, quia pretia rerum crescunt. 4° Si rubricae permittant, legenda est talis Missa, qualis a dante stipendium petitur, v. g. *de Requiem*, et quidem tantum sub veniali, quia licet quoad substantiam, non tamen quoad modum satisfit petenti. Si vero per rubricas non liceat, legenda est Missa a rubrica praescripta, per quam etiam omnis obtinetur Indulgentia in Altari privilegiato, quae obtinetur per Missam *de Requiem*: ex declaratione Alexandri VII. a. 1662. 5° Si quis accepit stipendium, ut celebret in certo loco, vel tempore, ita ut locus et tempus per se intendantur, Missa statuto loco et tempore legenda est; quia dans censetur esse invitus: secus est, si locus et tempus primario non intendantur: imo Pignatellus *cons.* 80. ait, si plures Missae celebrentur in Altari, ita ut Missae ibi constitutae difficulter legi possint, licet eas legere in Ara vicina: quia idem est fructus, et ex benigna interpretatione mentis fundatoris hoc erui potest. 6° Omittens unum Sacrum ex institia debitum, graviter peccat, quia alter graviter est invitus: omissio tamen restitutionis stipendii accepti, v. g. capitelli, ob parvitatem materiae ordinarie tantum est peccatum veniale. 7° Qui Missas obligatas ultra unum mensem, vel ultra 30 dies differt, peccat graviter: Urbanus enim in suo Decreto mandat, non plures suscipi Missas, quam quae intra breve tempus legi possunt; * (et subinde interrogata S. Congr. Conc., quid intelligeretur per *breve tempus* respondit: *intelligi infra mensem* 17. Iul. 1655.);* alias fideles magno fructu diu carere deberent: respiciendum tamen hic est ad causas et intentiones petentium, an urgeant; maxime vero Missae pro defunctis diu differri non debent. 8° Non potest Sacerdos duplicatum stipendium pro eadem Missa accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsi celebranti correspondentem; iuxta prop. 8. ab Alexandro VII. damnatam, quia hoc sapit avaritiam et Simoniam. Et si acceptum stipendium sit tenue, non licet ab alio tantum accipere, ut stipendium sit iustum, et unica Missa utrique satisfacere: ita declarat S. Congreg. ad Decret. Urbani VIII. 9. Non potest Sacerdos post Decretum Urbani VIII. cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta, iuxta prop. 9. ab Alexandro VII. damnatam; quod etiam prohibuit Benedictus XIV. a. 1741. nisi tamen excessus ex mera liberalitate illi donetur, aut certum sit, excessum iusti stipendii datum esse non intuitu Missae legendae, sed intuitu personae ob amicitiam, paupertatem, vel si petens censeatur prudenter contentus esse. 10. Ex declaratione S. Congregationis possunt administratores Ecclesiae pro paramentis, candelis, hostiis, vino etc. valorem expensarum ex eleemosynis pro Missis datis subtrahere, si Ecclesia aliunde redditus suffi-

cientes pro iis non habeat; ita tamen, ut numerus Missarum cum numero stipendiorum correspondeat. 11° Beneficiatus, cui liberum est, Missam per alium celebrare, illi congruum solum stipendium dare potest, nisi in fundatione aliter cautum sit, et Beneficii fructus sibi retinere, quia non accipit stipendium Missae singulare, sed totam massam reddituum, ut intentam a fundatore sustentationem. Ita ead. declarat. 12° Si Caius obligatus sit, hodie dicere Missam, pro qua florenum accepit, petat a Titio, ut eam pro se legat, spondens se cras lecturum pro Titio, qui pro sua Missa tantum tres baccos accipit, videtur licere, quia est tantum permutatio Missarum et dierum. 13° Qui pecuniam accepit pro Missis sine praescripto earum numero, satisfacit numerando eas secundum taxam communem: hinc etiam haeres, si testator determinavit 100 Missas non taxato stipendio, tenetur ad iustum stipendium conveniens qualitati defuncti. Item executor testamenti tradere debet, quidquid pro largiori etiam stipendio legatum est: legatarius vero, si legans voluit pro se singulis mensibus Missam legi, assignando stipendium superfluum, satisfaciet minori stipendio Missam procurando, si praesumere possit, quod voluerit erga legatarium liberalitatem exercuisse. 14. Qui putavit, in pecunia sibi data esse 10° stipendia, et postea octo tantum reperit, tenetur tantum ad 8. Missas, quia in plures, quam sunt stipendia, non consensit; monere tamen debet dantem stipendia, et quia, si haec a pluribus accepit, vix potest, tenetur ad 10 Missas legendas.

CAP. VII.

De obligatione Sacerdotum aliquoties celebrandi.

Simplex Sacerdos tenetur aliquoties in anno celebrare.

1029. Quia Sacrificium Deo ex iure naturae offerendum est (§ 800); hinc Sacerdos probabilius mortaliter peccat, nisi aliquoties in anno v. g. ter vel quater in Festis solemnioribus celebret. Id colligi potest 1° ex verbis Christi, *Luc.* 22. *Hoc facite in meam commemorationem:* quibus verbis, ait Tridentinum *Sess.* 21. *cap.* 1. Christus Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit. 2° Quivis Sacerdos vi suae Ordinationis tenetur ad offerendum Deo Sacrificium: *ad Hebr.* 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et Sacrificia.* Ergo tenetur ad aliquoties saltem in anno celebrandum. Unde Tridentinum *Sess.* 23. *de ref. cap.* 14. ita statuit: *Curet Episcopus, ut ii Sacerdotes, saltem diebus Dominicis et Festis solemnibus; si autem curam habuerint, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.*

Curatus vero omnibus Festis, et Missam applicare.

§ 1030. Sacerdos Curatus per se tenetur vel per alium omnibus illis diebus celebrare, quibus plebs illi subdita ex praecepto Missam audire tenetur, quia hoc exigit officium Pastoris animarum: qui ideo a fidelibus decimas et oblationes accipit pro sua sustentatione, ut illis ad salutem necessaria et utilia dispenset. Imo in his diebus Missam

pro suis Parochianis applicare tenetur. Nam 1° Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 1. ait, *Praecepto Divino mandatum esse omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas cognoscere, et pro his Sacrificium offerre.* Ubi Tridentinum non ait, coram illis, sed pro illis. Ergo fructum specialem applicare debent; nam fructus generalis a quovis etiam non Curato debetur toti Ecclesiae. 2° Benedictus XIV. in *Com de Sacrif. Missae Sect.* 2. § 56. ait: *In hac quaestione S. Congregationis semper ea fuit sententia, eum, qui curam animarum habet, teneri Missam applicare populo omnibus Dominicis et Festis diebus ex praecepto, sive Parochus saecularis sit, sive Regularis, sive amovibilis, sive non, sive congruam habeat, sive non; illudque duntaxat S. Congregatio concedit Parocho, si pauper sit, ut etiam die festo Missam applicare possit ei, qui sibi eleemosinam dederit, dummodo celebret in Parochia, ne populus Missa careat, et alio die per hebdomadam Missam celebret, et populo applicet, loco eius, quam applicare debuerat festo illo die, cum eleemosynam accepit.* Idem Pontifex in Litteris Apostolicis: *Cum inter t.* 1. *Bullar p.* 366. contrarias explicationes verborum Tridentini vocat inanes et frivolas interpretationes.

Coroll. Pract. 1. Obligatio applicandi Missam Dominicis et Festis in Curatis pro Parochianis est gravis. 2. Parochi uberiores redditus habentes saepius in septimana celebrare debent; ubi tamen ad consuetudinem respiciendum est, et Episcopus providere debet, ut in oppidis frequentioribus Missa quotidie celebretur. Resolvuntur casus.

§ 1031. Episcopis ac Praelatis Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum et conventualium incumbit, ut in Ecclesiis suis saltem unam Missam quotidie celebrari curent. Ita praecipitur *cap. Cum creatura, de celebrat. Miss.* scilicet: *Cum creatura non habeat, quod pro meritis respondeat Creatori, mandamus nullum in vos torporem negligentiae obrepere permittatis, quatenus et pro anniversariis defunctorum, et pro festo et feria secundum temporum congruentiam Missarum solemnia conventualiter celebretis.* In Ecclesiis maioribus quotidie Missa celebranda est.

***Coroll. Pract.* 1. Est peccatum mortale, in Ecclesiis Collegiatis et Conventualibus sine gravi causa uno die omittere Missam. 2. Si in aliqua Ecclesia magnus sit Missarum numerus, quibus ob paucitatem Sacerdotum, et proventuum tenuitatem satisfieri non potest, Tridentinum *Sess.* 25. *cap* 4. concessit quidem Episcopis, ut in Synodo dioecesana, et Abbatibus ac Ordinum Generalibus, ut in suis Capitulis ad minorem numerum Missas redigant: sed hanc facultatem ad Sedem Apostolicam revocavit Urbanus VIII. in *Const.* 45. Verum Alexander VII. Clemens X. et Benedictus XIII. omnibus Religiosis Institutis privilegium concesserunt, ut Superiores Generales, adhibito maturo consilio ac nonnullis regulis servatis, onera Missarum moderari valeant. Ita Benedictus XIV. *de Syn. dioec. l.* 5. *cap.* 10. * (Attamen Benedictum XIV. *loc. cit.* attentius perlegenti aperte constabit dictas RR. PP. concessiones pro oneribus tantum eo tempore antea susce-** Resolvuntur casus.

ptis facta fuisse, non etiam pro oneribus in futurum recipiendis; unde ea privilegia non amplius videntur habere locum, et modo etiam a Regularibus pro qualibet reductione Missarum ad S. Sedem recurrendum est iuxta citatam Urbani VIII. Const. confirmatam ab Innocentio XII. a. 1697.). *

Beneficiatus tenetur assignatas Missas legere. § 1032. Beneficiatus ex iustitia sub peccato mortali tenetur ad eum Missarum numerum, quem litterae fundationis requirunt; quia debet agere iuxta mentem fundatorum, a quibus stipendium accipit, ad quod suscipiendo in se Beneficium se obligavit.

Resolvuntur casus. *Coroll Pract.* 1. Si fundatio Sacrificium quotidianum exigat, ex verbis fundatoris desumendum est, an loco, an vero personae hanc obligationem imponere voluerit. Si loco, procurare debet Beneficiatus, ut quotidie in eo, vel per se, vel per alium Missa celebretur: si personae, Beneficiatus quotidie celebrare debet, quatenus potest salva honestate et devotione: unde in quibusdam Ecclesiis moris est, ut unum vacationis diem in septimana habeat. 2. Qui ex Beneficio obligatus est, quotidie aut saepius in septimana celebrare, impeditur autem morbo, vel alia causa non voluntaria, non tenetur per alium officio suo satisfacere, nec postea Missas neglectas compensare, si impedimentum brevi tempore, v. g. una vel altera septimana, vel iuxta Lugo uno mense duraret, ob praesumptam voluntatem fundatoris nolentis famulo de mercede ideo detrahere: secus, si diutius duret, ubi tamen semper consuetudo respicienda est.

Quotidie celebrare decet. § 1033. Consultum est, et valde decens, ut Sacerdos quotidie sacrificet, sed semel tantum, nisi aliqua ratio bis celebrare permittat. Prima pars probatur ex praxi Ecclesiae: sic S. Andreas gloriatus est, se quotidie immaculatum Agnum offerre. Eamdem consuetudinem approbant Patres Africani ex *ep.* 2. *l.* 1. S. Cypriani, et alii Patres: S. Ambrosius *de funere fratris:* S. Hippolytus *or. de consum. mundi:* S. Hieronymus *l. adv. Iovin.* S. Gregorius M. *l.* 4. *dial. c.* 56. laudat S. Cassianum quotidie celebrasse: et Ven. Beda: *Sacerdos non legitime impeditus celebrare omittens, quantum in eo est, privat SS. Trinitatem laude et gloria, Angelos laetitia, peccatores venia, iustos subsidio et gratia, in Purgatorio existentes venia, Ecclesiam speciali Christi beneficio, et seipsum medicina ac remedio.* Sacrificium quippe N. L. nullo tempore coarctatur, et Sacerdos in Ordinatione sua specialem gratiam et auxilium ad digne celebrandum accipit. Vide *Inst. Theol. myst. tom.* 2. § 418. *et seqq.*

Semel Secunda pars patet ex *c. Consuluisti, de celebr. Miss.* ubi dicitur: *Respondemus, quod excepto die Nativitatis Dominicae, et nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.* Quod autem ly *sufficit* praeceptum innuat, declarat praxis Ecclesiae: cuius rationem dat S. Thomas 3. *p. q.* 83. *a.* 2. quia homo fragilis vix ad unum Sacrificium se digne praeparare potest.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1. In die Nativitatis Domini tres Missas celebrare

permittit Ecclesia ad significandam triplicem Christi Nativitatem, aeternam ex Deo Patre, temporalem ex Beatissima Virgine Maria, et spiritualem in hominum cordibus: non tamen est praeceptum tres Missas celebrandi. 2. In casu necessitatis bis celebrare licet, v. g. si quis duabus Parochiis praesit, ne populus die festo Missa careat, pro dando Viatico moribundo, in dedicatione, si Ecclesia populum non capiat, ubi tamen Sacerdos semper ieiunus esse debet: imo etiam in casu necessitatis tres Missas celebrare licet. * (Hodie tamen casus necessitatis, a Bened. XIV. Const. *Declarasti* ad unicum reducitur, nempe ad Parochum duarum Ecclesiarum inter se distantium, quarum populus nequeat in unica Ecclesia totus convenire. Sed hoc nonnisi diebus festis, et de licentia Episcopi, et deficiente quovis alio Sacerdote, qui in earum alterutra celebrare possit). * 3. Feria sexta maioris hebdomadae ex antiqua Traditione celebrare non licet, *c. Sabbato, d. 3. de consecr.* Sabbato S. publice celebrare non licet ob receptam consuetudinem, et privatim abstinere totius est: * (imo necessarium ex Decr. S. R. C. a. 1690. ubi id prohibetur, non obstante quacumque contraria consuetudine. Quod etiam dicendum de die Iovis Sancto ob alia eiusdem S. C. decreta a Clemente XI. expresse confirmata a. 1712. Vid. Bened. XIV. *notif.* 48.) * Feria quinta Coenae licitum est Sacerdotibus celebrare; ubi tamen in aliquo Conventu viget consuetudo ut Sacerdotes e manu Superioris SS. Eucharistia sumant, sine Superioris licentia Missam privatim celebrare non oportet.

CAP. VIII.

De praecepto audiendi Missam.

§ 1034. Non solum Sacerdotes, sed et omnes fideles usum rationis habentes cum Sacerdote Sacrificium Deo offerre, et singulis diebus Dominicis et Festis integram Missam devote audire debent, nisi iusta de causa excusentur. Ita praecipitur c. *Omnes fideles, de consecr. d.* 1. Et quidem ad hoc tenentur iure naturae; quod praecipit, Sacrificium Deo supremo Domino offerendum esse, quod in Religione Christiana est Sacrificium Missae (§ 800. 1013.). Item iure Divino, quod debitum Deo cultum, adeoque etiam Sacrificium offerendum imperat: et denique iure Ecclesiastico ex *c.* cit. Praeceptum audiendi Missam.

***Coroll. Pract.* 1. Praeceptum audiendi Missam communiter anno aetatis septimo obligat. Surdus et mutus ac caecus simul attentionis incapax, sicuti et amentes perpetui hoc praecepto non tenentur, sicuti nec Infideles et Catechumini. Sacerdos vero non celebrans tenetur audire Sacrum, et si audire non possit, tenetur ipsae celebrare, praemissa etiam Sacramentali Confessione, si in mortali fuerit; ubi in defectu Confessarii, si iter unius horae pro inveniendo Confessario facere deberet, Sacrum potest omittere. 2. Obligatio audiendi Missam obligat sub peccato gravi, et affixa est dici, cum quo expirat, nec** Resolvuntur casus.

postea suppleri potest, extendit se autem ad solas Dominicas et Festa: unde in die Cinerum, Commemoratione fidelium defunctorum, Festo S. Marci, Feria 5. 6. et Sabbato maioris hebdomadae non est obligatio audiendi Missam, nec in diebus Rogationum, quia non sunt vere Festa, nisi aliter consuetudo dioecesis ferat. 3. Ut Missa integra audiatur, non sufficit audire plures partes simul a diversis celebrantibus, iuxta prop. 53. ab Innocentio XI. damnatam. Sufficit tamen, si dimidia pars Missae ab uno Sacerdote, altera ab alio successive audiatur, licet peccetur venialiter, quia modus praescriptus non observatur; imo talem praecepto non satisfacere, multi probabilius censent. In die vero Nativitatis Domini non est praeceptum tres Missas audiendi. 4. Omittens partem Missae notabilem, v. g. ab initio usque ad Evangelium exclusive, peccat graviter, et non satisfacit obligationi. 5. Si quis pro accipiendis necessariis pro Missa egrederetur ad locum remotum non communicantem cum Templo per notabile tempus, vel omitteret partem substantialem, uti utramque consecrationem, non audiret Missam ex defectu moralis praesentiae; secus est, si iret ad Sacristiam aliquid pro Sacro allaturus, aut campanas pro elevatione tracturus; aut si ministraret ad Altare, ubi modo accedere, modo recedere debet; talis enim manet in loco communicante, et est moraliter praesens. 6. Stans extra Templum, nec videns, nec audiens Sacerdotem satisfacit, si coniunctus sit reliquae multitudini, illique in genuflectendo etc. se conformet, quia moraliter censetur esse in Templo: non tamen videtur satisfacere, si e regione Templi e fenestra domus videat Sacerdotem, quia non censetur praesens; sicuti nec ille satisfacit, quia extra Templum stans ad murum audiret Sacerdotem, quia non est corporaliter praesens; licet nonnulli contrarium defendant. 7. Satisfit praecepto huic, audiendo Missam extra Parochiam, ob consuetudinem contrariam ius abrogantem, et privilegia Regularibus concessa a Leone X. in Bulla: *Exponi nobis:* et Clementem VIII. *Significatum nobis etc.* 8. Missa audienda est in Ecclesia: solus igitur privilegiatus, eiusque domestici cohabitantes cum privilegiato satisfaciunt praecepto, si audiant Missam in Oratorio privato, in arce, vel domo hominis privati ad tempus cultui Divino deputato, quia pro his solum datur privilegium, ex declaratione Clementis XI. Satisfaciunt tamen etiam extranei, audiendo Missam in Oratoriis Episcoporum, Regularium, Hospitalium, Sodalitatum, quia eorum Oratoria non censentur privata. Probabile etiam est, satisfieri praecepto, quocumque alio loco profano Missa audiatur, quia restrictio ad Oratoria privata ad alia loca non habetur. 9. Ad satisfaciendum praecepto audiendi Missam requiritur voluntas audiendi eam tamquam rem sacram: hinc non satisfacit, qui interest, ut irrideat, aut aliquem expectet non tamen requiritur intentio satisfaciendi, et satis est intentio implicita, quam habet, qui adit Templum, volens officium Christiani implere, quaeque semper habetur, quando non constat de intentione contraria. 10. Ad audiendam Missam non sufficit, ut quis illi intersit

vi detentus, sine omni intentione, vel ebrius et dormiens; sed requiritur attentio interna saltem talis, ut quis possit dici religiose assistere sub externa specie colentis Deum, ita ut vere ad Sacerdotem attendat, et elevatam ad Deum mentem habeat, etsi varias distractiones patiatur: P. Layman vero putat, sufficere attentionem externam, qua quis non ponit actionem cum interna incompossibilem. 11. Qui scribunt, vel pingunt, vel attente legunt novellas sub Sacro per notabilem eius partem, vel dormiunt, vel confabulantur, non satisfaciunt: Musici tamen audiunt Sacrum, dummodo praemissa intentione ad Sacerdotem attendant, quia eorum actio ad cultum Dei refertur. Item qui sub Missa se praeparat ad Confessionem, persolvit Poenitentiam aut officium Canonicum, Missam sufficienter audit; si autem sub ea longo tempore confiteretur, suadendum illi est, ut aliam Missam audiat. Excipiens item Confessiones, absolute quidem Missam audire potest; melius tamen facit, si non valens satis ad Sacerdotem attendere, ut aliam Missam audiat. Raptus denique in extasim ad contemplanda alia, quam Missae, mysteria, non videtur esse moraliter praesens, nec Missam audire * (alii probabilius hoc negant, quia in extasi habetur attentio ad Deum, quae omnium est perfectissima, nec in ea amittitur liberum arbitrium, uti docet Angelicus 1. 2. *q.* 113. *a.* 3.). 12. Ab auditione Missae excusat impotentia physica et moralis: unde excusantur incarcerati, aegroti, reconvalescentes ex consilio medici, timentes notabile damnum in bonis famae et fortunae distantes a Templo una hora, habita ratione personae et aurae, custodes domus in loco, ubi una tantum Missa legitur, ex iusta causa commorantes inter haereticos. 13. Deinde excusat charitas, dum quis aegroto alias derelicto assistere, vel grave damnum proximi corporale vel spirituale impedire debet. 14. Ratione officii excusantur milites in custodiis, pastores gregum, laborantes in fusoriis, si labor ante Festum inceptus abrumpi non possit, et matres infantibus assistentes: item servi et ancillae ratione servitiorum necessariorum cum auditione Sacri incompatibilium; et ratione consuetudinis mulieres post partum domi manentes. 15. Excusantur itinerantes, qui bona fide putantes, se in loco transitus Sacrum audire posse, nullum reperiunt: item cursores, nautae, aurigae, aliique iter facientes, vel in via constituti, si Missam audiendo diu deberent morari, aut magnas expensas facere, aut negligere commodam occasionem longi itineris, v. g. socios, cum viam ignorent, et pericula metuant; alias tenerentur ante iter, vel in itinere Missam audire. 16. Excusatus a Missa non tenetur quidem ad alias preces determinate; requiritur tamen adhuc cultus positivus pro sanctificanda Dominica vel Festo: quod fit iuxta nonnullos abstinendo a servilibus ad colendum Deum; unde iuxta P. Layman consultum quidem est, ut talis alias preces fundat; non tamen ab Ecclesia praeceptum, quae cultum Dei in eo determinat, ut Missa audiatur.

Causae excusantes a Missa.

CAP. IX.

De Missis privatis.

Missae privatae licitae sunt.

§ 1035. Licet autem nonnisi Dominicis et Festis diebus fideles Sacrificio Missae interesse teneantur, nihilominus aliis etiam diebus non festivis, vel in locis privatis, vel quando nulli fideles assistunt, nec communicant, Missas privatas celebrare licet. Ita 1. declarat Tridentinum *Sess.* 22. *cap.* 6. dicens: *Optaret quidem S. Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent . . . nec tamen, si id semper non fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat, atque adeo commendat: siquidem illae quoque Missae vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero quod a publico Ecclesiae ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur.* 2. Patet ex Traditione. S. Gregorius Naz. or. 19 asserit, Patrem suum in cubiculo privatim egisse Sacrum. S. Ambrosius, teste Paulino, Romae in quadam domo trans Tiberim Sacrificium obtulit. S. Paulinus paucis ante obitum horis, teste Uranio, idem fecit in Altari ante lectulum parato. S. Lucianus M. vulneribus attritus, et ara destitutus supra pectus suum obtulit Sacra, teste Philostorgio *l.* 4. *hist.* Ergo olim Missa sine coetu fidelium, et solo Sacerdote communicante celebrata fuit: imo iam olim omnes fideles non quotidie communicabant, uti patet ex S. Chrysost. *hom.* 3. *in c.* 5. *Ep. ad Eph.* et tamen multi Sacerdotes quotidie celebrabant, uti S. Cassius Narniensis Episcopus, teste S. Gregorio *hom.* 37. *in Ev.* Goar, et Geremarus etc. uti demonstrat Mabillonius *praef. in Saec.* 2 *Benedict.* 3. Concilium Agathense a. 506. *c.* 18. iubet, ut saeculares ter in anno in die Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes communicarent; et tamen *c.* 47. mandat, ut singulis diebus Dominicis Missam andirent. Ergo licebat aliis temporibns Sacra facere, etsi nullus communicaret. 4. Olim plures etiam eodem tempore in eadem Ecclesia Missae celebratae sunt; nam S. Ambrosius *ep.* 53. et S. Gregorius *l.* 5. *ep.* 50. plurium Altarium in eadem Ecclesia meminit, quae utique pro pluribus Missis eodem tempore celebrandis erecta fuernnt. Et in die Nativitatis Domini tres Missae ex antiquissima consnctudine celebrabantur, ubi sane fideles in singulis Missis non communicabant. 5. In Missa privata offertur Deo perfectum Sacrificium, cum exhibeatnr cultus Deo, et absentes etiam fiant illins participes. Ergo est licita.

Solvuntur obiectiones.

Schol. Lutherus et Kemnitius 2. *p. Exam.* Missas privatas ut illicitas, et ob turpem quaestum introductas reiiciunt. I. Quia Christus in ultima Coena non solum consecravit, sed et Apostolis praesentibus SS. Eucharistiam distribuit. Et *Act.* 2. Apostolorum Synaxis per

fractionem panis describitur; quod idem fit 1. *ad Cor.* 10. Et 1. *ad Cor.* 11. Coena Dominica privatae opponitur, et dicitur, unam cum altera celebrari non posse. *Resp.* Christus suo exemplo ostendit, quid facere possimus pro circumstantiis locorum et temporum, non vero iussit semper fieri; certe invitis SS. Eucharistiam dari non praecepit. In Actibus Apostolorum non dicitur, quod sine Communione populi Missa celebrari non possit. 1. *Ad Cor.* 10. non describitur ritus S. Coenae celebrandae, sed tantum dicitur, Eucharistiam sumentes fieri participes mensae Domini . . . *Ad Cor.* 11. Coena privata vulgaris, seu convivium pro pauperibus celebratum, et cum S. Communione coniunctum, et cum debito ordine et modo non institutum, reprehenditur: vel si intelligeretur de Coena Eucharistica, solum illa privata, a qua communicare volentes excluduntur, carpitur; non vero illa, ad quam sumendam nemo cogitur. II. S. Chrysostomus *hom.* 3. *in ep. ad Eph.* ait: *Frustra habetur oblatio quotidiana, cum nemo sit, qui simul participet.* S Basilius *in Ps.* 115. ait: *Non in latebris delitescens sacrificabo.* Et S. Franciscus unam tantum Missam in uno loco offerri iussit: ac Cardinalis Humbertus dicit, imperfectam esse Missam, in qua non fit consecratio, fractio, seu distributio et communicatio. *Resp.* S. Chrysostomus non ait, absolute frustra oblationem fieri; sed tantum, quatenus ordinatur ad Communionem (ad quam excitare vult fidelium Socordiam) S. Basilius loquitur de Sacrificiis Schismaticorum. Epistola S. Francisci non est genuina, et loquitur solum de Feria V. maioris hebdomadae (melius dicendus cum Sylvio, S. Franciscum ibi non improbare Missas privatas, in quibus nemo communicat, cum potius ex eodem loco contrarium probetur: sed tantum hortari fratres suos, ut uno celebrante reliqui assisterent, ne ex nimia celebrandi frequentia eorum fervor tepesceret, aut non satis dispositi invenirentur). Humbertus Communionem populi tamquam perfectionem accidentalem solum requirit. III. Sine Communione populi falsificantur illa verba Canonis: *Quotquot ex hoc Altaris participatione sumpserimus.* *Resp.* Haec verba dicuntur tum propter communicantes forte praesentes, tum propter alibi communicantes, cum quibus unum corpus sumus.

CAP. X.

De requisitis ad Missae celebrationem, ac primum de loco.

§ 1036. Ut autem Sacrificium Missae pro dignitate sua maiori cum pompa et fructu celebraretur, certas dispositiones, praeter illas, quae in ministro Sacramentorum supponuntur (§ 923. 1020.), requirit Ecclesia: quarum prima locum concernit, et ideo Missa nonnisi in Templis ab Episcopo consecratis, vel Sacellis privatis cum permissu Episcopi celebranda est. Ita praecipiunt vetustissimi Canones a Gratiano *d.* 1. *de consecr.* collecti: Concilium Toletanum XVI. a. 696. Romanum a. 826. Excerpta Egberti *c.* 9. Capitularia

Locus Missae celebrandae.

Theodulphi c. 11. His accedunt Constitutiones Principum: *Nov.* 57. Iustiniani: Capitularia Caroli M. a. 789. et alia a Martene collecta *l.* 1. *de ant. rit.* c. 3. Vide etiam § 795. Schol. 1. n. 5.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1. In Ecclesia polluta seu violata Missam celebrare non licet, *tit. de consecr. Eccles.* Polluitur autem Ecclesia, 1. Per iniuriosam sanguinis effusionem, c. *Proposuisti, de consecr. Eccl.* si nimirum homini in Ecclesia existenti vulnus infligatur; non vero, si super tectum, in turri, Sacristia, campanili vulneretur: sufficit autem, si solus vulnerans in Ecclesia existat, vel vulneratus in Ecclesia foris sanguinem effundat. Item factum debet esse notorium iure et facto, et iniuria debet pertingere ad culpam mortalem, et effusio debet esse in quantitate sanguinis notabili. 2. Polluitur Ecclesia per homicidium iniuriosum notorium, quod vel cuius causa in Ecclesia fuit posita, *loc. cit.* licet quis extra Ecclesiam moriatur: eodem modo, si quis seipsum in Ecclesia occidat, vel si Iudex reo mortis supplicium iu Ecclesia inferat, polluitur Ecclesia. 3. Polluitur Ecclesia per illicitam et notoriam humani seminis intra Ecclesiam effusionem, *c. ult. de cons. Eccl.* non tamen, si sit involuntaria, aut per fornicationem factam ab amente, aut per copulam coniugalem ex iusta causa habitam. 4. Per sepulturam hominis excommunicati, *c. Consuluisti, de cons. Eccl.* si nimirum sit denuntiatus, vel notorius Clerici percussor: hinc sepultura haeretici nominatim non denuntiati locum sacrum non violat, nec sepultura nominatim interdicti. 5. Per sepulturam hominis infidelis, aut non baptizati. Si tamen infans in matris utero mortuus fuerit, una cum illa sepeliri potest. 6. Polluta Ecclesia, censetur etiam pollutum coemeterium, non tamen vicissim: polluuntur etiam in Ecclesia polluta omnia Altaria in ea fixa, et vicissim. 7. Si Ecclesia sub Missa polluatur ante inceptum Canonem, Sacerdos abstinere debet; eo incepto, pergere debet. Ut vero in Ecclesia polluta iterum celebrare liceat, reconcilari debet iuxta formam Ritualis, et quidem ab Episcopo, si fuerit consecrata, c. *Consuluisti, de cons. Eccl.* nisi adsit privilegium Abbatibus etc. concessum: si tantum benedicta fuerit, a quovis Sacerdote *(ab Episcopo delegato)* per aspersionem aquae lustralis reconciliari debet. 8. Ecclesia consecrationem amittit, si parietes incendio ita absumantur, ut omnis crusta secundum maiorem partem auferatur simul; non vero, si causa renovationis successive auferatur, vel de novo dealbetur. Item Ecclesia execratur, si parietes secundum maiorem partem corruerint: item si pars nova Ecclesiae reliqua maior accedat, nova consecratione indiget; secus, si minor sit, ubi sola aqua benedicta aspergitur: si minores parietum partes successive corruant, et reficiantur, nova consecratione opus non est; si tamen ex animo novam Ecclesiam extruendi parietes successive destruantur, et reaedificentur, nova consecratio requiritur: 9. In nonnullis casibus extra locum sacrum celebrare licet: uti 1. In castris pro exercitu. 2. In litore maris, *(cum dispensatione Apostolica)* et in navi pro navigantibus, modo absit periculum ir-

reverentiae ex vehementi navis iactatione. 3. In Oratorio privato specialiter ad hoc ordinato, Et cum licentia Ordinarii ad hoc deputato. Licet vero in Tridentino *Sess.* 22. in decreto *de observ. in celebr. Missarum* potestas Episcoporum restricta sit, quominus sine causa necessitatis extra Ecclesiam vel Oratorium celebrandi licentiam dare possint; in casu tamen necessitatis, quando persona illustris morbo laborat, Episcopus dispensare potest, ut una alterave vice in loco honesto, profanis usibus non deputato, super Altari portatili Missa celebretur; quia in Tridentino solum revocatur potestas Episcoporum permittendi celebrationem liberam, et continuam per modum privilegii in privatis domibus. Non licet tamen in Oratoriis saecularium celebrare in Festis Nativitatis Christi, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, Annuntiationis et Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae, Ss. Petri et Pauli, et omnium Sanctorum, ex decreto S. Congr. 1607. nisi ob infirmitatem personae licentia data sit. 4. In cellis privatis Religiosorum aegrotorum Missam celebrare licet, iuxta Salmanticenses, quia non sunt domus privatae, et habent privilegium Pii IV. post Tridentinum, in quo quinam communicent, locorum et Ordinum leges declarabunt * (sed hoc privilegium ipsis revocatum fuit ab Innocentio XIII. *Const. Apostolici ministerii* a. 1723, *remota quacumque in contrarium consuetudine*)*.

Art. 1 *De Altari, eiusque ornatu.*

§ 1037. Non solum autem Templum pro licita Missae celebratione requiritur, sed in eo Altare lapideum consecratum, aut saltem sacra Petra instructum, et cruce, cereis, ac linteaminibus ornatum. 1. *Altaris* meminit S. Paulus, *ad Hebr.* 13. *Habemus Altare etc.* quod multi Patres de Mensa Dominica intelligunt. Et *Matth.* 5. dicitur: *Si offers munus tuum ad Altare.* Item Altare memorant Veteres: S. Irenaeus *l.* 4. *c.* 34. Can. 3. Apostol. etc. Quod autem *lapideum* esse debeat, Statuit S. Silvester: licet forte iam ante illum Altaria lapidea in usu fuerint, uti videre licet apud Cardin. Bonam *l.* 1. *de reb. Lit. c.* 20. et expresse hoc decrevit Concilium Epaonense a. 517. Primis tamen Ecclesiae saeculis Altaria lignea ob persecutiones in usu fuisse, non dubium est. Rursus *Petre sacrae*, quae hodie *Portatile* dicitur, saeculo 9. meminit Hincmarus in *Capitulis:* et *c. Concedimus*, *de cons. d.* 1. In orientali tamen Ecclesia loco illius, panni consecrati, *Antimensia* dicti, adhibentur: vide Bona loc. cit. Denique *consecrationem* Altaris iubent antiquissimi Canones *d.* 1. *de cons. et tit.* 10. *l.* 3. *Decretal.* relati. Reliquias vero Sanctorum in consecratione Altaris adhiberi solitas praecipit *c. Placuit*, *d.* 1. *de cons.* Altare Christum significat, qui 1. *ad Cor. Petra* dicitur; unde congruenter Altare lapideum adhibetur. Altare ad Missam requiritur.

2° *Crucis* usus in Altari est vetustissimus, utpote qui iuxta Card. Bonam *de reb. lit. l.* 1. *c.* 25. a Traditione Apostolica descendit. Crux.
Eius meminit Conc. Turonense a. 567. *can.* 3. Ven. Beda in *Vita*

S. *Paulini*.. Notat tamen Benedictus XIV. *l. de Sacr. Miss.* Crucem olim in summo Ciborii vertice solum collocatam fuisse, ex quo successu temporis in mensam Altaris separatim translata fuit.

Cerei. 3° *Cereorum* usum probant Hymnus Prudentii de S. Laurentio, Paulinus *poemat*, 14. et S. Gregorius Turon *l.* 16. ac Micrologus *c.* 11. Mystice lumen fidei, et splendorem virtutum significant.

Lintea-mina 4° *Linteamina* memorant S. Optatus *l.* 6. Victor Uticensis *de pers. Wand.* Concilium Rhemense, et *c. Altaris palla, de cons. d.* 1. qui tria linteamina adhibenda praescribit. De *Antipendio* nil speciale occurrit.

Resolvun-tur casus *Coroll. Pract.* 1. Sufficit, ut superior Altaris pars, super qua calix et patena ponitur, sit lapidea, ita ut maiorem partem calicis et patenae capiat. 2. Altare fixum consecrationem amittit, si lapis seu mensa consecrata a basi ita removeatur, ut amplius consistere non possit; non vero, si unus vel alter lapis demoveatur: *c. Ligneis de consecr. Eccl.* 3. Portatile consecrationem amittit, si ita frangatur, ut in eius parte integra calix et patena consistere non possint: loculus tamen seu capsula Reliquiarum necessario in eo non requiritur. *(Contrarium tamen suadet Ecclesiarum consuetudo, et constat etiam ex variis decretis S. R. C., ac praesertim 5. Mart. 1603. quibus declaratum fuit, Altare consecrationem amittere, nec super ipsum celebrari posse, si fractum fuerit sepulchrum Reliquiarum, vel ablatae ipsae reliquiae)* 4. Non licet celebrare in Portatili, seu Ara duobus lapidibus constante: sine Altari vero celebrare peccatum grave est; et consecratio Altaris spectat ad Episcopum, vel alterum a Papa privilegiatum. 5. Crux etiam exposito SS. in Altari collocari debet: S. Congr. a. 1707. *(Sed Bened. XIV. Const. *accepimus* a. 1746. decernit, servandam esse consuetudinem loci, sub Dicecoesis. Ibi etiam statuit, non sufficere parvam Crucem cum imagine Crucifixi positam super tabernaculum, sed maiorem aliam requiri in medio candelabrorum, quae facile a Sacerdote, et adstantibus videri possit)* et sufficit, si pro Icone Altaris Crucifixus depictus et fabrefactus sit, neque Crux sub peccato mortali requiritur *(attendenda hic laudata Benedicti constitutio, in qua praecipitur, ut *nullo modo Missae Sacrificium in his altaribus celebretur, quae careant imaginae Crucifixi:* quae verba gravem videntur inferre obligationem)* 6. Ad Missam duplex candela accensa requiritur: in necessitate tamen sine scandalo una sufficit ex sebo, vel oleo: sine omni lumine sub peccato gravi celebrari non licet, nec pro dando Viatico: et Missa lumine deficiente ante consecrationem relinquenda. Ad ultimum Evangelium sufficit unum lumen: ad distributionem S. Comunionis duo requiruntur. 7. Duae Mappae sufficiunt, etsi non tegant totum Altare, et pro 3ª servit Corporale: *(Vid. Rubr. Missal., quae tres mappas benedictas requirit, vel unam superiorem oblongam, et alteram inferius duplicatam)* non debet esse ex serico vel lana, sed ex lino, cannabe aut gossypio: *(nunc gossypium a Sacrificio prorsus exclu-

ditur ex Decreto S. R. C. a. 1819.)*: una tantum mappa autem celebrare, est peccatum grave * (nisi adsit gravis necessitas, puta communicandi infirmum, quo casu adhiberi etiam possunt mappae non benedictae: sine ulla autem mappa celebrare nullo in casu licet) *. 8° Antipendium potest esse ex asseribus, vel alia materia coloribus tincta, vel nudum marmor, aut lapis politus; sine omni autem antipendio celebrare, si haberi possit, est veniale.

Art. 2. *De tempore Missae celebrandae.*

§ 1038. Secundo. Tempus Missae celebrandae ordinarium et de iure communi est ab aurora usque ad meridiem. Ita habet praxis Ecclesiae, quam approbare videtur S. Pius V. in regulis Missalis. Ratio mystica est, quia Christus in Missa oblatus, est splendor lucis aeternae; et Sacrificium N. L. fide et aliis donis clarius splendescit. Ratio moralis est, quia tempus nocturnum conventui populi non satis convenit. Tempus Missae celebrandae.

Coroll. Pract. 1° In nocte Nativitatis Domini celebrare licet, non tamen omnes tres Missas, nec licet S. Communionem distribuere: S. Congreg. a. 1702. 2° Ex licentia Episcopi ante auroram, vel post meridiem celebrare licet. Item ex privilegio et consuetudine in multis locis hora quarta celebratur Missa pro operariis, itinerantibus, etc. 3° Saltem una hora post meridiem ob publicam concionem ultra 12^{am} productam, ob adventum vel funus Principis, ob iter, vel ex alia gravi causa, uno, vel altero quadrante post 12^{am}, Missam inchoare licet; quia determinatio temporis moraliter accipienda est. Aurora autem comprehendit spatium horae cum dimidia ante solis ortum. 4° Est peccatum veniale ante recitatum Matutinum legere Missam sine ulla rationabili causa, quia est contra Rubricam, licet etiam causa mediocris sufficiat: Missam autem Conventualem non decantatis Matutinis sine gravi causa sub peccato mortali celebrare non licet: rationabilis causa legendi Missam privatam ante dictum Matutinum, est praeceptum Superioris, instans hora celebrandi, et tempus commodum alias elapsurum: pro dicendis vero Laudibus post Sacrificium minor adhuc causa sufficit. Resolvuntur casus.

Art. 3. *De Sacris Vestibus.*

§ 1039. Tertio. Ad Sacrificium Missae requiruntur *Sacrae Vestes:* scilicet 1° *Amictus*, qui in antiquis Liturgiis *Anaboladium* dicitur; cuius meminit Amalarius *l.* 2. Eius usus saeculo 8° introductus fuit, et Amictus olim super Albam poni consuevit; a saeculo vero 11mo ante eam induitur: et significat tum normam illam rectam, qua Sacerdos in omnibus verbis suis uti debet, et robur ad retundendas tentationes diaboli: tum velum illud, quo Iudaei faciem Christi velabant, cum illi colaphos impegerunt: aut spineam Coronam: aut Christum sub humanitatis amictu Divinitatem suam abscondisse. Sacrae Vestes, Amictus.

2° *Alba*, quam Graeci *Poderem* vocant: eius mentio fit in Ordine Alba

Romano: in Actibus Proconsularibus S. Cypriani Ep. et M. apud Amalarium *l.* 2. Eam lineam, non laneam esse debere, ait S. Gregorius *l.* 1. *in Ezech. hom.* 11. Albi coloris esse, docet S. Hieronymus *l.* 1. *adv. Pelag.* Significat conversationem immaculatam Christi in terris, cordis puritatem, et albam vestem, qua Iesum indutum Herodes irrisit.

Cingulum. 3° *Cingulum*, quod subinde *Baltheum*, subinde *Zona* appellatur. Eius meminit S. Hieronymus *ep.* 128. Ioannes Diaconus in *Vit. S. Greg.* Significat Sacerdotalem continentiam, et funem, quo Iesus in horto alligatus fuit.

Manipulus. 4° *Manipulus*, sequiori aevo additus fuit, et illius mentio apud Veteres non occurrit. Olim Sacerdotes sudariolum ad sinistrum brachium pro abstergendo sudore et naribus alligatum habebant, cui deinde circa saeculum 10^{um} vel 12^{um} Manipulus substitutus fuit: Manipulum ante Stolam Sacerdotes, Episcopi hodie, et olim etiam Sacerdotes recitato *Confiteor* induunt, quia olim Planeta a collo usque ad pedes integra defluebat, ac nonnisi post *Confiteor* plicabatur, ubi Manipulus brachio alligabatur, ut brachium liberum et expeditum foret. Graeci *Epimanicion* vocant: et Maronitae duobus Manipulis in singulis brachiis utuntur. Significat fletum et dolorem, ac poenitentiae opera in praesenti vita sustinenda, unde in sinistra portatur; et vincula, quibus Christus ad columnam flagellandus alligatus fuit.

Stola. 5° *Stola*, quae etiam *Orarium* dicitur: eius usus 1300 annos superat. Eam olim semper portabant Episcopi et Presbyteri, et Diaconi primo Ordinationis suae anno, iuxta Mabillonium *praef. in saec.* 1. *Bened.* Hodie solus Papa semper gestat. Erat autem longior, et usque ad pedes demissa. Significat suave Christi iugum, et aequanimitatem inter prospera et adversa, et ideo in utroque humero portatur; cingulo colligatur, ut virtutes virtutibus coniungamus: per modum Crucis supra pectus aptatur, ut Crucem in pectore geramus: denique vincula denotat, quibus Christus portans Crucem ligatus fuit; unde collo circumduci debet.

Planeta. 6° *Planeta*, seu *Casula*, olim a collo usque ad pedes Sacerdotem tegebat, et brachia manusque involvebat, quibus si opus esset, Planeta sustolli, et fibula subligari debebat. Eius meminit Conc. Toletanum IV. a. 597. Quo tempore hodierna Planetae forma invaluerit, incertum est. Significat charitatem, et tunicam Christi inconsutilem, quam illi Iudaei detraxerunt, quando Cruci affigendus erat.

Dalmatica. 7° Diaconi Stolam in sinistro humero portant; et *Dalmatica*, Subdiaconi vero *Tunica*, utuntur, quae strictior est cum manicis brevioribus, ut infra Dalmaticam portari possit.

Color SS. Vestium. 8° Quinque sunt colores sacrarum vestium, quorum usum saeculo 13° Durandus refert; olim autem initio 4^{i} saeculi nonnisi albus in more fuit. Color *albus*, laetitiam: *ruber*, Martyrium et charitatem: *viridis*, spem: *violaceus*, poenitentiam: *niger*, luctum significat.

Birretum. 9° Birretum Romae et in plerisque aliis Ecclesiis saeculo 9° non-

dum in usu fuit; Amictu enim caput obnubebant Sacerdotes, quem Missam incipientes in humeros reiiciebant; tempus autem, quo haec consuetudo exolevit, incertum est. Vid. Benedictum XIV. *de Sacrif. Missae.*

Coroll. Pract. 1° Vestes ad Missam requisitae debent esse benedictae ab Episcopo, vel alio habente privilegium * (uti habent Praelati Regulares pro suis Ecclesiis, ex Leone X. Const. *Religionis*).* Parochus tamen in die festo non habens Albam benedictam, in non benedicta celebrare posset: et in casu necessitatis potest Sacerdos uti alia stola pro manipulo, aut cingulo, vel manipulo oblongo pro stola. Item in * (gravi) * necessitate sine manipulo, vel stola, vel cingulo celebrare licet, iuxta Lugo: sine omni autem veste sacra numquam celebrare licet: extra Missam autem Sacerdos communicans, stolam sub mortali habere non tenetur. 2° Vestes suam benedictionem amittunt, si ita dissolvantur, ut ad usum suum ineptae fiant: non vero perdunt, si attritis aliqua pars assuatur. 3° Orationes dicendae inter induendas sacras Vestes obligant solum sub veniali, sicuti etiam color SS. Vestium, et recitatio precum ante et post Missam. 4° Sacerdos non debet celebrare sine calceis ob decentiam sine causa: item debet celebrare discooperto capite, nisi Papa dispenset; in usu autem *Perrucae* Episcopus dispensare potest. * (Sed hoc nunc ipsis vetitum est ex Decr. S. R. C. a. 1690 ab Innocentio XII confirmato, et approbato. Vid. Bened. XIV, inst. 34 et 96).* Resolvuntur casus.

Art. 4. *De Vasis sacris.*

§ 1040. Quarto. Ad Sacrificium Missae *Vasa sacra* requiruntur. Et 1° quidem *Calix*, qui tempore Apostolorum videtur fuisse ligneus; de quo nota est illa S. Bonifacii M. sententia: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc e contra lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus.* Deinde vitrei etiam calices usurpabantur, uti patet ex S. Hieronymo, referente de S. Exuperio, quod Sanguinem Domini in vitro portaverit. Calices tamen aureos et argenteos tempore persecutionum in usu fuisse, probant Acta S. Laurentii. Vasa sacra, Calix

2° *Patena*, quam tempore Apostolorum in usu fuisse, patet ex Liturgia S. Iacobi S. Silvester P. in libro Pontificali dicitur obtulisse patenas aureas septem. Ministeriales etiam erant patenae multo capaciores, et profundiores pro fidelibus communicandis. Patenae eiusdem cum calicibus materiae erant, quam Graeci *Discon* appellant, et quae nostram cavitate excedit. Patena.

3° *Corporale*, quod olim totam Altaris aream tegebat, uti colligitur ex Ordine Romano, et quo etiam calix operiebatur. Calix sepulchrum Christi: Patena lapidem super portam monumenti positum: Corporale Sindonem mundam Corpus Iesu involventem exprimit. Corporale.

4° *Purificatorium* antiqui non memorant; diu tamen iam adhibetur, et eo calix in Missa abstergitur, quod Graeci faciunt spongia in memoriam spongiae in Passione Christi memoratae. Purificatorium

Palla. 3° *Palla* est parvum Corporale, quo calix tegitur, cuius meminit Radulphus Tungrensis *l. de Canon observ. Velum.* quo calix tegitur, Velum. *Peplum* etiam et *Sudarium* dictum, memoratur *Can.* 72 *Apost.* olim lineum, nunc sericum esse debet: et Graeci tria vela adhibent, uno patenam, alio calicem, tertio utrumque tegunt. *Bursa* pro reponendo Bursa Ampullae. Corporali adhibetur. *Ampullae,* quae in Ordine Romano *Amae* dicuntur, memorantur in libro Pontificali in Vita SS. Silvestri, Marci, Innocentii et Coelestini: vitreae esse deberent, ut vinum ab aqua discerni possit. Vid. cit. Benedictum XIV *de Sacrif. Missae.*

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Celebrare sine velo Calicis, manutergio, pulvino pro libro, bursa, non est peccatum, secluso scandalo. Loco Purificatorii, quod benedictionem non requirit, in necessitate aliud linteum mundum, profanis usibus non adhibendum, et prima vice a persona saltem prima Tonsura initiata lavandum, adhiberi potest; et loco Pallae vel aliud Corporale, vel Purificatorium, vel bursa servire potest: bursa plane omitti potest, et Palla tantum sub veniali requiritur. *(Missale autem ordinarie sub mortali adhiberi debet ob periculum errandi in re tam gravi)*. 2° Est mortale, non habere Corporale, vel uti non benedicto, nisi gravis necessitas excuset. Corporale a persona saltem tonsurata prima vice lavari debet; nec est mortale, si laicus prima lotione lavet, et aqua in Sacrarium, vel in eius defectu in alium locum mundum effundatur. 3° Patena et Calix saltem quoad cuppam debet esse ex auro, vel argento: ob paupertatem tamen licet esse ex cupro, aurichalco, vel alio metallo, ita tamen, ut cuppa sit inaurata ob periculum contrahendi aeruginem: debent etiam ab Episcopo, vel Abbate privilegium habente esse consecrata, et S. Chrismate uncta: quae consecratio perditur, si ita destruantur, ut ad usum Sacrificii inepta fiant, vel coppa de novo inauretur; non vero si inauratio pereat. 4° Vasa sacra a laicis et Acolythis sub peccato veniali tangi prohibentur, c. *In Sancta, d.* 1. *de consecr.* nec licet ea ad profanos usus adhibere, et apud nos etiam Ciboria et lunula in Monstrantia benedicuntur *(quod fieri potest ab iis omnibus, qui reliquas sacras vestes benedicere possunt)*.

CAP. XI.

De Missae caeremoniis.

Caeremoniae Missam concomitantes. § 1041. Praeter has dispositiones seu caeremonias Missam praecedentes, aliae eius celebrationem concomitantes pro maiori illius reverentia merito fuerunt institutae: quarum aliquae 1. ad Deum referuntur, uti *Elevatio manuum*, cuius exemplum habemus *Exod.* 17. 3. *Reg.* 8. *Ps.* 141. et 1. *ad Tim.* 2. *Volo, viros orare, levantes puras manus. Elevatio oculorum*, quae etiam Christo familiaris fuit, *Matth.* 14. *Marci* 6. *Luc.* 9. *Ioan.* 6. *Inclinatio corporis et genuflexio,* de qua 2. *Paralip.* 6. et *Luc.* 22. Christus ipse oravit positis genibus, et S. Paulus *Act.* 21. Aliae spectant 2. ad Sacrificium, uti

Hostiae elevatio, fractio, commixtio, de quibus postea. 3. Aliae spectant ad ipsum Sacerdotem, uti *Tunsio pectoris*, de qua mentio fit *Luc.* 18. *Lotio manuum*, de qua inferius. 4. Aliae spectant ad populum, uti *Salutatio* et *dimissio*. 5. Aliae ad ea, quae in Missa leguntur, de quibus mox plura.

Schol. 1. Licet unum sit Missae Sacrificium, varia tamen Missarum genera pro diversitate generum vel caeremoniarum, quibus celebratur, distinguuntur. Sic a tempore appellationem habet, *Missa Ferialis, Dominicalis, Matutina*. A ritu dicitur *Latina, Ambrosiana, Illyrica, Mozarabica*. Ab Auctore Liturgiae, *Missa S. Iacobi, S. Basilii, S. Gregorii*. Ab officio, *de Tempore, de Sanctis, Votiva*. A ratione celebrandi, *Publica, Solemnis, Privata*. Practerea apud Veteres memoratur *Missa Catechumenorum*, quae erat Liturgiae nostrae pars usque ad Offertorium, cui Catechumeni interesse poterant. *Missa Praesanctificatorum* aequivoce Missa dicitur, in qua nulla fit consecratio, sed Hostia die praecedente consecrata sumitur. *Missa sicca*, quae est simulatio Missae, quando omnes caeremoniae Missae peraguntur, attamen sine consecratione et Communione, quae reprobatur c. *de hom. in l.* 3. *Decret. t.* 41. *Missae bifaciatae et trifaciatae* dicuntur, in quibus improbi Sacerdotes, ut pro uno Sacrificio plura stipendia acciperent, plures Missas diversi generis, v. g. de Sancto, Votivam, et pro defunctis celebrabant usque ad Offertorium, unam post aliam; deinde ex ordine tot secretas orationes dicebant, quot Missas legebant, et semel recitato Canone ac una Communione peracta, totidem collectas addebant, quot ab initio praemiserant. Has Missas detestatur Petrus Cantor c. 29. **Variae genera Missarum.**

Schol. 2. Missa in quatuor partes dividi potest. Prima est ab initio usque ad Offertorium, dicta *Missa catechumenorum*. Secunda ab Offertorio usque ad Consecrationem, a Graecis ἀνάφορα, et a nonnullis Latinis *Canon minor* dicta. Tertia a Consecratione usque ad Communionem, *Canon maior* dicta. Quarta a Communione usque ad finem. **Partes Missae.**

Art. 1. *De idiomate, quo Missa est celebranda.*

§ 1042. Priusquam autem ad singulas partes et caeremonias Missae explicandas progrediamur, praemittendum est Primo, sapienter institutum esse, ut in Ecclesia Latina, Missa, Sacramenta, et alia Divina Officia in Latino sermone celebrentur. Patet hoc 1° ex praxi Iudaeorum, qui in persolvendis Religionis suae officiis utebantur lingua Hebraea, etsi post captivitatem Babylonicam ea non amplius vulgaris esset, sed solis Sacerdotibus et Levitis cognita. 2° Patet ex usu Ecclesiae Graecae et Latinae; Graeci enim olim non populari vulgi sermone Sacra celebrabant, sed Graeco, uti patet ex Liturgiis S. Basilii, et S. Chrysostomi. Latini lingua Latina semper usi fuerunt, etsi iamdudum vulgaris esse desierit, uti patet ex Isidoro, Alcuino, Amalario, Rabano, qui scribebant de Divinis Officiis in Hispania, Gallia, Italia, Anglia, Germania, quo tempore lingua Latina ibi vulgaris non **Missa latine merito celebratur.**

erat. 3° Ecclesia et eius membra quodam societatis vinculo colligari debent: ergo sapienter institutum est, ut ea lingua in celebrandis Divinis adhiberetur, per quam hoc commercium conservari posset: hoc autem non fiet, si utamur lingua vulgari, quia sic Hispani, etc. in Ecclesiis Germanorum non convenient, cum e contra in lingua Latina latissime diffusa facile intelligentur. 4° Lingua vulgaris variis mutationibus in eodem etiam regno est obnoxia, et nomina obsoleta sermonem ingratum, barbarum et contemptibilem pro variis locorum et temporum circumstantiis reddere possunt; et sic sacra Mysteria audientium risui et contemptui exponerentur, cum tamen in lingua Latina tanta mutatio nunquam evenerit. Ergo in ea merito Sacra celebrantur. Hinc Tridentinum *Sess.* 22. *c.* 8. *de Sacrif. Missae* definit: *Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem .... mandat S. Synodus Pastoribus .... ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis, quae in Missis leguntur, aliqua exponant, atque inter caetera SS. huius Sacrificii Mysterium aliquod declarent, diebus praesertim Dominicis et Festis.*

An usus linguae vulgaris populis neoconversis in Sacris concedi debeat?

Schol. 1. Matrimonium et Confessio debent fieri in lingua utrique contrahenti, et Confessario ac poenitenti nota. Item ius Divinum non determinat, in qua lingua Sacramenta ministrari debeant; unde in omni lingua valide conferuntur. Benedictus XIV, *de Sacr. Missae* etiam narrat, S. Cyrillum et S. Methodium Moraviae Apostolos a. 867. ab Hadriano II. Romae in iudicium vocatos esse, quod Liturgiam in lingua Sclavonica introduxissent; sed cum vox de coelo audita esset: *Omnis Spiritus laudet Dominum, et omnis lingua confiteatur ei*, S. Cyrillus indultum obtinuit. Deinde a. 872. Joannes VIII. S. Methodio iterum prohibuit, Missam Sclavonice celebrare; tandem vero concessit, dummodo versio esset fidelis; et Evangelium primo Latine, deinde Sclavonice legeretur; innuit tamen, sibi magis placere, si Latinus sermo usurparetur: anno vero 1061. Alexander II. Sclavonicam Liturgiam iterum prohibuit, et Gregorius VII. eius usum Bohemorum Regi concedere noluit; quem tamen cuidam Episcopo in Sclavonia Innocentius IV. a. 1248, indulsit. Rursus initio elapsi saeculi actum fuit hac de re, et Paulus V. a. 1615. ut apud Sinas in eorum lingua Divina celebrarentur, concessit, licet Breve eius Missionariis traditum non fuerit; imo Innocentius XI. a. 1681. Missale in linguam Sinicam versum non approbavit. Unde haec permissio pendet a voluntate Sedis Apostolicae: quae tamen semper eo propendet, ut in lingua Latina Sacra celebrentur.

Solvuntur obiectiones.

Schol. 2. Protestantes, et Quesnellus improbant usum Ecclesiae, celebrandi Sacra in lingua Latina. I. Quia 1. *ad Cor.* 14. *v.* 15. Apostolus vult, orandum esse lingua et ore; quod non fit, si quis ignotam linguam non intelligat. Et Concilium Lateranense IV. *c.* 9. probat, ut quaelibet natio lingua sua vulgari Divina Officia celebret. *Resp.* Apostolus non loquitur de oratione solemni Ecclesiae, aut Of-

ficiis Divinis, sed de privatis, et de collationibus spiritualibus. Et Concilium Lateranense loquitur de Graecis et Latinis simul in eadem civitate degentibus, quibus suam linguam in celebratione Divinorum permittit. II. Populus non intelligens linguam Latinam nullum fructum ex celebratione Divinorum hauriet. *Resp.* Sufficit, si Pastores plebi suae in Concionibus Mysteria explicent, et plebs intentionem suam cum illa Ecclesiae conformet.

Art. 2. *De usu; quaedam submissa voce dicendi in Missa.*

§ 1043. Secundo. Ecclesia bene statuit, ut non omnia alta, sed quaedam submissa voce in Missa pronuncientur. Ita 1° decreverunt antiquae Liturgiae Graecae S. Basilii, et S. Chrysostomi: et Latinae, uti patet ex *ep.* Innocentii I. *ad Decent.* Constit. Apost. *l.* 1. *c.* 8. Sacramentario Gelasii, Ordine Romano, et Ritu Mozarabico. 1° Patet ex disciplina arcani, olim tam rigorose quoad formas Sacramentorum servata. 3° Rationem dat Tridentinum *Sess.* 22. *c.* 5. quia natura hominum non facile sine adminiculo exteriorum ad rerum Divinarum meditationem sustollitur. Et *can.* 9. *Si quis dixerit, Ecclesiae Romanae ritum, quo submissa voce pars Canonis, et verba Consecrationis proferuntur, damnandum esse, anathema sit.* Vid. Bened. XIV. *de Sacr. Miss.* — In Missa aliqua submissa voce recte dicuntur.

Schol. Kemnitius in *Exam. p.* 2. contendit, esse contra Christi institutionem, quaedam in Missa submissa voce dicere. I. Quia Christus alta voce consecravit, et iussit fieri, quae fecit, non in silentio, sed, uti ait Apostolus, per annuntiationem. *Resp.* Christus non praecepit, ut alta voce verba pronunciarentur, sed solum ut verbis suis consecratio fieret. II. Olim etiam verba consecrationis alta voce pronunciabantur, unde populus respondebat, *Amen.* Et *Nov.* 123, severe praecipitur Sacerdotibus, ut in celebratione, recitanda alta voce pronuncient, ut populus ea audire possit. *Resp.* Licet populus responderit, *Amen,* non tamen sequitur, verba illa alta voce esse recitata. Deinde Le Brun *t.* 4. ostendit, solum quando aliquis communicavit, aut in fine gratiarum actionis responsum fuisse, *Amen.* Sic in Missalibus usque ad seculum 12^{um}, *Amen* solum in fine Canonis habetur; in recentioribus habetur quidem, sed privata auctoritate est additum, et illud *Amen* dicebat Sacerdos. In Ecclesia Graeca verba Consecrationis alta voce dicuntur, respondente populo, *Amen,* cui ritui ansam dedit *Novella* Iustiniani; quae tamen legem hanc Ecclesiasticam ferre non potuit, et in nonnullis solum Orientis regionibus recepta fuit. — Solvuntur obiectiones.

Art. 3. *De variis Missae partibus, earumque explicatione*

§ 1044. His suppositis, partes Missae et caeremoniae concomitantes breviter explicandae sunt: plura apud Bened. XIV. et Rubricistas et Liturgicos videri possunt. Prima igitur pars est ab initio usque ad Offertorium. 1. Missa incipitur a signo Crucis, et Psalmo *Iudica,* cuius mentio saeculo 7° iam occurrit: omittitur autem in Mis- — Explicatio Missae Iudica.

sis defunctorum, et tempore Passionis ob illa verba: *Quare tristis es, etc.* quae laetitiam significant. Hoc dicto, et facta generali peccatorum suorum Confessione per *Confiteor*, rogat Sacerdos gratiam, Sacrificium digne celebrandi.

Introitus. 2. *Introitus* constat ex Antiphona, Psalmo, et *Gloria Patri, etc.* Introitus dicitur, vel quia est Missae principium, vel quia a Choro sub ingressum Sacerdotis ad Altare canebatur. Eius Auctor videtur S. Gregorius M. Olim totus Psalmus dicebatur, a mille annis solum initium dicitur cum *Gloria Patri*, repetita Antiphona; quando a Choro canebatur, a Sacerdote non legebatur, significat desideria Patrum Messiam expectantium.

Kyrie eleison. 3. Sequitur *Kyrie eleison* Graece; Latine, *Domine, miserere*: ante S. Gregorium M. iam in usu fuisse, patet ex Conc. Vasensi a. 529. Ter. *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison*, et ter *Kyrie eleison* dicitur pro singulis Personis SS. Trinitatis.

Gloria in excelsis. 4. *Gloria in excelsis Deo*, Hymnus Angelicus dicitur, utpote quoad prima verba ab Angelis in Christi Nativitate dictus; quoad reliqua incerti est Auctoris, licet nonnulli S. Telesphorum, alii S. Hilarium assignent. Iam saeculo 7° in Missa dicebatur, et primo tantum in Missa Nativitatis canebatur, postea in Dominicis et Festis ab Episcopis, et solum in Paschate a Presbyteris, et post saeculum 10^{um} etiam in Missis per annum.

Dominus vobiscum. 5. Dicto Hymno, Sacerdos populum salutat per *Dominus vobiscum* antiquam salutandi formulam: *Iud.* 6. *Ruth.* 1. *Luc.* 1. et populus resalutat Sacerdotem, ex c. 6. v. 8. *ad Gal.*

Collecta. 6. Sacerdos per *Oremus* populum ad orationem invitat, et orat *Collectam*, seu vota collecta populi per orationes, quas vel S. Gelasius, vel S. Gregorius M. composuit, et subsequentes alii; et populus respondet, *Amen*, id est, fiat.

Epistola. 7. Post Collectam sequitur *Epistola*, plerumque ex Epistolis Canonicis desumpta, cuius usum ab Apostolis derivat Bona *l.* 2. *c.* 6. Per eam populus instruitur, et munus Praecursoris Christi denotatur.

Graduale. 8. Post Epistolam legitur *Graduale*, sic dictum a gradibus Altaris, super quibus canebatur, vel quando Diaconus suggestum Evangelium lecturus ascendebat. Eius Auctor est vel Coelestinus, vel S.
Alleluja. Gregorius M. Post Graduale dicitur *Alleluia*, id est, *laudate Deum*, cuius mentio fit in Psalmis, et Davidem auctorem habet: item *Tob.*
Tractus. 13. *et Apoc.* 19. *Tractus* sunt nonnulli versiculi protracta voce can-
Sequentia. tari soliti, quem subinde sequitur *Sequentia* seu prosa. *Alleluia* vero tempore luctus, et in Festo SS. Innocentium in commiserationem matrum non dicitur.

Evangelium. 9. Subsequitur *Evangelium*, petita prius ad illud digne annuntiandum benedictione ex Traditione Apostolica, post quod olim Homilia ad populum habebatur. Initium Evangelii Sacerdos Cruce signat, ut ostendat, se illud non erubescere, et in fine in signum reverentiae osculatur. Sub Evangelio populus stat, et equites gladium e vagina educunt, ut ostendant, se ad illud defendendum paratos esse.

10. Deinde legitur *Symbolum Constantinopolitanum*, iuxta Decretum Concilii Toletani a. 589. quod deinde in aliis Ecclesiis receptum fuit, ubi fit professio fidei. Symbolum

§ 1045. Altera pars Missae incipit ab Offertorio usque ad Consecrationem. Unde 1. *Offertorium* ex eo dicitur, quod tunc fideles panem et vinum in usum Sacrificii offerent; et licet usque ad saeculum 4^{um} nil caneretur, tempore tamen S. Augustini mox fuit, aliquot Psalmorum versiculos canendi. Incertum autem est, quis Auctor fuerit canendi Antiphonam, Offertorium dictam: alii S. Coelestinum, alii S. Gregorium M. assignant. Orationes illae: *Suscipe, S. Pater, etc. Offerimus tibi, etc. Veni, Sanctificator, etc. Suscipe, S. Trinitas, etc.* nonnisi a 500 annis in Ecclesia Romana dicuntur: lotionis tamen manuum S. Cyrillus *cat.* 5. meminit. Secretas etiam orationes Walafridus, Amalarius, etc. memorant. Offertorium.

2. *Praefatio* ex eo dicitur, quod Canonem praeeat: in antiquissimis Liturgiis reperitur cum illo Hymno, *Sanctus, etc.* Sacerdos hic non amplius ad populum se vertit, quia tunc olim velum Sanctuarii claudebatur. Praefatio.

3. Incipit deinde *Canon*, seu regula, iuxta quam sacrificium celebrandum est. S. Gregorius precem, S. Cyprianus orationem, Walafridus etc. actionem appellant. Tridentinum *Sess.* 22. *cap.* 4. ait, eum ab omni errore purum esse, et constare tum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum Traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus. Quis autem primus aliquam Sacrificii formam collegerit, difficile est definire. S. Isidorus *l.* 1 *de off. c.* 15. S. Petrum assignat. Sex sunt orationes in Canone, de quibus Tridentinum *Sess.* 22. *can.* 6. *Si quis dixerit, Canonem Missae errores continere, ideoque abrogandum esse, anathema sit.* Canon.

4. Prima oratio incipit ab illis verbis: *Te igitur, etc.* usque ad illa: *Hanc igitur, etc.* In hac orat Sacerdos pro Ecclesia universa, Papa, Episcopo, et in nonnullis locis pro Rege. Memorantur ibi Beatissima Virgo, SS. Apostoli, et SS. Martyres; non tamen satis constat, quisnam inter plures cognomines sit S. Xystus. Confessores in Ecclesia Romana semper exclusi sunt a Canone. Haec oratio olim *Diptycha* vocabatur, quae erant asseres in tres partes divisi, ut inneti implicari possent: in prima nomina Sanctorum, in altera nomina Virorum illustrium de Ecclesia bene meritorum, in tertia nomina Defunctorum scribebantur. In Missis privatis Sacerdos, in solemnibus Diaconus et Subdiaconus ea nomina recitabant; et quidem iuxta ritum Romanum in principio Canonis nomina vivorum, maxime Papae et Episcopi: in *Memento* nomina eximiorum offerentium: post *Communicantes* catalogus Sanctorum: in *Memento* post Consecrationem nomina Defunctorum recitabantur; quae disciplina saeculo 12° obsolevit, adeo ut Sacerdos illos, quibus applicat Sacrificium, mentali oratione Deo commendet. Prima oratio Canonis. Diptycha quid?

5. Secunda oratio incipit: *Hanc igitur, etc.* ubi Sacerdos orat, u Secunda.

Deus oblationem mox faciendam accipiat, dies nostros in sua pace disponat, ab aeterna damnatione nos liberet, et in electorum grege numeret. Ubi manus super oblata extendit, indicans se cum victima Deo consecrari.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Contra Canonem et praedictas eius orationes obiiciunt Protestantes: I. Quod Canon sit compositus a quodam, nomine Scholastico, iuxta S. Gregorium *l.* 2. *ep.* 54. *Resp.* Vel nomine Scholastici intelligitur vir doctus et litteratus; vel loquitur de orationibus extraordinariis, v. g. ante Communionem. II. Non servatur rectus ordo in illis verbis: *Uti accepta habeas, et benedicas*, quia prius est benedici, quam acceptari. Deinde ante consecrationem panis et vini dicuntur Sacrificia, et offerri pro Ecclesia. *Resp.* Ibi benedictio sumitur pro consecratione futura. Panis et vinum vocantur Sacrificia sancta, quatenus sunt materia sancti Sacrificii, et catenus transubstantianda in Corpus et Sanguinem Christi, et sic transubstantiata offeruntur pro Ecclesia. III. Illud: *Communicantes, et memoriam venerantes*, denotat vivos cum mortuis communicare in Eucharistia, quod est contra Christi institutionem. *Resp.* Illud: *Communicantes*, iuxta Alcuinum significat, communicantes memoriis Sanctorum, eosque venerantes.

Tertia oratio. § 1046. 1. Tertia pars Missae incipit a Consecratione usque ad Communionem; atque a tertia oratione Canonis usque ad finem Consecrationis, ubi Ecclesia non solum respicit oblationem panis et vini, et eorum proximam transubstantiationem, sed etiam Sacerdotis et astantium oblationem, et orat, ut eam Deus benedictam, etc. habeat; et facta consecratione elevatur SS. Hostia, quae apud Graecos ante Communionem elevatur, et olim in Occidente ad illa verba: *Omnis honor et gloria*, elevabatur. Elevatio post Consecrationem introducta est contra haeresim Berengarii, et tempore S. Bonaventurae Romae sola Hostia elevata fuit, licet etiam saeculo 12° mos elevandi utramque speciem inductus fuerit, et ut fideles ad orationem excitentur, campanula pulsatur.

Quarta. 2. Quarta oratio Canonis incipit ab illis verbis: *Unde et memores, etc.* usque ad *Memento*. Crucis signa, quae ibi super Hostiam et Calicem formantur, non sunt benedictiones, sed commemorationes efficaciae Sacramenti, quae e Sacrificio Crucis fluit, quod in Missa continuatur, et repraesentatur. Quinque autem signa formantur ad significanda quinque Iesu vulnera; et quando Sacerdos seipsum Cruce signat, extensionem fructus Passionis Christi significat.

Quinta. 3. Quinta oratio incipit: *Memento etiam, etc.* ubi oratur pro defunctis; cuius orationis omnes Liturgiae meminerunt.

Sexta. 4. Sexta oratio incipit: *Nobis quoque, etc.* et definit in clausulam: *Per omnia saecula, etc.* quae alta voce dicitur, ut populus respondeat, *Amen.* S. Ioannes, cuius in ea fit mentio, est S. Ioannes Baptista, et S. Petrus Exorcista. Ad illum locum: *Per quem haec omnia*, olim benedicebantur novae fruges, mel, carnes, etc. Tria signa Crucis cum Ho-

stia super Calicem facta, tres orationes Christi in Cruce: *Pater, ignosce, etc. Deus, Deus meus, etc. Pater, in manus tuas, etc.* denotant: duo signa Crucis extra Calicem separationem animae a corpore significant: elevatio minor Hostiae cum Calice loco veteris maioris instituta est.

5. Sequitur *Oratio Dominica*, quae non est pars Canonis, et habetur ex Traditione Apostolica, et olim cum Sacerdote a populo recitabatur: et subsequitur oratio: *Libera nos, etc.* Oratio Dominica.

6. *Fractio Hostiae* manat ab ipsa Christi institutione, cuius omnes Liturgiae meminerunt, Graeci eam in quatuor partes dividunt, unam sumit Celebrans, alteram distribuit populo, tertiam reservat pro infirmis, quartam mittit in Calicem. Mozarabes in novem partes dividunt, in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Circumcisionis, Transfigurationis, Passionis, Mortis, Resurrectionis, Gloriae in coelo, et Regni Christi. Latini eam in tres partes dividunt: missa in Calicem, Christum; altera, peregrinantes in terra; tertia, defunctos beatos et purgantes significant: tres Cruces, tres dies Christi in sepulchro; immissio partis in Calicem, coniunctionem animae cum corpore in Resurrectione Christi exprimit. Fractio Hostiae.

7. *Agnus Dei* Sergius I. instituit, ubi ly *dona nobis pacem* Contritionem denotat: in Missis Defunctorum non dicitur: *Miserere nobis, etc.* quia Sacerdos magis Defunctorum, quam sui memor est. Tres orationes ante Communionem sunt ex Religiosorum hominum Traditione. Per ritum dandae pacis, quae olim cum osculo, et deinde ad vitanda scandala per amplexum cum osculo tabulae Crucifixi imagine insignitae dabatur, populus ad S. Communionem praeparatur. In Missa Defunctorum pax non datur, nec prima oratio dicitur, quia praesente pace in coelo non fruuntur. Agnus Dei.

Schol. Contra has preces et ritus clamant Protestantes: I. Quia nullus est sensus illorum verborum: *Benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris. Resp.* Alcuinus ita explicat: rogamus, ut Deus oblationem nostram consecrando benedictam: numerando inter dona sibi grata adscriptam: confirmando ratam, et quoad fructum stabilem reddat, et faciat, ut eam rationabiliter, recte, et acceptabiliter offeramus. II. Comparatur ibi Sacrificium nostrum cum Sacrificio Abelis et Abrahae, et petitur, Corpus Christi ab Angelis in coelum deferri, ubi tamen iam est. *Resp.* Comparatio tantum est ratione offerentis, et petimus, ut cum fide viva et devotione Abelis et Abrahae Sacrificium offeramus. Angeli nostram devotionem, qua Sacrificium offerimus, exhibent pro nobis intercedendo; et ita in Altare coeleste, metaphorice tale, quia ibi Sacrificia in terris oblata recipiuntur, deferunt. III. Illa verba: *Per quem haec omnia dona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, et praestas nobis,* sanum sensum non faciunt. *Resp.* Hoc Sacramentum creat Deus ratione materiae: sanctificat, cum offertur materia ad Sacrificium destinata: vivificat, cum convertitur in Corpus Christi: benedicit, cum Solvuntur obiectiones.

vim sanctificandi, et nos cum Deo uniendi accipit: praestat, cum ad sumendum datur.

Communio. § 1047. Quarta pars Missae incipit a Communione usque ad finem.
1. *Communio* in omnibus Liturgiis habetur, et est pars essentialis Sacrificii (§ 1015. Schol. 2.).

Postcommunio. 2. Antiphona *Communio* dicta, canebatur olim, dum SS. Eucharistia distribuebatur. *Postcommunio* est gratiarum actio. Oratio in Quadragesima super populum cum formula: *Humiliate capita vestra Deo*, est antiquissima ex Sacramentario Gelasiano.

Ite Missa est. 3. Per *Ite Missa est,* dimittuntur fideles: in nonnullis autem Missis non adhibetur, quia tunc fideles post Missam in Horis Canonicis remanebant; sicut et in Missis Defunctorum, ubi populus apud cadaver et ad alias preces manebat.

Benedictio. 4. Sequitur *Benedictio*, et Sacerdotes olim semper, postea tantum in Missis solemnibus, denique soli Episcopi ternis Crucis signis populo benedicebant. Benedictio Episcoporum in fine Missae vetustissima est; non vero Sacerdotum, de qua silent Amalarius, Rabanus, etc.

Evangelium S. Joannis. 5. *Evangelium S. Ioannis* maxime observatur ex praescripto S. Pii V.

Art. 4. *De obligatione fideliter servandi omnes caeremonias.*

Missam non licet abrumpere. § 1048. Denique praescriptae hac ad celebrandam Missam Caeremoniae sine peccato a Sacerdote omitti non possunt (§ 798.). Hinc 1° Missa inchoata absque gravi causa abrumpi non debet, sed continuo usque ad finem prosequenda est, iuxta Can. *Illud q.* 7. ubi dicitur: *Nullus absque patientis proventu molestiae minister vel Sacerdos, cum coeperit, imperfecta officia omnino praesumat relinquere.* Et ratio est, quia Sacrificium imperfectum est contra reverentiam Deo debitam.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* Causae iustae coeptam Missam vel relinquendi, vel interrumpendi, sunt: 1° Si Sacerdos recordetur, se non esse ieiunum, excommunicatum, irregularem, et Canon necdum inceptus sit. 2° Si excommunicatus non toleratus Missae interesse praesumat, qui expelli nequit, Canone necdum incepto. 3° Si morbus, vel alia gravis corporis necessitas cogat Missam interrumpere, ubi post Consecrationem alius Sacerdos etiam non ieiunus supplere debet; ante Consecrationem vero incepto Canone alius quidem supplere potest, non tamen debet. 4° Ob magnam proximi necessitatem, aut utilitatem. Unde si moribundo Sacramentum Poenitentiae, vel in defectu aliorum Sacramentorum, Extremae Unctionis ministrandum sit, potest Sacerdos etiam post Consecrationem Missam interrumpere, Sacramentum ministrare, cito reverti, et Missam complere: pro Sacramento vero SS. Eucharistiae non licet, nisi aegrotus sit in Ecclesia. 5° Aliae causae Missam ante oblationem interrumpendi, sunt, pro facienda post Evangelium concione, pro ordinibus conferendis, si Processio superveniat; ubi, si deceat populum integram Missam audire, a capite inchoari potest.

§ 1049. **2° Ad celebrationem Missae requiritur, ut Sacerdos dicat, faciat, et servet omnia, quae in Missali Romano reformato praescribuntur.** Ita praecipit Tridentinum *Sess.* 22. *de observ. in celebr. Miss.* et S. Pius V. in principio Missalis: cumque haec res sit gravis, transgressio huius praecepti ex se est peccatum mortale, licet ex levitate materiae possit esse veniale, aut ex naturali inadvertentia aliquando a culpa excusari queat. **Praescripta in Missali servanda.**

Coroll. Pract. 1° Est mortale, agere contra Rubricas graviter praeceptivas; contra Rubricas vero directivas sine causa agere, est veniale. 2° Omittere partem Missae ordinariam, v. g. Confessionem, Orationem, Epistolam, Evangelium, Oblationem, mixtionem aquae, Praefationem, Canonem, *Pater noster, Agnus Dei, etc.* per se loquendo est mortale, nisi excuset parvitas materiae, vel ritus ob speciale Mysterium non sit notabilis; et hinc omittere, *Iudica, Kyrie eleison,* Tractum, ablutionem digitorum, Crucem super aquam, est tantum veniale. 3° Omittere in Canone aliquam orationem, vel aliqua verba, aut ea variare, et corrumpere, ita ut sensus mutetur, est mortale; si autem sensus non mutetur, etsi duo vel tria nomina Sanctorum omitterentur, non est mortale. 4° Omittere unam e partibus non ordinariis, est veniale, v. g. *Gloria, Credo,* Sequentias, *Flectamus genua,* Orationes secundarias, Praefationem propriam, speciale illud, quod in *Communicantes,* et *Hanc igitur* subinde dicitur, aliquas benedictiones, Cruces, deosculationes, genuflexiones, inclinationes, Evangelium S. Ioannis, et quod post illud dicitur, uti sola aqua in purificatione. 5° Addere collectam ultra praescriptam, *Gloria,* vel *Credo,* orare sub cantu *Gloria,* Epistolam, Evangelium, Praefationem, et preces pro hac die assignatas, cum aliis approbatis sine contemptu et scandalo mutare, est veniale: exprimere autem in Canone nomen Generalis Ordinis, loco nominis Episcopi, est mortale. * (quod alii negant, quia non videtur materia gravis. Vid. B. de Ligorio *l. VI. de Euchar. n°* 410).* 6° Qui partem notabilem eorum quae submissa voce dici debent, ita alte legit, ut ad decem passus a multis audiantur, probabilius graviter peccat: in voce vero alta servetur modus, ne alii turbentur. Mutilatio etiam syllabarum tantam subinde deformitatem et scandalum generare potest, ut peccetur mortaliter. 7° Ordinarie ad Missam sub peccato gravi requiritur minister, qui Sacrificio inserviat, et respondeat: c. *Proposuit, de fil. Presb.* qui vir esse debet: c. 1. *de Cohabit. Cler.* * (in necessitate etiam foemina respondere potest, modo ad altare non ministret).* Layman tamen non damnat eos, qui in Germania in pagis, ubi hic usus toleratur, sine ministro, qui noverit respondere, celebrant; et Sotus putat, Eremitam semper sine ministro celebrare posse. Errores vero ministri non sunt facile corrigendi, ne ordo turbetur. Si quid tamen a ministro omittatur, Sacerdos suppleat; et plerumque ritus ab alio, quam a Sacerdote, observandi sub culpa non obligant: hinc si omittatur pulsus ad elevationem, Sacerdos dissimulare ob perturbationem potest. **Resolvuntur casus.**

Art. 5. *De supplendis defectibus in Missa commissis.*

Defectus Missae supplendi. § 1050. 3° Denique Sacerdos omnes defectus tum substantiales, tum accidentales in Sacrificio Missae commissos, quoad fieri potest, supplere tenetur. Ita S. Pius V. in Rubricis Missalis, quia alias Sacrificium non fieret perfecte et integre, adeoque peccaretur contra reverentiam Deo debitam.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Defectus, qui non sunt circa substantiam Missae, non sunt supplendi, si quis longius progressus fuerit, quia inverteretur ordo Missae: unde qui initio orationem omisit, addat Secretam, et Postcommunionem. Si vero post recessum ab Altari defectus substantialis commissus esse deprehendatur, nihil supplendum est. 2° Si Hostia e manu in Calicem decidat, non debet extrahi, sed omnia pro more fiant, et postea simul sumantur species, dicendo: *Corpus, et Sanguis Domini nostri, etc.* 3° Licet Sacerdos non recolat, se omnia dixisse, non debet ideo mente turbari; non enim, qui multa dixit, recolit omnia quae dixit: si vero certo sciat, se aliquid substantiale omisisse, resumat, et suppleat, et postea secundum ordinem procedat. 4° Si post Consecrationem species vini congelentur, admotis pannis calidis, vel alio modo congruo liquefiant, et sumantur. 5° Si Celebrans post verba Consecrationis advertat, vinum non fuisse, sed aquam, deposita aqua in aliquod vas, vinum cum aqua ponat in Calice, et facta oblatione saltem mente concepta consecret, resumendo a verbis: *Simili modo, etc.* Si hoc advertat post sumptionem SS. Corporis et huius aquae, apponat aliam Hostiam iterum consecrandam, et vinum cum aqua in Calice, offerat utrumque, et consecret, et sumat, quamvis non sit ieiunus: vel si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsunt, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, absque nova Hostia (quod etiam privatim celebrans iuxta P. Layman melius facit), et facta oblatione ut supra, statim consecrare ac statim sumere, ac prosequi caetera. Quod si vero aquam cum S. Particula iam in ore habeat, non expuat, sed deglutiat, et reliquum aquae in aliud vas effundat, et cum ablutione sumat. 6° Si Sacerdos ante Consecrationem advertat, vinum, vel hostiam veneno esse infectam, novam apponat: si post Consecrationem, de novo consecret, et priores species panno absorbeat, usque dum exsiccentur, et comburi possint. Si sacras species evomat, caute separentur, et in loco sacro reponantur, usque dum corrumpantur, et postea in S. Piscinam mittantur. 7° Si musca in Calicem ceciderit, extrahatur, vino lavetur, finita Missa comburatur, et combustio in S. Piscinam mittatur: si nausea non subsit, cum S. Sanguine sumi potest. 8° Si S. Sanguis effundatur, vel S. Hostia vento auferatur, si pars S. Hostiae et S. Sanguinis superfuerit, non opus est, novam speciem consecrare, cum Sacrificium sit perfectum, et sumptio fieri possit: si nil superfuerit, nova species consecranda erit. Si utraque species ante sumptionem deficiat, utraque species de novo consecranda est, ut sumptio fieri

possit: quae iuxta dicta (§ 1013. Schol. 2.) est pars essentialis Missae Sacrificii.

TRACTATUS XVII.

De Poenitentia.

CAP. I.

De Poenitentiae nomine et divisione.

§ 1031. Quartum Novae Legis Sacramentum est *Poenitentia*, quae est Sacramentum a Christo institutum, quo per iuridicam Sacerdotis Absolutionem homini contrito et confesso remittuntur peccata post Baptismum commissa, competente satisfactione iniuncta. *Poenitentia quid?*

Schol. 1. Poenitentiae nomen a punitione repetit S. Isidorus in *exhort. ad poenit.* quia homo in se male facta punit: et *l.* 2. *de off.* *c.* 16. illud a poena de se sumpta derivat. Graeci vocant μετάνοιαν, seu resipiscentiam: et ἐξομολόγησιν, seu Confessionem. Apud Veteres subinde vocatur *Manus impositio*, per quam olim poenitentes Ecclesiae reconciliabantur, uti patet ex Conc. Carthag. V. *c.* 76. Item *secunda post naufragium tabula:* in Tridentino *Sess.* 6. *cap.* 14. *Baptismus laboriosus: Medela delictorum: Consumptio iniquitatum: Effusio lachrymarum: Fiducia apud Deum: Armatura contra diabolum: Spes salutis*, a S. Chrysostomo *hom.* 8. *de Poenit.* Item *Compunctio cordis, Act.* 2. *v.* 37. et *Contritio, Ps.* 50. *Eius nomina.*

Schol. 2. Poenitentia spectari potest vel ut virtus, vel ut Sacramentum: si spectetur ut virtus, est virtus moralis infusa, inclinans peccatorem ad detestationem et dolorem proprii peccati, quatenus est offensa Dei, cum efficaci emendationis et satisfactionis proposito: proinde est vera virtus, quia facit bonum habentem se, et opus eius bonum. Est etiam virtus specialis, quia habet obiectum distinctum ab obiectis aliarum virtutum; nam obiectum eius materiale adaequatum, sunt omnia et sola peccata praeterita propria voluntate commissa; obiectum vero formale motivum, est expiabilitas peccati proprii, seu honestas compensationis Deo faciendae pro iniuria per peccatum proprium illi illata. Differt autem virtus Poenitentiae a Sacramento Poenitentiae, ut pars a toto; Sacramentum enim est totum, virtus vero Poenitentiae est pars Sacramenti; unde omnes dotes virtutis Poenitentiae necessario includuntur, et praesupponuntur in Sacramento Poenitentiae, quod praeter virtutem Poenitentiae complectitur ritum externum, seu signum sensibile effectivum gratiae a Christo institutum. Quippe Christus virtuti Poenitentiae, quae peccatoribus semper ad impetrandam veniam necessaria fuit, praescripsit ritum externum, ceu efficax signum gratiae a baptizatis observandum, unde virtus Poenitentiae obtinuit dignitatem Sacramenti N. L. respectu baptizatorum lapsorum; nam respectu Catechumenorum solum retinet nomen et rationem virtutis. *Virtus Poenitentiae quid?*

CAP. II.

De Sacramento Poenitentiae.

Poenitentia est Sacramentum

§ 1052. Poenitentia igitur est verum ac proprium L. N. Sacramentum. 1° Ex *Ioan.* 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Hic habetur 1. Divina institutio. 2. Ritus externus; nam si Sacerdos remittere, et retinere debet peccata, opus est, ut iudicialiter procedat, adeoque reus peccata sua exponat, et iudex eum absolvat. 3. Adest collatio gratiae, sine qua peccata non remittuntur (t. 1. § 372. 373). 2° Constat ex Traditione: S. Hieronymus *ep.* 1. *ad Heliod. Non solum Sacerdotes, cum regenerant, sed etiam postea condonandorum peccatorum obtinent potestatem.* S. Ambrosius *l.* 1 *de poen. c.* 8. ait: *Quid interest, utrum per poenitentiam, an per lavacrum hoc ius dimittendi peccata Sacerdotes sibi datum vindicent? Unum in utroque mysterium est.* S. Augustinus *ep.* 228. *Quantus in Ecclsia fieri solet .... concursus, aliis Baptismum flagitantibus aliis reconciliationem, aliis etiam poenitentiae ipsius actionem, omnibus consolationem, et Sacramentorum confessionem!* Idem patet ex perpetua praxi Ecclesiae, quae semper certam absolvendi formulam verbis prolatam adhibuit, uti videre licet apud Martene *de ant. rit.* Hinc Tridentinum *Sess.* 14. *can.* 1. bene definit: *Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Poenitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo D. N. institutum, anathema sit.*

Solvuntur obiectiones

Schol. Lutherus in *l. de capt. Babyl.* Poenitentiam verum esse Sacramentum concessit: sed in eodem libro rursus Poenitentiam ad Baptismum revocavit. Ejus inconstantiam secutus est Melanchton in *locis com.* a. 1543. editis: Confessio vero Augustana Poenitentiam inter Sacramenta expresse reponit. Ad hanc doctrinae inconstantiam purgandam Schubert *Th. pol. p. II. pag.* 643 vult, Confessionem Augustanam Poenitentiam improprie solum Sacramentum vocare, adeoque eam cum Calvino e numero Sacramentorum excludit. I. Quia in V. L nullum Sacramentum pro delendo peccato fuit; ergo nec in Nova: imo S. Scriptura remissionem peccatorum soli impiorum conversioni tribuit, *Ps.* 50. *v.* 19. *Ezech.* 18. *v.* 21. et vox μετανοία solam mentis transformationem significat. *Resp.* Disparitas est inter novam et veterem Legem, quod nova sit lex gratiae, et faciliorem viam ad veniam per Sacramenta ex opere operato aperiat. Conversioni tribuitur remissio, tamquam materiae Sacramenti; ubi tamen signum externum in nova Lege non excluditur. Μετανοία mutationem consilii cum animi dolore significat, uti *Iobi* 42. *v.* 6. et *Luc.* 10. *v.* 13. *In cilicio et cinere poenitentiam egissent,* μετενόησαν. Lutherus: *Poenitentiam fecissent.* II. Tertull. *l.* 2. *contr. Marc. c.* 24. ait: *Nam et in Graeco textu Poenitentiae nomen non ex delicti confessione, sed ex*

animi demutatione compositum est. *Resp.* Tertullianus solum explicat contra Marcionem, quomodo Deus in veteri Lege dicatur poenituisse, quia poenitentia in Deo sine tristitia, et cum sola mutatione operum consistit.

Art. 1. *De Poenitentiae distinctione a Baptismo.*

§ 1053. Et quidem Sacramentum Poenitentiae diversum est a Sacramento Baptismi. Nam 1° S. Scriptura distinguit praeceptum Baptismi a praecepto Poenitentiae, *Matth.* 28. et *Ioan.* 20. Item 1. *Ioan.* 1. lapsi post Baptismum non ad memoriam Baptismi, sed ad Poenitentiam remittuntur: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, et iustus Deus, ut remittat nobis peccata nostra.* Et *Act.* 8. *v.* 22. S. Petrus remittit Simonem Magum ad Poenitentiam, non vero ad memoriam Baptismi. 2° Ita docent Patres. Tertullianus *l. de poenit*: vocat *secundam post Baptismum spem*. S. Athanasius *l. de pecc. in Spirit. S.* ait: *Inter Baptismum et Poenitentiam non leve est discrimen.* S. Augustinus *l.* 2. *de adult. nupt. c.* 16. *Si a Catechumeno factum est homicidium, Baptismate abluitur*; *si a baptizato, Poenitentia et reconciliatione sanatur.* Hinc Tridentinum *Sess.* 14. *Can.* 2. *Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Poenitentiae Sacramentum esse dixerit, quasi haec duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.* 3° Ipsum autem discrimen idem Tridentinum *cap.* 2. assignat: 1. Quia Baptismus et Poenitentia habent diversam materiam et formam. 2. Diversum est in utroque subiectum. 3. Diversus minister. 4. Diversus effectus, uti ex sequentibus patebit. Poenitentia distinguitur a Baptismo

Schol. Protestantes videntes, peccatorem post Baptismum sine Sacramento Deo reconciliari vix posse, docent, memoriam Baptismi propter apprehensionem fidei peccata remittere. I. Quia illa verba *Ioan.* 20. *Quorum remiseritis, etc.* nonnisi praedicationem Evangelii, et Baptismum indicant. Hinc *Marc.* 1. *v.* 4. Ioannes dicitur praedicasse Baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum: et *ad Eph.* 5. *v.* 25. mundatio Ecclesiae Baptismo tribuitur. *Resp.* Illa verba de praedicatione Evangelii intelligi non possunt, quia evangelizans non potest praedicatione sua retinere auditorum peccata; imo per eam omnes a peccatis solvi deberent, quia omnes ad credendum excitat, nisi ipsi duri cordis fuerint. Baptismus Ioannis vocatur Baptismus poenitentiae, quia non conferebat vi propria Spiritum S. et S. Ioannes confluentes ad se hortabatur ad poenitentiam. Et S. Apostolus lavacro vitae tribuit omnem remissionem peccatorum Baptismum praecedentium; non vero eum subsequentium, nisi praesuppositive, quia per poenitentiam nemo nisi baptizatus mundatur. II. S. Augustinus *l.* 2. *de grat. c.* 39. docet, omnia peccata etiam post Baptismum dimitti per Baptismum: et S. Fulgentius *l.* 1. *de fide* vocat Baptismum Sacramentum fidei et poenitentiae: et Pelargus Dominicanus in Concilio Tridentino monuit, illa verba: *Quorum remiseritis, etc.* vix ab Solvuntur obiectiones.

ullo Patrum de Sacramento Poenitentiae, sed a nonnullis de Baptismo exponi. *Resp.* S. Augustinus remissionem peccatorum post Baptismum, illi ut dispositioni tribuit, et fundamento praesupposito. S. Fulgentius vocat Baptismum Sacramentum fidei et poenitentiae respectu Infidelium adultorum, non vero respectu lapsorum post Baptismum: falsum vero est, quod citata verba nullus Patrum de Sacramento Poenitentiae exposuerit: et si qui de Baptismo explicarunt, Sacramentum Poenitentiae non excluserunt. III. Licet in consecratione panis et vini sit diversa materia et forma, utraque tamen species ad idem Sacramentum pertinet: ergo etiam Baptismus et Poenitentia. *Resp.* Disparitas est, quod utraque species in Eucharistia significet eamdem unionem cum Christo, et referatur ad eamdem refectionem spiritualem et gratiam: at in Baptismo et Poenitentia est diversa gratia: illic spiritualis regeneratio; hic regeneratorum conciliatio.

Art. 2. *De tempore institutionis Sacramenti Poenitentiae.*

Christus Sacram. Poenitentiae post resurrectionem instituit.

§ 1054. Sacramentum Poenitentiae Christus immediate instituit, et praecipue quidem post Resurrectionem. Ita definit Tridentinum *Sess.* 14. *can.* 1. *Si quis dixerit... Poenitentiam non esse vere et proprie Sacramentum... a Christo D. N. institutum, anathema sit.* Cuius ratio est, quia Christus immediate instituit Confessionem et Absolutionem, *Ioan.* 20. uti ex sequentibus patebit: ergo Sacramentum Poenitentiae. Deinde idem Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 1. docet: *Dominus autem Sacramentum Poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens: Accipite, etc.* ubi ly *praecipue* denotat ultimum complementum Poenitentiae, seu potestatem clavium, per quam media Absolutione completur Sacramentum; unde non repugnat, quod iam ante Resurrectionem promissa, et quasi inchoata fuerit institutio Sacramenti Poenitentiae.

CAP. III.

De materia Sacramenti Poenitentiae.

Materia eius remota.

§ 1055. 1. Materia remota Sacramenti Poenitentiae non est peccatum originale: tum quia Sacramentum Poenitentiae distinguitur a Sacramento Baptismi (§ 1054.), quod ad deletionem culpae originalis ordinatur (§ 951.): tum quia Poenitentia est instituta per modum actus iudicialis, qui erga solos subditos, quales non sunt nondum baptizati, exerceri potest.

2. Sed materia remota sunt sola peccata actualia post Baptismum commissa, iuxta Tridentinum *Sess.* 14. *can.* 1. dicens, Christum instituisse Sacramentum Poenitentiae pro iis, qui post Baptismum lapsi sunt. Unde merito a Facultate Parisiensi reiecta est haec propositio: *Confessio valida est, deficientibus peccatis; potuit ergo Beatissima Virgo, licet nec contritionem habuerit, nec ullum vel levissimum peccatum, B. Ioanni confiteri.* Ratio est, quia actus poenitentis, uti Contritio,

Confessio et Satisfactio, circa peccata actualia post Baptismum commissa versantur.

3. Et quidem peccata mortalia sunt materia necessaria, qnia iuxta Tridentinum *Sess.* 14. *c.* 5. et *can.* 7. omnia mortalia in Confessione necessario snnt declaranda, nec alio remedio deleri possunt, uti suo loco ostendetur. Peccata vero venialia sunt quidem materia snfficiens, tum quia Tridentinum loc. cit. morem confitendi venialia velut rectum et utilem approbat, qui citra omnem praesumptionem retineri potest: tum qnia venialia sunt vera peccata, ideoquo clavibus Ecclesiae subiici possunt: snnt tamen materia libera, quia iuxta idem Tridontinnm taceri citra culpam, mnltisque aliis remediis cxpiari possnnt.

§ 1056. Materia seu qnasi materia proxima Sacramenti Poenitentiae, sunt Contritio, Confessio et Satisfactio. Ita 1° Florentinum in Decret. *Quartum Sacramentum est Poenitentia, cuius quasi materia sunt actus poenitentis, qui in tres distinguuntur partes: quarum prima est cordis Contritio... secunda est oris Confessio: tertia Satisfactio pro peccatis.* Et Trident. *Sess.* 14. *cap.* 4. *Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam Sacramenti Poenitentiae, videlicet Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem, quae tres Poenitentiae partes dicuntur... anathema sit.* Particnla illa, *quasi materia,* innuit, materiam in Poenitentia non esse quid physicum, sicnt aqna in Baptismo, sed quid morale. 2° Probatio, quae hic ex S. Scriptura et PP. peti posset, dabitur, cum de singulis his partibns in specie sermo erit. Unde breviter dogmatis ratio in eo consistit, qnod Sacramentnm Poenitentiae sit institntum per modnm iudicii, qno peccator per Sacerdotis sententiam Deo reconciliatur; ad quod requiritur Dolor de peccatis, eorum Confessio, et Satisfactio pro ininria Deo illata. Materia proxima

Schol. 1. Lutherus duas tantum Poenitentiae partes assignat, scilicet, terrores conscientiae per verbum veteris Legis incussos, et fidem confidentialem ex Evangelio et Absolntione conceptam (t. 1. § 375. Schol. 1.). Quos terrores conscientiae Lutherani recentiores Contritionem appellant Calvinns vero *l.* 3. *Inst.* *c.* 3. item duas Poenitentiae partes assignat, scilicet, mortificationem vitiorum, seu sui abnegationem; et vivificationem, seu pium pie vivendi stndinm, et affectum ad bona opera. Sed imprimis S. Scriptura terrorem a Poenitentia distinguit: 2. *ad Cor.* 7. *Quae secundum Deum est tristitia, poenitentiam in salutem stabilem operatur.* Item distinguit a fide: *Marc.* 1. *Poenitentiam agite, et credite Evangelio.* Deinde terrores hi; et fides Poenitentiam antecedunt, et sine ea esse possunt. Deniqne mortificatio et vivificatio Poenitentiam modo consequnntur, vel maxime in sensu Calvini, qnia sunt fructus fidei iustificantis. Hinc recte Tridentinum *Sess.* 14. *can.* 4. *Si quis dixerit, duas esse tantum Poenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel Absolutione, qua credit* Solvuntur obiectiones.

quis, sibi per Christum remissa esse peccata, anathema sit. Non obstat I. quod *Is*. 1. dicatur: *Quiescite agere perverse, discite benefacere*. Et *Ps*. 34. *Declina a malo, et fac bonum*. *Resp*. Isaias Contritionem iam supponit; praemisit enim: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*. Imo aperte contra Calvinum Poenitentiam ante iustificationem ponit, quia post citata verba subdit: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, sicut lana alba erunt*. Declinare a malo, et facere bonum, iustorum est; Poenitentia, peccatorum, quae nunquam per illa verba in S. Scriptura describitur. II. Iudas Contritionem, Confessionem et Satisfactionem habuit, nec tamen vere poenituit. *Resp*. Contritio Iudae fuit sine spe veniae, Confessio sine dolore, Satisfactio sine animo reparandi iniuriam Deo illatam, adeoque nullam Poenitentiae partem habuit.

An impositio manus sit materia?

Schol. 2. Nonnulli tempore S. Thomae docuerunt, manuum impositionem esse materiam proximam et essentialem Sacramenti Poenitentiae. Verum cum neque S. Scriptura, neque Concilium Tridentinum manus impositionis in Sacramento Poenitentiae meminerint, cumque haec olim etiam a Diaconis facta fuerit, Sacramentalis esse non potuit. Nec officit, quod moribundo, qui dolorem et peccata per signa manifestare non potest, detur Absolutio, ubi nil nisi manus impositio pro materia assignari potest. Nam in hoc casu vita Christiana praeterita, de qua constare debet, eiusque professio, materiae locum et vices tenet.

Quaenam sint partes essentiales?

Schol. 3. An Contritio, Confessio, et Satisfactio simul et singulae sint partes essentiales Sacramenti Poenitentiae, disputant Scholastici. Scotus *in* 4. *d*. 14. *q*. 4. docet, totam rationem Sacramenti Poenitentiae consistere in sola Absolutione; Contritionem vero et Confessionem esse quidem necessaria ad effectum Sacramenti, non tamen proprie esse eius partes. Durandus *in* 4. *d*. 16. *p*. 1. vult, solam Confessionem esse partem essentialem materialem Sacramenti Poenitentiae; Contritionem vero dispositionem; et Satisfactionem fructum illius. Paludanus denique Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem ex aequo vult esse partes essentiales Sacramenti Poenitentiae. Dicendum videtur, Contritionem, Confessionem, et Absolutionem esse partes essentiales Poenitentiae, sicuti et Satisfactionem in voto et proposito, quia sine his non consistit Sacramentum Poenitentiae. Satisfactio vero actualis est tantum pars integralis, quia sine illa valet Absolutio poenitenti contritio et confesso data, ut ex dicendis patebit. Hinc in Sacramento Poenitentiae gratia remissiva peccati est res Sacramenti tantum: aggregatum ex actibus poenitentis et Absolutione, est Sacramentum tantum: res et Sacramentum simul potest dici Contritio, quae partim significat gratiam remissivam peccati, partim ab actibus externis poenitentis accusantis se de peccatis significatur. Nec dicas I. In Poenitentia sola Absolutio, non vero actus poenitentis gratiam causant; alias poenitentibus potestas remittendi peccata collata foret: ergo sola Absolutio est pars essentialis. *Resp*.

Etiam actus poenitentis gratiam sibi confert dispositive, praeparando se ad illam, non vero effective, ministrando Sacramentum. II. Solus Sacerdos peccata dimittit, et formam Sacramenti profert: ergo etiam materiam ponere debet. *Resp*. Solus Sacerdos concurrendo active ad unionem formae cum materia peccata dimittit, cum e contra poenitens materiam solum subministret: certe in re Sacramentaria opus non est, ut forma et materia sint ab eodem, sicuti etiam in physicis agens dicitur causa compositi, licet solam formam inducat.

CAP. IV.

De Contritione.

§ 1057. Prima igitur pars Sacramenti Poenitentiae est *Contritio*, quae, si in genere spectetur, est dolor animi ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de caetero. Ita Trid. *Sess*. 14. *cap*. 4. Quod si addas: et volo praestare omnia, quae requiruntur ad rite percipiendum Sacramentum Poenitentiae; habetur definitio Contritionis Evangelicae Legis propria. Dicitur autem 1° *dolor animi*, seu tristitia orta ex offensa Dei: quae in voluntate, non vero in sensu consistit, licet hic ex illo subinde oriatur. Dicitur 2° *detestatio de peccato commisso*, quia iuxta Tridentinum est odium peccati. Dicitur 3° *cum proposito non peccandi de caetero*, quia sincera Poenitentia debet excludere omnem affectum ad peccatum. Contritio quid?

Schol. 1. Contritio a *contero* dicitur, quia duritiam cordis et voluntatis humanae tollit, et peccatum delet. Contritio a Theologis dividitur in *perfectam*, quae etiam simpliciter Contritio dicitur; et est dolor de peccatis propter Deum super omnia dilectum: et in *imperfectam*, quae dicitur *Attritio*; et est dolor de peccatis ex aliquo motivo honesto, quod non est Deus, quatenus in se est summum bonum: quae iterum duplex est: una oritur ex metu gehennae et aliarum poenarum: altera ex peccati foeditate; ita docet Trid. *Sess*. 14. *cap*. 4. Ad hanc Attritionem reliquae eius species revocantur; nam dolor de peccato, prout est contra rectam rationem, vel aliam quamcumque virtutem, est species detestationis peccati propter eius foeditatem. Illa vero Attritio, quae habetur ob amorem vitae aeternae, reducitur ad eam, quae oritur ex metu poenarum. Metus autem hic, seu timor, quadruplex est, scilicet: mundanus, servilis, filialis, initialis, de quo vide § 574. Schol. et seq. Quotuplex?

Schol. 2. Quaerunt Scholae, in quonam ratio essentialis Contritionis in genere consistat. Caietanus putat, essentialiter consistere in actu odii, ita ut dolor tantum propria eius passio sit. Conink vero eam tam in actu odii, quam doloris essentialiter consistere docet. Melius dicitur, quod Contritio in genere in dolore de peccato, prout est offensa Dei, et praesuppositive solum in odio et detestatione peccati consistat; nam actus, quo homo conteritur, et Deo satisfactionem exhibet, debet aliquid auferre ab homine, et Deo In quo consistat?

tribuere, a quo per peccatum honorem, in quantum potuit, abstulit: sed hoc non fit per odium peccati, per quod homo nullum malum patitur, sed per dolorem, quo malum poenae, seu tristitiam tolerat: ergo in dolore essentialiter formaliter, et quia nemo dolet, nisi de malo, quod displicet, in odio praesuppositive Contritio in genere consistit.

Art. I. *De necessitate, et qualitatibus contritionis ad delenda peccata.*

Contritio in genere requiritur ad delenda peccata

§ 1058. Contritio in genere est necessaria ad delenda peccata sive in, sive extra Sacramentum Poenitentiae. 1° *Ezech.* 18. *v.* 30. *Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris. Luc.* 13. *v.* 3. *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* 2° Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 4. ait, *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum Contritionis motum fuisse necessarium.* Et 3° ratio est: quia de iure naturali est, ut aliquis poeniteat de malis, quae fecit.

Etiam venialia.

Schol. Etiam ad remissionem peccatorum venialium in, seu extra Sacramentum Poenitentiae requiritur aliquis actus Poenitentiae Contritionis; nam etiam peccatum veniale causat aliquam deordinationem in voluntate hominis, saltem circa media ad ultimum finem conducentia, per immoderatam conversionem ad bonum creatum, quae non potest expelli, nisi per actum retractationis Poenitentiae sibi contrarium.

Qualis debeat esse contritio!

§ 1059. Ut autem Contritio ad delenda peccata sit sufficiens, debet 1° esse *libera* iuxta Tridentinum *Sess.* 14. *can.* 5. definiens: *Si quis dixerit, eam Contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem, et detestationem peccatorum . . . esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium; anathema sit.* Ratio est: quia actus a Deo praeceptus, et disponens ad veniam peccatorum obtinendam liber esse debet: sed talis est Contritio (§ 1058.). Ergo libera esse debet.

Supernaturalis

2° Debet esse *supernaturalis*, ex eodem Tridentino *Sess.* 6. *can.* 3. *Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus S. inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur; anathema sit.* Probant hoc contra Pelagianos expressa S. Scripturae testimonia. *Ps.* 84. *Converte nos, Deus salutaris noster. Luc.* 22. *Conversus Dominus respexit Petrum*, et Contritionem in eo excitavit. Ergo ratione auxilii seu gratiae Divinae Contritio supernaturalis esse debet (t. 1. § 350.). Item ratione motivi, supernaturalis esse debet, id est, vel ex motivo amoris Dei, ut Auctoris supernaturalis super omnia, vel ex metu poenarum fide supernaturali creditarum procedere debet; alias enim non esset detestatio et tristitia de peccato, prout est offensa Dei. Distingui tamen debet motivum Poenitentiae ab occasione, qua quis ad Contritionem excitatur; nam multi ex morbo etc. ad veram et supernaturalem Contritionem moventur.

Vera et sincera.

3° Contritio debet esse *vera* et *sincera*, scilicet ex intima voluntate procedens, et ab omni affectu ad peccatum aliena; nam *Matth.* 3. *v.* 8. iubemur dignos Poenitentiae fructus facere.

Magna et summa.

4° Debet esse *magna* et *vehemens*, saltem appretiative, ita ut quis malit rerum omnium dispendium pati, quam Deum offendere (§ 596. Schol. 1.): et *summa extensive*, ita ut ad omnia peccata saltem mortalia se extendat, quia unum sine alio deleri nequit.

An explicitum propositum non peccandi requiratur?

Schol. Quaeritur in Scholis, an ad veram Contritionem formale et explicitum propositum non peccandi de caetero requiratur, an vero virtuale, et implicitum sufficiat. *Resp.* Requiri propositum explicitum. Nam 1. *Ezech.* 18. dicitur: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis . . . et custodierit omnia praecepta mea, vita vivet.* Ubi custodia mandatorum omnium, non ad actualem eorum observantiam solum, sed ad propositum ea servandi refertur, cum uno die omnia observari non possint. 2. Florentinum et Tridentinum (§ 1057.) propositi expresse in Contritione meminerunt: ergo implicitum non sufficit. 3. Sicuti peccati detestatio propositum non peccandi implicitum includit; sic propositum non peccandi detestationem peccati involvit. Ergo sicuti propositum non peccandi sine detestatione explicita non sufficit, ita nec detestatio sine explicito proposito non peccandi. Non obstat I. quod David 2. *Reg.* 12. Ninivitae, et filius prodigus peccatum solum detestando iustificati sint, quia dolor propositum includit. *Resp.* David propositum suum explicitum ostendit in Psalmis, ubi ait: *Dixi: nunc coepi.* Ninivitae, et filius prodigus veniam postularunt: ergo propositum expressum non peccandi habuerunt. Certe dolor explicitus de peccatis propositum explicitum post se trahit. II. Sola detestatio offensae apud homines meretur veniam sine proposito expresso: ergo etiam apud Deum. quia aliquis tam intense dolere potest, ut ne quidem de futuro cogitet, sicuti Latro in cruce. *Resp.* Homines ignoscunt, quia propositum in offendente supponunt. Dolor intensus sine proposito non videtur esse possibilis, quod certe etiam poenitens Latro habuit.

ART. II. *De contritione perfecta.*

Contritio Deo reconciliat ante Sacramentum

§ 1060. Contritio perfecta hominem Deo reconciliat, antequam Sacramentum Poenitentiae actu percipiatur. Probatur 1° 2. *Reg.* 12. Dicente David: *Peccavi Domino*, Propheta Nathan subito intulit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Unde S. Gregorius *in Ps.* 31. *Ante remissio ad cor pervenit, quam confessio in vocem erumpat.* Et *Luc.* 7. Christus S. Magdalenae ait: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et 1. *Petr.* 4. *v.* 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Ubi semper Charitati, et Contritioni tribuitur vis purgandi peccata. 2° Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 4. docet, *Contritionem aliquando charitate perfectam esse, et hominem Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur: ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in*

illa includitur, non esse adscribendam. Deinde damnata est haec Baii propositio 70. *Per contritionem etiam cum charitate perfecta, et cum vero voto percipiendi Sacramentum, non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut Martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.* 3° In Lege Veteri Contritio perfecta delebat peccata, uti patet ex citato exemplo Davidis: sed gratia Evangelii Contritioni nihil detraxit: ergo etiam in Nova delet.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 1. Kemnitius *p.* 2. *Exam. p.* 960. reprehendit eos, qui Contritioni remissionem peccatorum tribuunt, ante Absolutionem. Et Michael Baius docuit, charitatem perfectam in Catechumenis et poenitentibus esse posse sine remissione peccatorum. I. Quia *Luc.* 7. S. Magdalena prius Deum dilexit, antequam remissionem peccatorum obtinuit; nam dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit*, non vero *diligit multum.* Hinc S. Augustinus *serm.* 99. *Accessit immunda, ut rediret munda.* Et S. Paulus, licet Deum diligeret, ante Baptismum tamen veniam peccatorum non obtinuit: *Act.* 22. *v.* 16. *Exurge, et baptizare, et ablue peccata tua. Resp.* Mulier illa prius natura, quam tempore dilexit: et quando Christus dixit: *Remittuntur ei peccata multa,* non primo veniam concessit, sed iam datam confirmavit, et publice declaravit. S. Augustinus ait, eam accessisse immundam, quia paullo ante immunda fuit, vel quia palam habebatur peccatrix, licet interius a peccatis mundata fuerit. S. Paulus, licet iam per charitatem mundatus fuerit, praeceptum tamen suscipiendi Baptismum implere debuit: nec Contritio iustificat, nisi quatenus votum Sacramenti includit. II. Tridentinum *Sess.* 6. *c.* 6. inter dispositiones ad Baptismum necessarias amorem ponit: ergo supponit, per eum hominem Deo non reconciliari. Et S. Augustinus *l.* 1. *de div. quaest. q.* 2. agnoscit in Cornelio *Act.* 10. fuisse charitatem, quae tamen sine Sacramento non sufficit *ad obtinendum regnum coelorum.* Et *tr.* 13. *in Ioan.* ait, Catechumenum quantumcumque proficientem, sarcinam adhuc iniquitatis portare. *Resp.* Tridentinum supponit amorem Dei imperfectum, qui est amore charitatis inferior. S. Augustinus Cornelium sine Baptismo non potuisse salvari docuit, quia mandatum Dei transgressus esset, adeoque perfectam charitatem non habuisset. Et in altero loco loquitur de Catechumeno, Baptismi susceptionem contemnente, vel negligente, et suae sanctitati confidente, uti patet ex contextu. III. Si per charitatem remittuntur peccata, non opus est Confessione et Absolutione: et Sacramentum peccata non aufert, et sic frustra recipitur. *Resp.* Sacramentum in hoc casu gratiam auget, et poenam temporalem saltem ex parte in Poenitentia remittit; et talis non haberet perfectam charitatem, si praeceptum Sacramenti implere nollet.

Contritio perfecta extra Sacramentum Deo hominem *Schol.* 2. Contritio perfecta non tantum in casu necessitatis, sed ordinarie hominem Deo reconciliat ante perceptum actu Sacramentum, uti patet ex Tridentino citato, de quo refert Pallavicinus *l.* 12. *c.* 10. Patribus Tridentini adeo persuasum fuisse, virtutem hanc inesse Con-

tritioni perfectae, ut paratus esset Canon, quo definiretur, veritatem hanc fide Divina credendam esse, nisi Archiepiscopus Calaritanus exposuisset, huiusmodi quaestionem pertinere ad controversias Scholae, in qua graves Doctores, uti Adrianus et Caietanus docent, Contritionem perfectam extra Sacramentum non iustificare, nisi in casibus extraordinariis, uti in articulo mortis, ubi non habetur copia Confessarii; unde a damnatione sententiae contrariae S. Synodus abstinuit. Contra quam etiam pugnat ipsa ratio; quippe iuxta hanc Contritio sufficit ad delenda peccata in articulo mortis: sed hanc virtutem praecise non habet ex articulo mortis: ergo ex propria sua perfectione. Ergo ordinarie extra Sacramentum actu perceptum iustificat. Deinde Ecclesia permittit, ut fideles conscii sibi peccati mortalis accedant ad Sacramenta vivorum, excepta Eucharistia, de qua tamen permittit, in casu necessitatis, dummodo praemittant actum Contritionis. Et Pontifices concedunt Indulgentias subinde contritis et non confessis. Ergo, cum haec statum gratiae supponant, signum est, Contritionem extra Sacramentum iustificare. Non obstat I. quod Tridentinum Confessionem ad Sacramentum Eucharistiae requirat. Et S. Augustinus *l.* 12. *de Civ. c.* 9. docet, charitatem esse bonam voluntatem, quae etiam ante remissionem peccatorum haberi potest. *Resp.* Confessio ante SS. Eucharistiam praecipitur ad maiorem cautelam et reverentiam. S. Augustinus vero loquitur de bona voluntate plena, et perfecta, id est, tam magna, ut possit implere Divina praecepta. II. Idem S. D. reprehendit Pastores in persecutione fugientes; quod non faceret, si fideles ope Contritionis salvari possent. *Resp.* Iusta est reprehensio, quia Contritio est difficilis, et incertum est, an homo eam habeat. reconciliat.

Art. 3. *De necessitate Contritionis perfectae ad Sacramentum Poenitentiae.*

§ 1061. Cum Contritio perfecta iustificet extra Sacramentum Poenitentiae (§ 1060.), ideo non est dispositio necessaria ad Sacramentum Poenitentiae. Ita colligitur 1° ex prop. 55. Baii damnata: *Peccator poenitens non vivificabitur ministerio Sacerdotis, sed a solo Deo, qui poenitentiam suggerens et inspirans vivificat eum, et resuscitat: ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur.* Et facultas Parisiensis anno 1638. censuit, contrariam sententiam esse quietis animarum perturbativam, communi et omnino tutae praxi Ecclesiae contrariam, efficaciae Sacramentorum immunitivam, et insuper temerariam, et erroneam. 2° Sacramentum Poenitentiae per se institutum est ad suscitandos homines a morte peccati. Ergo ex institutione sua habet vim conferendi primam gratiam, et expellendi peccatum, adeoque illud per Contritionem perfectam remissum non supponit. Contritio perfecta non est necessaria ad Sacramentum Poenitentiae.

Schol. 1. Multi Theologi tum ante Concilium Tridentinum, uti Magister Sententiarum *in* 4. *d.* 17. B. Albertus M. S. Bonaventura: tum in Concilio Tridentino, uti Ioannes Æmilianus: tum post Tridentinum, uti Medina etc. docent, Contritionem perfectam esse dis- Solvuntur obiectiones.

positionem necessariam ad Sacramentum Poenitentiae. Hanc sententiam non damnavit Tridentinum; uam *Sess.* 6. *c.* 6. pro dispositione ad iustificationem requirit quidem, ut disponentes se ad iustitiam, Deum tamquam omnis iustitiae fontem diligere incipiant; sed non definit, qualis amor, an perfectus, an imperfectus requiratur: nec constat, an Concilium loquatur de dispositione necessaria in, vel extra Sacramentum: nec Concilium aliquid de hac re definit *Sess.* 14. *can.* 4. ubi requirens ad Sacramentum Poenitentiae Contritionem, de Contritione in genere loquitur: nec *cap.* 4. *cit. Sess.* aliquid determinat, ubi solum dicit, Contritionem perfectam extra Sacramentum hominem Deo reconciliare, et hanc reconciliationem non esse adscribendam Contritioni sine voto Poenitentiae Sacramenti, quod in ea includitur, nihil decernendo, an Contritio perfecta sit dispositio ad Sacramentum necessaria. Ergo clara definitio Concilii non habetur, licet nostra sententia communis inter Theologos ex verbis Concilii eruatur. Nec dicas I. Apostolus 1. *ad Cor.* 13. *v.* 1. ait: *Si charitatem non habeam, nihil sum. Resp.* S. Paulus loquitur de charitate habituali ad merendum requisita, vel si cum de charitate actuali intelligas, loquitur de iustificatione extra Sacramentum. II. Omne peccatum charitati contrariatur: ergo ad illud delendum in Sacramento charitas requiritur. *Resp.* In Sacramento sufficit charitas imperfecta, extra illud perfecta requiritur, non quia omne peccatum charitati opponitur, sed quia alia causa, Deum ad gratiam sanctificantem dandam movens, non datur.

An in articulo mortis requiratur Contritio?

Schol. 2. Etiam in articulo mortis non tenetur quis ad eliciendam Contritionem perfectam, si possit suscipere Sacramentum Poenitentiae, vi praecepti Poenitentiae, ex modo dictis; tenetur tamen ad Contritionem perfectam eliciendam ex vi praecepti charitatis, quod obligat in articulo mortis, et quae sine perfecta Contritione esse nequit; et quia in illo puncto, ex quo pendet aeternitas, tenetur sibi optimo modo consulere, ut, si forte ex aliquo defectu Sacramentum valide non suscipiat, saltem per Contritionem perfectam iustificetur.

Art. 4. *De attritione.*

Attritio quid?

§ 1062. Attritio est dolor imperfectus, qui vel ex turpitudine peccati, vel ex gehennae metu concipitur, communiter cum spe veniae, et excludens peccandi voluntatem. Ita Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 4. Dicitur 1° *dolor*, et quidem supernaturalis. 2° *Imperfectus* non in sua specie, sed comparate ad dolorem Contritionis perfectae. 3° *Qui concipitur ex consideratione turpitudinis peccati*, prout iustitiae pulchritudini opponitur, 4° *Cum spe veniae, et proposito non peccandi*, ut distinguatur a Poenitentia infructuosa, et coacta. 5° *Communiter*, quia Attritio etiam ex aliis motivis concipi potest.

Attritio in quo Contritione differat?

Schol. Quaeritur, in quo Contritio perfecta ab Attritione distinguatur. *Resp.* Nonnulli discrimen statuunt in eo, quod Contritio sit ex motivo charitatis Dei super omnia; non vero Attritio. Verum tum S.

Scriptura *Matth.* 22. *v.* 36. tum Patres, S. Augustinus *l.* 10. *Confess. c.* 29. et S. Thomas 3. *p. q.* 86. *a.* 3. nullum alium amorem Dei, quam qui est super omnia, cognoscunt: cuius ratio est, quia implicat Deum diligi, et non diligi super omnia; si enim aliquid ipsi praefertur, non diligitur. Alii specificam distinctionem Contritionis perfectae ab Attritione desumunt ex intensione et remissione gradus dilectionis, ita ut Contritio perfecta sit summa intensive, saltem comparate ad alias res, quas amamus; Attritio vero sit ex charitate in gradu remisso: verum nullus determinatus gradus ad essentiam charitatis et Contritionis perfectae requiritur, sed in quocumque gradu etiam remisso potest esse essentialiter perfecta Contritio par homini iustificando; tum quia nec S. Scriptura, nec SS. Patres certi gradus intensionis meminerunt, sed Contritioni et charitati absolute vim purgandi peccata tribuunt: tum quia hic gradus intensionis assignari non potest, utpote iuxta hanc sententiam soli Deo cognitus, et sic maxima esset scrupulorum occasio, cum tamen charitas in gradu etiam remisso sit vera charitas. Quare distinctio specifica Contritionis perfectae ab Attritione petenda est ex distinctis specie motivis formalibus charitatis et spei, ita ut amor Dei perfectus, seu Contritio perfecta sit, quae elicitur ex motivo proprio charitatis Dei, quatenus in se absolute bonus est: Attritio vero, quae elicitur ex amore imperfecto, seu ex motivo formali spei, quatenus Deus nobis bonus est, nostra beatitudo absens, ardua et obtentu difficilis; hoc enim modo amor Dei ex motivo proprio charitatis distinguitur essentialiter ab amore elicito ex amore spei: et sicuti charitas perfectior est spe, et iustificat hominem, non vero spes; ita amor charitatis est perfectior amore spei, et ille, non vero hic, hominem iustificat. Hanc distinctionem expresse assignat S. Thomas 2. 2. *q.* 17. *a.* 8. Quod si ergo S. D. alibi dicat, charitatem esse amorem Dei, quo diligitur ut obiectum beatitudinis, loquitur de beatitudine ut obiecto, non vero ut motivo charitatis formali, sed improprie dicto, prout est dispositio, per quam homo ad veram perfectam charitatem praeparatur. Non obstat I. quod S Bernardus *ep.* 11. neget, Deum in hac vita tantum diligi propter Deum: imo Quietistae damnati sunt, dicentes, Iustum extincto penitus beatitudinis suae desiderio Deum amare posse (§ 373.). Ergo in omni charitate hoc desiderium includitur. *Resp.* S. Bernardus assignat causam moventem ad diligendum Deum esse, quia nobis bonus est, non vero motivum formale proprium charitatis. Quietistae vero ideo damnantur, quia Deum ita diligi volunt, ut exercitium aliarum virtutum fidei et spei excludant; homo enim non potest quidem se spoliare naturali desiderio beatitudinis explicite et implicite; potest tamen explicite, quia ob absolutam obiecti bonitatem operari potest. II. Deus per charitatem diligitur ut beneficus: sed sic amari non potest sine respectu boni, quod ex eo speramus: ergo amor spei in amore charitatis necessario includitur; et quia iuxta S. Augustinum castus est, perfectus erit. *Resp.* Deus diligitur ut beneficus

ratione principii, quatenus omnes perfectiones continet, non vero ratione termini, seu ratione boni, quod ex Divina beneficentia in nos redundat; hoc enim spectat ad spem, non vero ad charitatem. Amor spei castus est, sed non est amor perfectae charitatis.

Art. 5. *De bonitate attritionis.*

Attritio bona est. § 1063. Attritio concepta ex timore poenae aeternae, quo peccatores ad fugam peccati, et Poenitentiam moventur, bona est, laudabilis et donum Dei; unde non semper adiunctam habet peccandi voluntatem conditionatam, et saltem implicitam, nec peccati etiam omissionis reus est, qui ita timet. Nam 1° hoc docet S. Scriptura, *Eccl.* 2. *v.* 19. *Qui timent Dominum, praeparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas, et patientiam habebunt usque ad inspectionem eius, dicentes: si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini.* Et *Matth.* 10. *Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* 2° Ita tenent Patres: Tertull. *l. de poen. c. ult. Si de Exomologesi retractat, gehennam ex corde considera.* Plura vide § 578. Hinc Tridentinum *Sess.* 14. *can* 5. *Si quis dixerit, eam Contritionem, quae paratur per discussionem... ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis, et aeternae damnationis incursum cum proposito... facere hominem hypocritam et magis peccatorem: demum illam esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium; anathema sit.* Et Alexander VIII. anno 1690. damnavit has propositiones: *Timor gehennae non est supernaturalis. Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.* Et Clemens XI. inter alias propositiones Quesnelli hanc damnavit: *Si solus supplicii timor animat poenitentiam, quo haec est magis violenta, eo magis ducit ad separationem.*

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Lutherus docuit, Attritionem ex metu gehennae ortam facere hominem hypocritam et magis peccatorem: Baius item, Iansenius et Quesnellus docent, eam esse vitiosam, et verum peccatum omissionis, quia non fit ex motivo charitatis, ex quo omnia opera nostra fieri debent: nec excludere voluntatem peccandi. I. Quia non fit ex corde, eo ipso, quod non fiat ex charitate; nam *perfecta charitas foras mittit timorem:* 1. *Ioan.* 4. *v.* 18. *Resp.* Charitas solum requiritur, ut meritorium sit opus: sine ea tamen bonum et utile esse potest (§ 615.). Deinde charitas foras mittit timorem serviliter servilem, non vero servilem simpliciter (§ 578. Schol. 2.). II. Timor servilis inordinatus est, quia magis poenam, quam culpam tenet, nec excludit peccandi voluntatem, uti docet S. Augustinus *ep.* 145. *Resp.* Timor serviliter servilis absolute malum culpae malo poenae posponit: timor autem servilis simpliciter malum poenae malo culpae non praefert; nam actus doloris de culpa propter poenam non impedit, quin homo propter offensam Dei magis possit detestari culpam, quam poenam. S. Augustinus loquitur de timore serviliter servili. III. Pec-

cat, qui diligit Deum propter aliud: ergo etiam qui timet propter aliud scilicet poenam. *Resp.* Disparitas est, quia obiectum amoris bonum est, et timoris malum: Deus autem in se bonus est: ergo propter se diligi debet; non vero est malus in se, sed tantum in poenis, quibus malos iuste affligit, adeoque propter aliud timendus est.

Art. 6. *De attritione quoad Sacramentum Poenitentiae, et de necessitate, et qualitate amoris.*

§ 1064. Attritio de peccato propter metum gehennae, iacturam aeternae beatitudinis, turpitudinem peccati, aut ex motivo Religionis etc. non sufficit, ut extra Sacramentum aliquis iustificetur; quia sine Sacramento nonnisi per perfectam charitatem homo se ad Deum convertit, a quo per peccatum mortale se avertit. Hominem tamen ad Dei gratiam in Sacramento Poenitentiae impetrandam disponit. Ita Trident. *Sess.* 14. *cap.* 4.

Attritio ad Sacramentum disponit.

Schol. 1. Quaeritur, an Attritio ad Sacramentum Poenitentiae tamquam dispositio requisita aliquem amorem includere debeat, et qualis hic amor esse debeat. Qui cum Magistro Sententiarum perfectam Contritionem ad Sacramentum requirunt, ii procul dubio amorem Dei super omnia ex perfecta charitate necessarium esse arbitrantur. Alii cum Cano etc. volunt, sufficere ad gratiam in Sacramento recipiendam, Attritionem vel ex turpitudine peccati, vel ex metu gehennae conceptam, quae voluntatem peccandi excludat, sine ullo amore etiam initiali. Ubi notandum est, Concilium Tridentinum in hac controversia nihil definivisse, quia non determinat, an Attritio ex metu gehennae concepta proxime, aut remote ad Sacramentum disponat: hinc refert Pallavicinus *l.* 12. *c.* 10. *in c.* 4. *Sess.* 14. verbum, *disponit*, positum fuisse loco verbi *sufficit*, postquam Ioannes Æmilianus Tudetanus Antistes monuisset, falso dici, huiusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse; et quod talis Attritio sine amore sufficiat ad Sacramentum Poenitentiae, variare Auctorum sententias. Imo Alexander VII. a. 1667. decreto suo prohibuit, ne quis audeat alicuius Theologicae censurae, alteriusve iniuriae, aut contumeliae nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem alicualis dilectionis Dei in praefata Attritione ex metu gehennae concepta, sive asserentem dictae dilectionis necessitatem, donec a S. Sede fuerit aliquid desuper definitum. Quo supposito, nobis probabilius esse videtur, quod Attritio ad Sacramentum Poenitentiae requisita saltem initialem Dei amorem includere debeat, quo poenitens Deum diligere incipit, tamquam fontem omnis iustitiae. Nam 1. Sacra Scriptura in omni vera conversione et Contritione exigit conversionem peccatoris ad Deum: *Ioel.* 2. *Convertimini ad me.* Sed haec sine amore Dei saltem imperfecto in Attritione haberi nequit: ergo amor ille requiritur. 2. Amorem communiter PP. requirunt in omni Contritione, adeoque etiam in Attritione. S. Cyprianus *de lapsis* ait: *Confiteantur, et ad Dominum toto corde convertantur.* S. Augustinus

An Attritio sine amore sufficiat?

serm. 7. *de temp. Poenitentiam certam non facit, nisi odium peccati, et amor Dei.* S. Gregorius *in* 1. *Reg.* 13. ait: *Salubriter confiteri volentibus Scriptura insinuat, dicens: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Quid est corde credere ad iustitiam, nisi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem?* S. Chrisologus *serm.* 94. *Absolvi vis? ama: charitas operit multitudinem peccatorum.* S. Thomas *l.* 4. *contr. gent. c.* 72. *Mens nostra ad Deum debite converti non potest sine charitate.* S. Bonaventura *in* 4. *d.* 17. *q.* 4. *ad* 4. *Ad illud, quod obiicitur de Attritione, dicendum, quod nemo recipit effectum, nisi charitatem habeat, saltem in principio Confessionis, vel in medio, vel in fine.* 3. Tridentinum *Sess.* 6. *c.* 6. requirit, ut praeparantes se ad iustificationem *Deum tamquam omnis iustitiae fontem diligere incipiant;* quae verba, teste Pallavicino *l.* 8. *c.* 13. primo quidem in Decreto omissa fuerunt, sed postea addita ad instantiam multorum Theologorum dicentium, si Poenitentia tota foret ex timore sine amore iustitiae, et non propter offensam Dei, eam esse infructuosam. Quare ex verbis Tridentini et toto contextu colligitur, quod de dispositione ad iustitiam etiam in Sacramento recipiendam, amorem saltem initialem requirat, licet hoc non definiverit. Rursus Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 4. Contritionem vel Attritionem ad Sacramentum requisitam vocat dolorem de peccato, et detestationem: sed hic dolor et detestatio sine amore saltem initiali esse non potest, tum quia odium peccati nascitur ex amore Dei, tamquam boni illi contrarii: tum quia debet excludere voluntatem peccandi, et includere firmum melioris vitae propositum, adeoque averti a creatura et converti ad Deum, eumque omnibus rebus anteponere, et proponere observare omnia mandata, quorum primum est amor Dei: ergo amorem initialem includit. Dices I. Concilium non meminit amoris initialis: dicit, Attritionem ad Dei gratiam in Sacramento percipiendam disponere, et quidem proxime, quia loquitur de ea dispositione, quam extra Sacramentum non habet; adeoque extra illud solum remota est: dicit, esse donum Dei, et Spiritus S. impulsum; adeoque est ultima ad gratiam dispositio in Sacramento. Denique nullum charitatis actum supponit, quia Contritionem conceptam ex metu gehennae opponit illi, quae ex charitate proficiscitur, et ad instantiam Episcopi Tudetani illa verba: *Cum sine aliquo dilectionis in Deum motu vix esse queat,* in Decreto deleta sunt. *Resp.* Concilium ideo dilectionis expresse non meminit, ne videatur controversiam Scholasticam dirimere; satis tamen ex eius verbis eruitur. Item loquitur de dispositione remota, quam contra Lutherum docet esse actum liberum et utilem; adeoque non opponit Attritionem in Sacramento illi extra Sacramentum. Item quando Attritionem ex motu gehennae illi opponit, quae ex charitate proficiscitur, excludit quidem amorem perfectae charitatis, non vero amorem quemcumque alium. Verba citata deleta ostendunt solum. Attritionem servilem, quae bona est, posse subinde a charitate divelli; non vero, illam a charitate initiali seiunctam, esse

dispositionem sufficientem et proximam ad gratiam in Sacramento impetrandam. II. Timor servilis bonus est, et utilis ad expellendum peccatum: et SS. Patres communiter docent, homines gehennae timore perculsos avocari a peccato. *Resp.* Hic timor supponit amorem initialem, ut sit dispositio proxima ad Sacramentum, sine hoc enim solum remote disponit. III. Damnata est haec Quesnelli propositio: *Si solus supplicii timor animat poenitentiam, quo haec est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.* Ergo Attritio removet a peccato, adeoque ad Sacramentum disponit, in quo poenitens ex attrito fit contritus. *Resp.* Propositio Quesnelli est haeretica, quia dicit, poenitentem ex timore non libere, sed coacte poenitere: verum libera illa voluntas sine omni charitate nondum odit peccatum secundum se, sed tantum ut causam supplicii: requiritur ergo motus charitatis initialis, ut sit timor proficuus, removens omnem actualem et habitualem peccandi voluntatem, et dispositio proxima ad Sacramentum: quod facit de attrito contritum non semper actu, quasi in perceptione Sacramenti actualis in anima Contritionis actus excitaretur, sed habitu, quia talis accipit gratiam sanctificantem, quae habitu est perfecta Contritio.

Schol. 2. Ulterius quaeritur, qualis amor in Attritione requiratur, ut sit dispositio sufficiens ad Sacramentum Poenitentiae. P. Berti contendit, hunc amorem debere esse amorem charitatis, id est, amorem Dei propter semetipsum, seu ex motivo charitatis initialem, id est, qui ex obiecto et motivo est vera charitas, licet non in gradu tam intenso, sicuti in Contritione perfecta, quae etiam extra Sacramentum iustificat; non vero Attritio. Verum verius dicendum videtur, ad iustificationem in Sacramento obtinendam sufficere amorem spei, scilicet ex motivo spei, quo Deus diligitur, quia nobis bonus est, nostra beatitudo ac finis ultimus (§ 1062. Schol.). 1. Amor enim charitatis in quocumque gradu essentialiter et ex motivo suo specifico perfectus est, cum perfectio charitatis non ex intentione, sed ex motivo suo specifico desumatur (loc. cit.). Sed amor perfectus extra Sacramentum Poenitentiae iustificat (§ 1060.), et non est necessaria ad illud dispositio (§ 1061.). Ergo nec ad Attritionem requiritur. 2. Ad Sacramentum Poenitentiae sufficit Attritio cum amore initiali (Schol. praec.). Sed hic amor est amor spei (§ 1062. Schol.). Ergo amor spei sufficit. Dices I. Tridentinum actus fidei, spei, et amoris Dei exigit, *Sess.* 6. *c.* 6. et hunc amorem vocat initialem, qualis non est amor spei, qui est perfectus: rursus dicit, eo diligi Deum tamquam omnis iustitiae fontem, quod fit per amorem charitatis. Et denique *Sess.* 14. *c.* 3. Attritionem vocat Contritionem imperfectam, quae per solam intensionem a perfecta differt. *Resp.* Concilium non exprimit, qualis sit ille amor: distinguit eum quidem a spe, sed non constat, an distinguat velut rem a re, vel effectum a causa, vel partem a toto, vel proprietatem a natura. Amor spei dicitur incipiens, quia ab eo ad amorem verae charitatis progredimur, et quia non ita perfectus est,

Qualis amor requiratur?

sicut amor charitatis. Dilectio Dei, ut fontis omnis iustitiae in se sine ullo respectu ad nos, est a perfecta charitate; non vero prout est fons iustitiae nostrae, et felicitas nostra. Attritio dicitur Contritio imperfecta propter motivum specie diversum a motivo Contritionis perfectae; non vero propter gradum remissum. II. SS. PP. commendant semper amorem ex motivo proprio charitatis; et S. Bernardus reprobat amorem, quo Deus diligitur, quia nobis bonus est. *Resp.* SS. PP. loquuntur de amore extra Sacramentum iustificante, vel de gratia habituali: et S. Bernardus reprobat amorem, quo Deus diligitur, quia nobis bonus est, propter bona temporalia ceu unicum amoris motivum.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract. I.* 1° Ad veram Contritionem, per quam homo iustificatur, non requiritur certus intensionis gradus; expedit tamen, ut homo ad copiosiorem gratiam accipiendam, et plenius pro poena satisfaciendum, vehementer, et saepius doleat. 2° Homo vi praecepti eliciendi Contritionem non tenetur ad peccata sua in memoriam revocanda, quia in momento per Contritionem ad Deum converti potest, nisi adsit praeceptum confitendi: utile tamen est, si ea sigillatim recogitet et detestetur. 3° Contritio perfecta sic elicitur: Doleo, quod peccando Deum offenderim, quem tamquam summum Bonum propter seipsum super omnia diligo. Attritio ita elicitur. Doleo, quod Deum, quem ut aeternam meam beatitudinem super omnia diligo, offenderim, et peccando rem turpem, rationi ac virtuti adeo repugnantem fecerim, aut peccando mortaliter Infernum, et alias graves poenas promeritus sim. 4° Ad Sacramentum Poenitentiae Contritio vel perfecta, vel imperfecta requiritur: debet autem dolor esse actualis et verus; nec satis est dolere, se non dolere, ubi tamen vix possibile est, ut re ipsa non doleat, licet non ita sentiat; unde tuto ad Sacramentum pergere potest. 5° Dolor hic non debet esse in appetitu sensitivo sensibilis; est enim dolor animi, qui mentem et voluntatem significat, adeoque sincere quis dolere potest, etsi lacrymas non fundat. 6° Dolor ex motivo pure naturali et viribus naturae elicitus non sufficit ad Sacramentum; sed debet esse supernaturalis, id est, ab auxilio gratiae, et motivo supernaturali per lumen fidei cognito procedere, v. g. ob poenas a Deo iustissimo vindice infligendas. 7° Dolor debet se extendere ad omnia mortalia, et debet esse appretiative summus, ita ut poenitens peccata plus detestetur, quam omnia alia mala. 8° Qui confitetur tantum venialia, nihilominus de illis dolere debet, quia Contritio est materia Sacramenti: hic tamen dolor non debet esse necessario universalis, quia unum veniale sine alio remitti potest. 9° Signa, quod aliquis verum dolorem habuerit, sunt, si ante Confessionem quis rite se praeparaverit, sit tenerae conscientiae, saepe confiteatur, pravis consuetudinibus non diu inhaereat. 10° Contritio debet elici ex intentione confitendi, ut fiat actio Sacramentalis; ubi tamen non opus est, ut quis, maxime scrupulosi, actualem et explicitam intentionem habeant; sed sufficit implicita, volendo et praepa-

rando se ad Confessionem. 11° In praxi dolor eliciendus est ante Confessionem; quia sic Confessio magis procedit ex displicentia, et detestatione peccati; sufficit tamen, si adhuc eliciatur ante Absolutionem. Non licet vero sequi in praxi sententiam aliquorum, quod sufficiat dolor elicitus sub Absolutione, modo ante finem Absolutionis finiatur, quia Sacramentum exponeretur periculo nullitatis: debet tamen dolor esse connexus cum Absolutione, vel physice, ita ut sub Absolutione actus doloris adhuc ponatur: vel moraliter, ita ut dolor perduret in suo effectu usque ad Absolutionem, v. g. dum poenitens elicito dolore accedit ad Confessionale, confitetur, petit Absolutionem. Quamdiu autem dolor moraliter perduret, certo determinari non potest: dici posset, quatuor horas, vel diem ac noctem non destruere connexionem moralem, si nullo actu contrario revocetur, et ordinatus sit ad Confessionem; ubi tamen tutius est, ut ante Confessionem denuo eliciatur. 12° Qui post acceptam Absolutionem peccatum oblitum confitetur, non tenetur quidem novum dolorem elicere, si prior universalis fuerit; in praxi tamen praestat, ut novum dolorem eliciat, ad maiorem securitatem Sacramenti. 13° Dolor et propositum revocatur per aliud peccatum mortale subsequens: dolor vero universalis de peccatis mortalibus et venialibus non revocatur per peccatum veniale: dolor de solis venialibus ex motivo universali revocatur per veniale aeque grave vel gravius, quia tunc non amplius censetur curari motivum doloris; qui autem ob motivum particulare in uno veniali repertum doluit, non revocat dolorem per aliud veniale, in quo illud motivum non reperitur. In praxi, qui post elicitum dolorem venialiter peccat, novum dolorem eliciat.

Coroll. Pract. II. 1° Ad Confessionem requiritur propositum *formale* et *expressum*, nisi quis inculpabiliter de futuro non cogitaret, vel post Contritionem statim moreretur. 2° Pro mortalibus requiritur propositum *universale* cavendi omnia mortalia; non vero requiritur, ut ad omnia venialia se extendat: debet tamen esse efficax, saltem respectu unius venialis confessi, ut habeatur materia Sacramenti. Item propositum vitandi mortalia debet ad totam collectionem, et singula se extendere: at vero ad remissionem omnium peccatorum venialium sufficit propositum omnia vitandi in sensu diviso; non vero in collectivo, quia in hoc sensu omnia sine specialissima Dei gratia vitari non possunt (t. 1. § 549.). Propositum autem vitandi venialia non debet necessario esse tam efficax, ut eo perseverante homo tam efficaciter moveatur ad declinandas occasiones peccandi propinquas, et adhibenda media ad peccata, et eorum occasiones vitandas necessaria, sicuti movetur ex proposito vitandi mortalia, quia mortale longe maius malum est. Ideo facilius absolvi possunt relabentes saepius in eamdem speciem peccati venialis, quam mortalis; quia relapsus ille non ita est indicium defectus doloris ac propositi necessarii, cum pervenire possit ex frequentia occasionum, a quibus removendis facilius quis excusatur, quam a remotione occasionum ad mortale du-

Resolvuntur casus de proposito

centium. 3° Propositum vitandi mortalia debet esse *absolutum* et *efficax*, ita ut eo durante moveatur poenitens ad omnes occasiones amovendas, et omnem operàm ad vitanda peccata adhibendam: fieri tamen potest, ut aliquis sufficiens propositum habeat, et tamen timeat, vel putet, se non omnia mortalia vitaturum, vel aliquod eorum genus, quia iam ante voluntatis suae inconstantiam expertus fuerat; nam proponere est actus voluntatis, putare autem se facturum, quod voluntas proposuit, est actus intellectus, qui ex proposito illo necessario non sequitur. Hinc non bene agit Confessarius, si poenitentem adigat ad specialem promissionem, vel iuramentum de hoc vel illo peccato non perpetrando. 4° Vi propositi efficacis debet poenitens removere occasiones et pericula proxima peccandi, in quibus spectatis circumstantiis difficulter et vix a lapsu abstinere potest, nisi haec sine gravi incommodo corporis, famae, vel fortunae tolli non possint; ubi tamen paratus esse debet ad adhibenda media contra lapsum a Confessario praescripta, ut ita fiant pericula remota: occasiones vero, vel pericula peccandi remota, quae quis facile evitare potest, et solet, non tenetur quis removere. 5° Signa propositi efficacis sunt, si poenitens ab ultima Confessione rarius lapsus fuerit: si mediis praescriptis usus fuerit: si occasiones peccandi removit: si sine ullo respectu humano, vel alia prava intentione, ex solo desiderio se emendandi frequenter confiteatur. 6° E contra signa propositi insufficientis sunt, si quis nolit restituere famam, vel bona iniuste acquisita: si media a Confessario praescripta, et salutares Poenitentias negligat: si nolit odium deponere, vel iniuriam condonare: si publica scandala continuet: si nolit abstinere ab usuris, superstitionibus, illicitis contractibus, et proxima occasione peccandi.

CAP. V.

De Confessione.

Confessio quid? § 1065. Altera pars Sacramenti Poenitentiae est *Confessio*, quae est accusatio facta a poenitente propriorum peccatorum post Baptismum commissorum, ad illorum Absolutionem obtinendam a Sacerdote. Dicitur 1° *Accusatio*, non mera declaratio, vel narratio, multo minus excusatio, aut ostentatio; sed humilis agnitio propriae culpae, propter quam poenitens se reum, et poena dignum fatetur. 2° *Peccatorum*, non vero tentationum, et defectuum, quos sine culpa patimur, quae non sunt materia Absolutionis, sed consilii. 3° *Propriorum*, non alienorum, nisi nostra culpa ratione dati scandali, vel alio modo patrata sint. 4° *Post Baptismum commissorum;* illa enim ante Baptismum non subsunt clavibus Ecclesiae. 5° *Ad absolutionem eorum obtinendam*, quia Sacramentum Poenitentiae celebratur per modum iudicii reconciliativi, non vindicativi. 6° *A Sacerdote*, tamquam Dei Vicario.

Quotuplex? *Schol.* Triplex in S. Scriptura confessio occurrit. 1. *Confessio*

laudis, qua Deum summe Bonum, eiusque beneficia, ac iudicia cum gratiarum actione cognoscimus, et praedicamus. 2. *Confessio fidei*, qua fidem exterius profitemur. 3. *Confessio peccatorum*, vel soli Deo, vel Deo, eiusque ministro facta. Quae Confessio homini facta vel est *civilis*, qua reus coram iudice delictum suum confitetur: vel *satisfactoria*, quae fit ad placandum proximum: vel *consolatoria*, per quam peccata nostra viro docto narramus, consilium, et remedium ab eo accepturi; vel *legalis*, a lege Mosaica, *Lev.* 5. vel *Sacramentalis*, de qua hic agimus.

Art. 1. *De necessitate Confessionis.*

§ 1066. Confessio *Sacramentalis* est de praecepto Divino a Christo Domino imposito, et de necessitate salutis eorum, qui post Baptismum prolapsi sunt in peccatum mortale. Probatur 1° ex S. Scriptura Ioan. 20 *v*. 22 ubi Christus Sacramentum Poenitentiae instituens (§ 1054), discipulos suos ita alloquitur: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*. Quae verba Tridentinum *Sess.* 14. *c.* 5. sic exponit: *Ex institutione Sacramenti Poenitentiae iam explicata, universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum Confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis iure Divino necessariam existere: quia D. N. I. C. e terris ascensurus in coelos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tamquam praesides et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles ceciderint; qui pro potestate clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient*. Cum vero eiusmodi sententia prudenter ferri nequeat, nisi constituti a Christo iudices, auditis peccatorum varietatibus, noverint, quis solvendus sit, quisve ligandus, Concilium ita pergit: *Constat enim, Sacerdotes iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse, neque aequitatem quidem illos in poenis iniungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, et non potius in specie, ac sigillatim sua peccata declarassent*. Probari etiam potest ex *Act*. 19. *v*. 18. *Multi credentium veniebant confitentes, et annuntiantes actus suos*; ubi verbum περιςευτόχων, quod est praeteriti temporis, innuit Confessionem baptizatorum; et verba : *actus suos*, enumerationem singulorum peccatorum. Et illud *Iac*. 5. *v*. 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra*, de Confessione Sacramentali cum D. Calmet nobilissimi Interpretes exponunt. 2° Ita definiunt Concilia. Laodicenum *can*. 4. vult, poenitentibus perseverantibus in humilitate *Confessionis* statui tempus et qualitatem Poenitentiae secundum proportionem delicti. Concilium Cabillonense circa an. 656. *can*. 8. statuit, ut poenitentibus a Sacerdotibus *data Confessione* indicatur Poenitentia. Cabillonense an. 813. *can*. 32. eos damnat, qui non plene confitentur sua peccata Sacerdotibus. Et *can*. 33. eos, qui dicunt, Deo solummodo esse confitenda peccata. Lateranense *c*. *Omnis utriusque*. Et Tridentinum *Sess*. 14, *Can*. 5. *Si quis negaverit, Confessionem Sacramentalem vel*

Confessio est de iure Divino.

institutam, vel ad salutem necessariam esse iure Divino, aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit; alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit. 3° Patet ex Traditione. Saeculo 1° S. Clemens *ep.* 2. *ad Corinth. Postquam ex hoc saeculo egressi fuerimus, nec confiteri peccata, nec poenitentiam agere poterimus.* Saeculo 2° S. Irenaeus refert, mulierculas a Marco haeretico corruptas, conversas ad Ecclesiam Dei confessas esse; et Montanistae cum Catholicis docebant, peccata Confessioni esse obnoxia: ac Tertull. *l. de poen.* reprehendit eos, qui publicationem et Confessionem fugientes pereunt. Saeculo 3° Origenes *hom.* 2. *in Lev. Si revelaverimus peccata nostra non solum Deo, sed etiam his, qui possunt mederi peccatis nostris, delebuntur peccata nostra.* Saeculo 4° S. Basilius in *reg. brev.*, *Necessario peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* S. Pacianus *paraen. ad poenit.* Et S. Chrysostomus de *mul. Samar. Qui homini detegere peccata erubescit, neque confiteri vult, neque poenitentiam agere, in die illa non uno, aut duobus, sed universo orbe spectante traducetur.* Saeculo 5° S. Hieronymus *in* c. 16. *Matth. Alligat, vel solvit Episcopus et Presbyter non eos, qui insontes sunt, vel noxii, sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit, qui ligandus sit, vel solvendus.* S. Augustinus *serm.* 38. *Ipsum confiteri* (in poenitentibus) *ab occulto et tenebroso procedere est.* Saeculo 6° S. Climaeus *gr.* 4 de Confessione ait: *Sinequa nullus remissione peccatorum potietur.* Saeculo 7° S. Gregorius M. *hom.* 40. *Confitendo peccata quid aliud agimus, nisi malum, quod in nobis latebat, aperimus?* Saeculo 8° Ven. Beda *in* c. 5. *Iac. Neque enim sine confessione emendationis, peccata queunt dimitti.* Saeculo 9° et 10° Regino *l.* 2. *c.* 268. *Omnis homo ... ad primum Sacerdotem venire festinet, et cum purificatione mentis omnes transgressiones, omniaque peccata . . . humiliter confiteatur.* Saeculo 11° et 12° Burchardus *l.* 19 *de Poen.* plures Canones pro necessitate Confessionis collegit. S. Bernardus *serm. ad Milit. templi: Non absolvant etiam compunctum, nisi viderint et confessum.* Subscribit Magister Sentent. *l.* 14. *d.* 17. Ergo diu ante Concilium Lateranense Confessio a primis Ecclesiae saeculis in usu fuit. 4° Ratio dari potest, tum ex eo, quod Antistites Ecclesiae Confessionem ob suam difficultatem non instituissent, nec populus eam acceptasset, si a Christo instituta, et praecepta non fuisset: tum quia in ea elucet Misericordia Dei, iubens Confessionem non ad damnandos, sed sanandos reos: Iustitia, ad comprimendam peccatoris superbiam: Sapientia, quia prodest Pastoribus, ut oves curent: et poenitentibus, ut veniam, media contra relapsum, et quietem animi obtineant, et pio rubore a peccatis retrahantur.

Solvuntur objectiones. *Schol.* Wicleffus Confessionem Sacramentalem aperte impugnavit. Lutherus in *l. de capt. Babyl.* eam summopere commendavit: ast articulo 9° inter damnatos a Leone X illam vocat cruentissimam car-

nificinam: et in libro contra Latomum negat, eam iure Divino praescriptam. A Confessione Augustana et Wittembergensi Confessio non omnino abolctur; sed tamen dicitnr, Confessionem auricularem non esse Divinae institutionis, nec illam, sed publicam solum Confessionem commendari ab Ecclesiao Patribus; esse tamen perutilem, licet non sit necessaria. Ita etiam docet Calvinns. I. Quia modo saeculo 13° a Concilio Lateranensi praeceptum de Confessione auriculari datnm fuit. Certo *Ioan.* 20. non fit mentio Confessionis; et multi Catholici Theologi docent, ex illo loco necessitatem Confessionis probari non posse. *Resp.* Ante Concilium Lateranense praeceptum Divinum, ex dictis, Confessionis iam fuit: Concilium solum tempus faciendae Confessionis determinavit, vel potius legem iam olim latam adiuncta poena innovavit. *Ioan.* 20. implicite Confessio praecipitur ex dictis. Theologi de necessitate Confessionis non dubitant; imo probant etiam ex citatis verbis, licet putent ex iis solis hanc necessitatem non inferri, nisi recurratur ad intentionem Christi Apostolis viva voce declaratam; et nobis ex Traditione constantem. II. Apostoli et Sacerdotes dicuntnr tantum dispensatores Mysteriorum Dei: ergo non sunt iudices, licet peccata remittant, sicut non sunt servatores hominum, licet 1. *ad Tim.* 4. homines servare dicantnr. Quippe S. Scriptura vere poenitentibns, nulla Confessionis facta mentione, veniam promittit; et petimus, nobis a Deo dimitti debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, a quibus Confessionem non exigimus. *Resp.* Sacerdotes sunt ministri et iudices a primo Iudice Christo dependentes: sic etiam dicuntur servatores hominum, non redemptione, satisfactione, et pretii solntione, quod soli Christo competit; sed ministerio, pretium Sanguinis Christi nobis applicando. S. Scriptura veniam promittit vere poenitentibus, adeoque mandata Dei, inter quae est Confessio, observantibus. Petimus autem, nobis dimitti debita nostra, sicut et nos dimittimus quoad dimissionem, non vero quoad modum, ad quem Deus Confessionem requirit. III. Confessio instituta fnit ab Ecclesia occasione Novatianorum, et denuo a Nectario Constantinopolitano Episcopo ob stuprum alicnius Diaconi propalatum abrogata, qui sustulit Presbyterum Poenitentiarium, et permisit, ut unusquisque pro sni animi conscientia ad Sacramentorum communionem accederet, teste Socrate *l.* 95. *hist. c.* 19. et Sozomeno *l.* 7 quod Socrates reprehendit: quod autem Nectarius privatam Confessionem abrogaverit, ex eo patet, quod publica post hoc decretum adhuc in usu fuerit. *Resp.* Nectarius solnm sustulit Presbyterum Poenitentiarinm saeculo 3° institutum, qni peccata publicae Poenitentiae obnoxia sibi a poenitentibus delata excipiebat; item delationes et testes contra obstinatos audiebat, urgebat desides, cavebat, ne indigni ad S. Mysteria accederent, ex peccatis quaedam atrociora et publica secernebat, quae palam in solemni Ecclesiae conventu evulgari imperabat: non autem sustulit alios Presbyteros secreto Confessiones excipientes. Tribunali autem huius Poenitentiarii sublato, usus Poe-

nitentiae publicae elanguit, de quo Socrates conqueritur. IV. S. Chrysostomus multoties dicit, sufficere Confessionem soli Deo factam, uti *hom.* 21. *ad pop. Antioch.* et *hom.* 30. *de incomp. Dei nat.* S. Basilius *in Ps.* 37. ait, Davidem soli Deo gemitus suos ostendisse. S. Ambrosius *l.* 10. *in c.* 22. *Lucae*: *Lachrymae lavant delictum, quod voce pudor est confiteri*. Et Ven. Beda solum Crimen Haeresis, Iudaismi, et Schismatis vult esse detegendum. *Resp.* S. Chrysostomus *serm. ad pop.* solum vult, peccata ante Baptismum non esse confitenda. In aliis locis Confessionem publicam non requirit, bene vero secretam. S. Basilius agit de Lege veteri, ubi Confessio needum praecepta fuit. Eodem modo S. Ambrosius loquitur de S. Petro eo tempore, quo Confessio needum instituta fuit. Ven. Beda asserit, illa peccata a redeuntibus ad Ecclesiam publice eiuranda esse. V. Olim fideles non obligabantur ad Confessionem auricularem, tum quia pauci erant Sacerdotes, et tamen fideles quotidie communicabant: tum quia Novatianus cogebat suos asseclas iurare in Communione, quod commodius fecisset in Confessione: tum quia saeculo 9° multi adhuc docebant, Confessionem soli Deo factam sufficere, teste Alcuino *ep.* 71. et Concilium Cabillonense *can.* 33. ait, Confessionem Deo factam purgare peccata; et *c.* 32. octo solum crimina referuntur, de quibus poenitentes interrogari debent. Imo post saeculum IX usque ad XIII plures Catholici docuerunt, Confessionem soli Deo factam sufficere, uti videre licet apud Gratianum *d.* 1. *de poen. c.* 33. *q.* 3. ubi indicium de hac re lectori relinquit: et post tempora Innocentii III. Semeca Glossator Gratiani in *tit. de Poen. q.* 2. ait, melius dici, Confessionem institutam fuisse a quadam universali Ecclesiae Traditione, potius quam ex novi et veteris Testamenti auctoritate. *Resp.* Olim fideles satis innocenter viventes, sine frequentiori usu Poenitentiae ad S. Mensam pergere poterant. Novatianus ob Mysterii solemnitatem iuramentum a suis in Communione exigebat. Si nonnulli necessitatem Confessionis in dubium vocarunt, erraruut; at sine nota haereseos in re needum ab Ecclesia expresse definita. Concilium Cabillonense loquitur de Contritione perfecta cum voto Sacramenti; et illa crimina, de quibus interrogabantur fideles, non excludunt alia, de quibus se accusare debebant. Gratianus non tangit quaestionem, an iure Divino necessaria sit Confessio; sed solum, an Contritio perfecta etiam ante susceptum actu Sacramentum peccata deleat, quae quaestio eo tempore ventilata fuit: hinc collectis pro utraque parte sententiis, Gratianus tandem resolvit: *Ex his, aliisque pluribus indubitanter ostenditur, oportere Deo primum, deinde Sacerdoti offerri Confessionem, nec aliter posse perveniri ad ingressum Paradisi.* Denique Glossator Gratiani non est tantae auctoritatis, ut ea moveamur; in multis lapsus fuit, et ideo corrigendus, uti monent editores Gratiani in praefatione.

ART. 2. *de integritate Confessionis.*

§ 1067. Ut autem Confessio sit valida materia Sacramenti Poenitentiae, debet primo esse *integra*, id est, omnia peccata mortalia, quorum homo conscientiam habet, se ea commisisse, et nondum confessum esse, debent in confessione explicari, quantum ad eorum species, numerum, et circumstantias species mutantes. Ita 1° definit Concilium Cabillonense II a. 813, c. 32 improbans abusum eorum, qui non plene confitentur. Conc. Wormatiense a. 818, c. 25 ait, debere Sacerdotem in Poenitentia danda singulorum causas sigillatim considerare. Quod idem statuit Concilium Londinense an. 1200 c. 4, et Tridentinum *Sess.* 14, *can.* 7. *Si quis dixerit, in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure Divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, anathema sit.* 2° Ratio est, quia iudex non potest ex aequitate iudicare, nisi perspectas omnino habuerit rei causas, circumstantias, et instrumenta: nec medicus apta remedia applicare potest, nisi morbos apprime noverit. Cum ergo Sacerdos sit iudex et medicus, necesse est, ut omnia peccata mortalia illi aperiantur. Confessio debet esse integra.

Schol. 1. Confessio potest esse integra vel materialiter, vel formaliter. *Formaliter* integra est accusatio omnium peccatorum mortalium, quae post diligens conscientiae examen memoriae occurrunt: *Materialiter* integra est accusatio adaequata omnium plane peccatorum. Certum autem est, materialem integritatem non semper requiri; nam Tridentinum *Sess.* 14, *c.* 5 expresse docet, *quod poenitens, postquam se diligentius excusserit, et conscientiae suae sinus omnes, ac latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur.* De formali autem integritate Confessio Augustana *art.* 11, negat, necessariam esse omnium delictorum integram enarrationem. I. Quia haec est impossibilis; nam *Ps.* 18. *Delicta quis intelligit?* et *Ier.* 17, *v.* 9. *Pravum est cor hominis et inscrutabile. Resp.* ex dictis sufficit, ut peccata post diligens examen quis confiteatur: delicta vero, quae intellectus non cognoscit, nec in corde perscrutari potest, nemo confiteri tenetur. II. Sic nunquam conscientia ob occulta peccata non confessa, nec remissa quiescere posset: sane non tenetur quis omnia venialia confiteri: ergo nec omnia mortalia. *Resp.* Peccata incognita in confessione inclusa intelliguntur, et sic etiam remittuntur: peccata vero venialia stant cum gratia habituali, et aliis mediis extra Sacramentum deleri possunt. Solvuntur objectiones.

Schol. 2. Quaeritur, an circumstantiae in eadem specie aggravantes necessario sint aperiendae, ut integra sit Confessio. Respondetur affirmative contra S. Bonaventuram, S. Antoninum, et Vasquez etc. 1. Quia Trident. *Sess.* 14, *cap.* 5 docet, talem requiri Confessionem, ex qua Sacerdos de criminis gravitate recte iudicare possit; quod An circumstantiae notabiliter aggravantes sine confitendae?

non foret, si circumstantiae notabiliter aggravantes non essent explicandae, cum furtum 100 aureorum maiorem poenam, quam furtum quinque aureorum mercatur. 2. peccatum habens circumstantiam notabiliter aggravantem quoad malitiam pluribus peccatis aequivalet: ergo est virtualiter multiplex, et virtualem distinctionem peccatorum includit. 3. Papa et Episcopi possunt sibi reservare, et subinde sibi reservant peccata ratione circumstantiae notabiliter aggravantis, v. g. incestum cum propria matre, sorore, etc. Ergo hae circumstantiae sunt materia necessaria Confessionis. 4. Ex contraria sententia sequeretur, actum externum, specificam malitiam actui interno non addentem, non esse confitendum; quod tamen falsum est. Dices I. Tridentinum non meminit circumstantiarum notabiliter aggravantium explicandarum; et S. Thomas *in* 4, *d.* 16, *q.* 3, *a.* 2 dicit, contrariam sententiam esse probabiliorem. *Resp.* Tridentinum studiose hanc controversiam Scholasticam dirimere noluit; in nostram tamen sententiam valde propendet. S. Thomas loquitur de circumstantiis non notabiliter aggravantibus: de notabiliter aggravantibus tractat 1, 2, *q.* 73, *a.* 7. II. Hae circumstantiae non addunt novum peccatum: nec tenemur confiteri circumstantias notabiliter minuentes: ergo nec notabiliter aggravantes. *Resp.* Constituunt saltem peccatum aequivalenter distinctum, et dirigunt Confessarium in imponenda insta Poenitentia: et ideo etiam circumstantiae notabiliter minuentes explicari debent.

An peccata dubia? *Schol.* 3. Quaeritur ulterius, an peccata mortalia dubia necessario in confessione sint explicanda. Respondetur affirmative contra Caramuelem, 1. Hoc probat S. Thomas *in d.* 51, *q.* 2, *a.* 3, *ad.* 3. *Quia, qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat esse peccatum mortale, peccat mortaliter, discrimini se committens. Et similiter periculose committit, qui de hoc, quod dubitat esse mortale, negligit confiteri.* 2. In dubiis tutior pars est eligenda, maxime ubi agitur de valore Sacramenti: ergo peccata mortalia dubia sunt confitenda: nam Tridentinum iubet, omnia peccata mortalia esse confitenda, nulla facta distinctione inter certa et dubia. Dices I. De peccatis dubiis non habetur conscientia, quia de dubiis non datur notitia scientifica, nec de illis, utpote incognitis, Sacerdos iudicare potest: ergo non sunt confitenda. *Resp.* Nomine conscientiae intelligitur sensus intimus, qui facta approbat, vel redarguit, et interius iudicium, sive sit certum, sive dubium; imo etiam certa persuasio haberi potest, illa peccata esse dubia: iisque explicatis, Sacerdos cognoscit statum poenitentis pro imponenda Poenitentia, et praescribendis mediis. II. In dubio melior est conditio possidentis, et nemo praesumitur deliquisse: et super peccata dubia nequit cadere Absolutio, quae materiam certam requirit. *Resp.* Possessio in nostro casu stat pro lege Confessionis: et in dubio nemo praesumitur deliquisse in foro externo, quando damnum illi imminet, quia in hoc foro intenditur punitio rei: non vero in foro interno, ubi intenditur liberatio, nec ulla

iniuria illi timenda est. Peccatum dubium, an sit mortale, vel veniale, est materia absolutionis: in dubio, an peccatum factum sit, addi potest et debet peccatum certum, quod si non haberi possit, Absolutio sub conditione danda est. III. Peccatum probabiliter solum mortale non tenetur quis confiteri, nec tenetur satisfacere proximo, quando dubitat de iniuria illata: ergo nec peccata dubia tenetur confiteri. *Resp.* Stante probabilitate, posset quis prudenter deponere dubium, et dictamen moraliter certum sibi formare, si non habeatur sententia probabilior (§ 449. Schol.); non vero manente peccato dubio ut tali, in quo intellectus suspendit suum iudicium: Deinde praeceptum non offendendi proximum est negativum, unde si de eius laesione non constat, non est obligatio satisfaciendi: praeceptum vero confitendi est positivum ita obligans, ut prudenter iudicare quis possit, se veniam obtinuisse, vel saltem media necessaria ad eam obtinendam adhibuisse; quod iudicium cum peccato dubio componi non potest, quin illud ut dubium confiteamur, quod medium est tutissimum.

Schol. 4. Quaeritur denique, an persona complicis in Confessione necessario sit declaranda, in casu, quo confessio aliter integra esse non potest: et an, si declaratio complicis ad integritatem Confessionis non conducat, possit tamen, et debeat poenitens, sive ad privatam suam utilitatem, sive ad emendationem complicis, sive ad bonum procurandum, vel malum fugiendum, complicem declarare. *Resp.* 1° Complicem debere declarari a poenitente, si aliter integritas confessionis haberi non possit: tum quia poenitens habet ius ad faciendam integram confessionem, et consulendum suae saluti: ergo complicem saltem indirecte pro integritate confessionis suae manifestare debet; licet inde sequatur infamatio complicis apud Confessarium, quae exigui momenti est, cum Confessarius ad sigillum teneatur: tum quia ita statuerunt antiqui Canones, et continuus usus Ecclesiae, in quibus persona complicis designatur, dum certis criminibus certa poena designatur, uti si quis cum propria sorore polluitur, in *ep.* S. Basilii *ad Amphil. can.* 75. etc. ubi nulla fit inter peccata publica, et occulta distinctio. 2° Licet etiam complicem in confessione declarare propter solam poenitentis, aut complicis utilitatem: propter propriam poenitentis utilitatem quidem, ut ab eius sollicitatione liberetur, quia ius naturale dictat, ut quisque suae consulat saluti; et Gregorius XV. statuit, ut poenitentes Confessarios in Confessione ad turpia se sollicitantes locorum Ordinariis denuntient. Propter utilitatem complicis vero, ut corrigatur, quia olim Ecclesia talem delationem imperabat poenis impositis, uti videre licet apud Morinum *l.* 2 *de poenit. c.* 7. 3° An vero haec revelatio complicis ob propriam vel illius utilitatem expediat, in praxi ex circumstantiis desumendum erit; quia alias gravissima incommoda oriri possunt, uti suspicio fracti sigilli, et Confessio odiosa reddita: et hoc posset esse pravis hominibus occasio, pios et innocentes sub praetextu Religionis impetendi. Dices cum

Resolvuntur casus.

Cano et aliis. I. Declarans complicem in Confessione, eius famae apud Confessarium detrahit: ergo non licet. *Resp.* Non est detractio, cum reveletur ex iusta caussa: Sacerdos tenetur ad sigillum: damnum famae apud eum nullum est; et si complicis aestimatio nonnihil in privata opinione Sacerdotis decrescat, sibi imputare debet. II. Poenitens praevidens Confessarium alteri complicem revelaturum, etiam suum crimen tacere deberet: et Sacerdos, qui non potest suum peccatum in Confessione sine revelatione personae et criminis, quod in Confessione audivit, manifestare, ob sigillum non tenetur illud confiteri: ergo nec poenitens revelare complicem tenetur. *Resp.* Revelatio complicis extra Confessionem non est necessaria, adeoque non est ratio eum revelandi sine detractione. Deinde sigillum Sacramentale nullo casu violare licet ob reverentiam Sacramenti: complex vero sine omni peccato et irreverentia revelari potest. III. Non est credibile, Christum instituisse Sacramentum Poenitentiae cum detrimento famae proximi, et ad hoc poenitentem obligasse. *Resp.* Christus instituit hoc Sacramentum per modum veri iudicii, in quo accusator habet ius declarandi crimen alterius, etiam cum declaratione complicis eius, quando ad perfectionem iudicii requiritur.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract. I.* 1° Omnia peccata mortalia quoad numerum et speciem in Confessione explicari debent: et si sciatur numerus certus, debet exprimi determinate; si non sciatur, debet exprimi verosimilius, v. g. decies circiter, plus vel minus: si nec probabilis numerus haberi possit, dicenda est consuetudo peccandi, tempus, et frequentia in die, vel septimana, quoad fieri potest, quod in actibus externis facilius est: in actibus internis declarari potest, dicendo, se paratum fuisse per annum ad committendum, vel desiderandum tale peccatum, quoties occasio, vel memoria occurrebat. Qui autem numerum verosimilem per *circiter* expressit, et postea reminiscitur, quod saepius peccaverit: si excessus sit modicus in se, vel relate ad numerum expressum, non tenetur hunc excessum postea confiteri, quia iam per particulam *circiter* expressus fuit: quo maior vero est numerus expressus, eo maior est excessus, qui censetur in eo contineri, v. g. in quatuor unum: in decem duo: in triginta tres: in centum sex: ly aliquoties nonnisi ad 2. vel 3. ly saepius ad 4. 5. 6. vices se extendit. Qui vero certum numerum sine ly circiter expressit, v. g. ter blasphemavi; postea memor, quod quater blasphemaverit, tenetur postea hunc excessum confiteri. Qui vero numerum per ly circiter explicavit, postea memor, quod minus fecerit, non tenetur de novo explicare, quia iam in indicato numero continetur. 2° Debent explicari omnes species peccatorum mortalium, et circumstantiae speciem mutantes, de quibus actum est § 435 et seqq. Item actus externus, velut consummatio peccati. 3° Explicandae sunt circumstantiae intra eamdem speciem notabiliter aggravantes, maxime, quando illis annexa est reservatio, vel duratio peccati tanta fuit, ut prudenter credi possit, illud saepius fuisse interruptum, et numerice multiplicatum

(§ 522.); vel quando Confessarius illas interrogat. Sicuti etiam poenitens tenetur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem, iuxta prop. 58. ab Innocentio XI. damnatam, licet per se non teneatur in Confessione consuetudinem peccandi aperire, quia praeterita peccata non sunt circumstantia speciem mutans peccati hodierni novi. Circumstantiae autem impertinentes et generales, uti ingratitudo erga Deum etc. per se non sunt exprimendae, quia in quovis mortali per se inclusae intelliguntur, nisi aliquis eas reflexe intenderet. Circumstantiae vero minuentes, quando ex mortali solum fit veniale, vel nullum, exprimi debent. 4° Peccata dubia sunt confitenda: et hinc quando quis certus est de commisso peccato mortali, dubitat autem, an illud confessus fuerit, debet confiteri. Item si dubitet, an peccatum aliquod commiserit, an consenserit, an sit mortale, vel veniale, confiteri debet ut dubium, et si nihil aliud habeat, certum peccatum addere debet. Qui confessus est peccatum certum ut certum, de quo tamen dubitabat, an sit mortale, an veniale, non tenetur rursus confiteri, si postea resciat esse mortale, quia integre confessus est, et iudicium hoc ad Confessarium spectat. Qui vero mortale confessus est ut dubium, si postea deprehendat, esse certum, tenetur illud iterum confiteri, quia iam certum est in conscientia. 5° Non licet poenitenti sine causa nomen complicis revelare, ne eum infamet; ubi graviter peccare potest, nisi ignorantia et simplicitas eum excuset; unde Confessarius eum monere et prohibere debet. Qui autem ex iusta causa complicem in Confessione revelat, uti ad petendum consilium pro rumpenda prava consuetudine, ad consulendum famae propriae, non peccat. Ipse etiam Confessarius pro integritate Confessionis licite potest, et debet de complice interrogare; ita tamen, ut graviter peccet, si ob curiositatem interroget de nomine complicis, per quod in eius notitiam deveniat; et hinc poenitens non tenetur ei respondere, si ad integritatem Confessionis non spectet. Imo ipse poenitens, si revelatio complicis ad integritatem Confessionis eius spectet, Confessarium, cui complex notus non est, saltem ex consilio quaerere debet. Quando tamen agitur de vitandis gravibus malis in rempublicam redundantibus, Confessarius poenitentem cogere potest, ut complicem revelet. Graviter autem peccat Confessarius, si revelationem complicis exigat, ut eum corrigat, quia hoc ansam suspicionis fracti sigilli praebet. Ita Benedictus XIV. in *Const. Suprema*. * (Et qui huiusmodi praxim licitam esse docuerit, incidit ipso facto in excommunicationem Summo Pontifici reservatam. Confessarii autem exquirentes a Poenitente nomen complicis sub denegatione absolutionis, praeter peccatum mortale, suspendendi sunt ab audiendis confessionibus, aliisque gravioribus poenis subiiciendi. Qui vero aliunde quam ex propria confessione noverit, Confessarium aliquem exquirere nomen complicis cum denegatione absolutionis, tenetur ipsum denuntiare intra solitum terminum. Idem Benedictus XIV. Const. *Ubi primum, et apostolici ministerii*)*.

Resolvuntur casus de examine. *Coroll. Pract. II.* 1° Ut integra sit Confessio, debet illi praemitti examen conscientiae, quod debet esse diligentia mediocri et ordinaria, quam quis pro ratione status, et capacitate ingenii in re seria solet adhibere: hinc breviori examine egent, qui frequenter, quam qui rarius confitentur. Item rudes non possunt tam exacte conscientiam discutere, quam docti; adeoque Confessarius eos iuvare debet: et tantum negligentia crassa, non vero levis in examine impedit valorem Sacramenti. 2° Licet quis sit debilis memoriae, non tenetur tamen peccata sua scripto annotare: tum quia haec diligentia est extraordinaria: tum quia illi, qui scribere nesciunt, sine hoc medio integritati Confessionis satisfaciunt. Ex eadem ratione putat Layman, ne quidem mutum teneri confiteri in scripto, quia hic modus videtur illi esse aliquo modo publicus: Suarez tamen putat, eum ad hoc teneri, quia alio modo integre confiteri nequit, dummodo non sit periculum manifestationis.

Quae excusent ab integritate materiali? *Coroll. Pract. III.* 1° Ab integritate materiali Confessionis, quae ordinarie requiritur, aliquem excusat, et integritas formalis sufficit, impotentia omnia peccata confitendi physica, v. g. oblivio naturalis, ignorantia invincibilis, quando quis est mutus, moribundus, loquela destitutus, ignarus idiomatis Confessarii; non enim tenetur quis confiteri per interpretem, quae Confessio iam foret aliquo modo publica cum periculo diffamationis, nisi interpreti iam nota forent peccata poenitentis: hinc si Confessarius graviter infirmum non intelligat, nec ille per interpretem confiteri velit, habito doloris signo, et manifestatione peccatorum per nutus, illum absolvat; ubi tamen per interpretem confitenda esse ad minimum saltem aliqua leviora peccata, multi Doctores censent. Potest tamen subinde Confessio fieri per interpretem, sine periculo, si poenitens et Confessarius sint in uno cubiculo, et interpres in alio. 2° Excusat impotentia moralis, quando ex Confessione grave damnum nasceretur: sic tempore pestis, instante praelio, vel naufragio, quando omnium Confessiones excipi non possunt, Confessarius potest omnes simul, dicto uno peccato minus infamante, vel si aliter fieri nequeat, dicentes in genere, se esse peccatores absolvere per hanc formam: *Ego vos absolvo*. Peccata vero in Confessione oblita, vel omissa ob instans vitae periculum, vel ob aliam causam, tenetur quis in sequente Confessione explicare, quia contrarium ab Alexandro VIII. prop. 11 damnatur. Item in magno concursu poenitentium non licet dimidiate tantum confessos absolvere, quasi hoc praeberet ansam multa peccata omittendi: iuxta propos. 59. ab Innocentio XI. damnatam. 3° Gravia incommoda ex integritate Confessionis nata, si non ex ipsa Confessione nascantur, ab ea excusant, v. g. rationabilis metus, ne Confessarius peccata revelet. Non tamen peccat contra integritatem Confessionis, qui uni Confessario prius confitetur omnia peccata mortalia, et alteri postea solum venialia.

Confessio § 1068. Secundo: Ad valorem Confessionis requiritur, ut sit *aperta*

seu *fidelis*, scilicet sine fallacia, deceptione, et mendacio, nihil omittendo, quod commissum est, nec confitendo, quod non commissum fuit: quia alias Confessarius graviter deciperetur, nec debito modo de statu poenitentis iudicare posset. Debet esse fidelis.

Coroll. Pract. 1° Graviter peccat, qui mentitur in Confessione circa materiam gravem, negando se commisisse mortale, quod tamen fecit, nec legitime confessus fuit, nec celandi causam habet: vel qui affirmat, se commisisse mortale, quod tamen non fecit: vel qui maiorem, aut minorem numerum mortalium, aut dubia pro certis, aut certa pro dubiis studiose, et non ex simplicitate exprimit. 2° Qui mentitur in Confessione circa materiam non necessariam, sufficientem tamen, peccat venialiter, nisi forte unicum tale peccatum veniale confiteretur, quod tamen non commisit; ubi graviter peccat, non praebendo materiam absolutionis. Qui autem mentitur in materia ad Confessionem non pertinente, graviter, vel leviter peccat, prout foret, si extra Confessionem mentiretur. Resolvuntur casus.

Art. III. *De modo, quo fieri debet Confessio.*

§ 1069. Tertio: Confessio ordinarie oretenus fieri debet, et per litteras facta Sacerdoti absenti nec licita, nec valida est, nec Absolutio illi impendi potest. Patet 1° ex *Const.* Clementis VIII. an. 1602. in qua praemissis votis Theologorum, et re cum S. R. E. Cardinalibus maturo discussa, praecipitur, ne in publicis, privatisque lectionibus, concionibus et congressionibus doceatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur haec propositio: *Licet per litteras, seu per internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente Absolutionem obtinere:* quam propositionem Pontifex declarat esse falsam, temerariam, et scandalosam. Idem patet ex *c. Quem poenit. de poenit. d.* 1. ubi dicitur: *Praecipit Dominus mundanis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens, corporali praesentia confitenda peccata, non per nuntium, non per scripturam manifestanda.* Item Tridentinum *Sess.* 14. *c.* 2. ait: *Christus Dominus eos, qui se post Baptismum crimine aliquo contaminaverunt, ante hoc tribunal tamquam reos sisti voluit.* Sisti autem iudicio, est ante Tribunal praesentari, non vero per litteras deferri. 2° Ratio est: in confessione per litteras nequit Sacerdos absens certior reddi, poenitentem re vora illa peccata patrasse, poenitere, et in bono emendationis proposito manere: tum quia litterae possent esse confictae: tum quia eo tempore, quo litterae traduntur, posset quis a suo proposito recessisse. Confessio ore fieri debet.

Schol. Morinus *l.* 8. *de Poenit. c.* 23. docet, ante decretum Clementis VIII. Confessionem per litteras factam, et Absolutionem absentibus missam, fuisse licitam et validam; quod tamen modo post hoc decretum dici non potest. Isambertus vero eam illicitam, non vero invalidam esse contendit. I. Quia multa habemus exempla Confessionis per litteras factae. Sic Robertus Episcopus Cenomanensis ad Solvuntur obiectiones.

Episcopos extra muros Andegavenses cum Carolo Principe commorantes scripsit, et delictorum suorum absolutionem petiit, et obtinuit: *Tom. III. Conc. Gall.* Hildebodum Episcopum Suessionem absolvit absens Hincmarus: Gregorius VII. plures absentes absolvit. *Resp.* Hae Absolutiones non fuerunt Sacramentales, sed solum a censuris. II. Sacramentum Matrimonii valide fit inter absentes per Procuratores: ergo etiam Sacramentum Poenitentiae, quia iudicium etiam inter absentes exerceri potest: et *c. Qualis, c. 30, q. 5.* praecipitur; Confessionem adulterae per scripturam esse recipiendam. *Resp.* Matrimonium solo consensu manifestato conficitur, qui etiam per Procuratores declarari potest: ad Poenitentiam Confessio oralis praesenti Sacerdoti facta ex institutione requiritur. Quippe Absolutio Sacramentalis non est tantum actio reconcilians in foro externo, sed effectrix interius mundans, adeoque affectus internus Sacerdoti praesenti manifestari debet: ly per Scripturam non significat Confessionem in scriptis factam, sed condonationem criminis adulterae a Christo factam, iuxta S. Scripturam, *Ioan.* 8. *v.* 11, III. Clemens in suo decreto solum apposuit hanc conditionem, ut Confessio oralis sit conditio necessaria ad valorem Confessionis requisita, sicuti in Matrimonio Tridentinum ad valorem Matrimonii requisivit praesentiam Parochi: ergo oralis Confessio est tantum a lege Ecclesiastica. Sane oralis Confessio non est essentialiter necessaria ad Sacramentum Poenitentiae, quia etiam poenitens repentine usu linguae destitutus absolvi potest, et moralis certitudo de dolore, et firmo proposito etiam per litteras haberi potest: et quia in Sacramento Poenitentiae materia non est elementum physicum, sed aliquid morale, praesentia subiecti non requiritur. *Resp.* Clemens novam conditionem non apposuit, sed ius Divinum declarat; nam ait, sententiam contrariam esse falsam. Poenitens usu linguae destitutus est praesens, et confitetur eo modo quo potest: certitudo de perseverantia doloris inter absentes moralis haberi vix potest. Et falsum est, quod in Poenitentia, etsi morale quid sit eius materia, subiecti praesentia non requiratur, quod necdum probatum est. Sufficit tamen si quis per litteras mittat peccata Sacerdoti, et postea coram Sacerdote, qui ea legit, praesens dicat: Accuso me de illis peccatis, quae a me scripta sunt R. V. et peto absolvi: hoc tamen alii licere negant, quia est contra praxim Ecclesiae.

ART. IV. *De Confessione publica.*

Publica Confessio non est necessaria.

§ 1070. Quarto: Ad Confessionem publicam per se loquendo nemo tenetur; Christus enim nullibi Confessionem publicam praecepit, uti ait Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 5. *Non est hoc Divino praecepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta praesertim secreta publica essent Confessione aperienda* Et S. Basilius in *reg. brev. interrog.* 229. ait: *Quemadmodum corporis morbos non omnibus patefaciunt homines . . . . ita quoque fieri debet peccatorum*

Confessio coram iis, qui curare haec possint. Et S. Leo *ep.* 136. abusum in nonnullis locis confitendi publice peccata occulta reprimit, *cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicare Confessione secreta.*

Schol. Morinus *l.* 2. *de Poenit. c.* 9. *et* 10. putat, publica peccata olim semper publicae Confessioni subiecta fuisse. Verum licet olim peccata publica saepe publice declarata fuerint, uti patet ex S. Irenaeo *l.* 1. *c.* 23. *Quaedam in manifesto Exomologesin faciunt:* et S. Cyprianus *ep.* 62. iubet, ut virgines concubinariae ad poenitentiam publicam compellantur: et pluribus aliis a Morino loc. cit. relatis; interim tamen nulla lege universali omnia peccata publica, publicae etiam poenitentiae subiecta et castigata, publicae Confessioni erant obnoxia; nam certa olim peccata erant, quae Canones publicae Poenitentiae addicebant, publice tamen declarari prohibebant, ne forte poenitentes in periculum mortis, vel alterius gravis damni adducerent, uti adulterium ex *can.* 34. *ep.* S. Basil. *ad Amphil.* et homicidium ex *can.* 56. Nihilominus ex consilio prudentis Sacerdotis etiam inter occulta peccata, nonnulla subinde selecta fuerunt, quae poenitens publice aperiret: ita colligitur ex Origene *hom.* 2. *in Ps.* 37. *Si intellexerit, et praeviderit Sacerdos, talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiae exponi debeat, et curari, ex quo fortassis et caeteri aedificari poterunt, et tu ipse facile sanari; multa hoc deliberatione, et satis periti medici illius consilio procurandum est.* Non obstat I. quod in Veterum scriptis Exomologesis semper cum publica Poenitentia coniungatur; et S. Basilius *can.* 56. homicidium 20 annis a communione removeat. *Resp.* Exomologesis non semper cum publica Poenitentia coniugebatur, sed saepe secreta, nisi ex consilio Sacerdotis publica Confessio fieret. S. Basilius loquitur de homicida, cui a principe vita donata fuit; alias enim secreto solum confitebatur. II. S. Irenaeus *l.* 1. *c.* 13. refert, mulierem a Marco corruptam per omne vitae tempus crimen suum confessam esse. Et SS. Patres peccatores saepe hortantur, ut postposita verecundia audacter occulta sua crimina foras proferant. *Resp.* Loquuntur de Confessione secreto facienda, licet Poenitentiae publicae vel etiam ex consilio prudentis Sacerdotis publice confitenda forent. Mulier vero illa peccatum suum semper confessa fuit, agendo continuam poenitentiam, non vero oraliter confitendo.

Solvuntur obiectiones

CAP. VI.

De Satisfactione eiusque necessitate.

§ 1071. Tertia pars Sacramenti Poenitentiae est *Satisfactio*, quae definitur: poenae acceptatio, et voluntaria perpessio a Confessario iniuncta, ad reparandam iniuriam Deo per peccatum illatam, et expungendam poenam temporalem.

Satisfactio quid?

Schol. Satisfacere Deo idem est, ac tantum praestare, quantum ad

ulciscendam iniuriam per peccatum illi illatam satis esse possit. Cum vero plena satisfactio pro offensa infinita debeat esse infiniti valoris, solus Christus eam praestare potuit (t. 1. § 323.), nostrae autem satisfactionis valor et pretium ex satisfactione Christi tamquam ex fonte deflnit. Satisfactio autem vel antecedit Sacramentum, vel sequitur: si antecedat, disponit ad Sacramentum, et est meritoria de congruo, et ad culpam ac poenam aeternam simul et temporalem expungendam refertur: si sequatur, gratiam Sacramentalem supponit, et meritoria est de condigno, et ad poenam dumtaxat temporalem delendam ordinatur.

Remissa culpa manet poena. § 1072. Quia Satisfactio ordinatur ad delendam poenam temporalem, hinc de fide certum est, quod deleta culpae saepe remaneat expianda aliqua poena temporalis. Probatur 1° ex S. Scriptura, 1. *Reg.* 12 ubi David, obtenta venia adulterii, et homicidii commissi, punitus est morte filii sui. Item 2. *Reg.* 24 idem David ob peccatum numerati populi, per poenitentiam quoad culpam remissum, poena pestis populo immissae punitus fuit. Certe has poenas non solum pro admonitione et cavendo peccato futuro, sed in vindictam peccati praeteriti sibi irrogatas fuisse, David ipse intellexit, dum variis poenitentiae operibus pro commisso suo peccato satisfacere, et ita mortem filii sui avertere, conabatur. Similiter *Exod.* 32 ob adoratum vitulum multa hominum millia, quorum pluribus ad preces Moysis peccatum illud quoad culpam dimissum fuit, in poenam morte mulctata sunt: et *Num.* 13 ob peccatum murmurationis, quoad culpam iam remissam pro poena in deserto mortui terram promissam non attigerunt, excepto Josue et Caleb. Et. 1 *ad Cor.* 11. Apostolus, ait, indigne communicantes, licet Deo per poenitentiam reconciliatos, poena mortis correptos esse: *A Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* 2° Ex Traditione Hoc enim docet S. Ambrosius *in Ps.* 37. S. Chrysostomus *hom.* 4 *in* 2 *ad Cor.* S. Fulgentius *l.* 1 *de remiss. pecc. c.* 12. S. Gregorius M. *l.* 11 *Mor.* c. 17. Et S. Augustinus *in Ps.* 50 dicit: *Aliquando Deus, cui ignoscit in futuro saeculo, corripit eum de peccato in isto saeculo; nam et ipsi David, cui dictum iam fuerat per Prophetam: Dimissum est peccatum tuum, evenerant quaedam, quae minatus erat Deus propter ipsum peccatum.* 3° Constat ex Conciliis et Praxi Ecclesiae, quae olim publicam poenitentiam iniungebat, et absolutos etiam in articulo mortis, et postea reconvalescentes ad priorem Poenitentiae gradum remittebat; uti patet ex Conc. Nicaeno c. 13 ex Conc. Carthaginensi IV. c. 78. Arausicano c. 3 et Tridentino, quod *Sess.* 14, *can.* 12 definit: *Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa semper remitti a Deo satisfactionemque poenitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt, Christum pro eis satisfecisse; anathema sit.* 4° Rationem insinuat idem Tridentinum, quia certum est, summam clementiam in Deo a rectissima iustitia esse indi-

stinctam, propter quam amandus simul est, et timendus: sicut ergo summa clementia postulat, ut quis peccatum intimo corde detestetur, et veniam obtineat, quia alias non misericors Pater, sed inexorabilis iudex Deus esset: ita exigit iustitia, ut, qui peccaverunt, severitate aliqua puniantur, ne facilitas veniae fiat delinquentibus ad scelera incentivum.

Schol. Lutherus initio novae suae doctrinae negabat, ullam poenam a Deo exigi post culpam remissam: deinde vero admisit, poenam temporalem in hac vita remanere post culpam remissam, non vero in futuro saeculo: in *assert. artic. art.* 5. Priorem Lutheri sententiam amplectitur Calvinus *l.* 3 *Instit. c.* 4. ubi docet, Deum a iustis nullas exigere poenas in vindictam peccatorum, sed eos tantum paterne castigare ad emendationem in posterum. Posteriorem Lutheri opinionem sequuntur multi Lutherani: et contra dogma Catholicum opponunt. I. Quia Deus in S. Scriptura saepe testatur, se gratis et perfecte peccata remittere: *Ezech.* 18. *Omnium iniquitatum eius non recordabor*: *et c.* 33. *Impietas impii non nocebit ei.* Et Christus adulterae, dimisso peccato *Ioan.* 8 nullam satisfactionem imposuit. Et *ad Rom.* 8, *v.* 1. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu. Resp.* S. Scriptura loquitur de perfecta remissione quoad culpam et poenam aeternam, non vero quoad omnem poenam temporalem. Christus adulterae nullam satisfactionem imposuit, vel quia tantam contritionem habuit, ut omnis poena deleretur; nam et nos fatemur, talem subinde dari posse: vel utpote Deus iure suo omnem poenam condonavit. II. S. Ambrosius *l.* 10, *in Lucam* ait: *Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego.* Et S. Augustinus *l. de pecc. mer. Vitae huius miseriae ante remissionem sunt quidem supplicia peccatorum; post remissionem autem certamina et exercitationes iustorum.* Et similiter loquitur S. Chrysostomus *hom. de Poenit. Resp.* S. Ambrosius nomine satisfactionis intelligit excusationem; nam subdit: *Quod defendi non potest, ablui potest.* S. Augustinus et Chrysostomus volunt, vitae huius miserias, quae supplicia sunt peccati, post remissam culpam hanc utilitatem etiam habere, ut iustos in virtute exerceant. III. Peccata nostra sunt vera debita, quae non perfecte remittuntur, si aliqua poena remaneat. Certe culpa est causa poenae temporalis: ergo sublata culpa, poena velut effectus tollitur. *Resp.* Satis dimittitur debitum, si poena aeterna remittatur. Deinde in moralibus sublata causa non tollitur omnis effectus; sic in baptizatis sublata culpa originali non tolluntur poenalitates, eius effectus.

Solvuntur obiectiones.

Art. 1. *De satisfactione, reatus poenae per opera bona.*

§ 1073. Hinc reatus poenae temporalis, qui subindo post remissam culpam remanet (§ 1072.), bonis operibus redimi potest. Sic 1° *Ion. ult.* Ninivitae ieiuniis, sacco et precibus civitatem suam ob peccata eorum delendam, ab interitu vindicarunt. 2° S. Augustinus *in*

Reatus poenae per bona opera remitti potest.

Ps. 50. ait: ***Ignoscis confitenti: ignoscis, sed seipsum punienti.*** Et S. Gregorius *l. 7. Moral. c.* 27. ***Procul dubio Dominus delictum sine ultione non deserit; aut enim ipse hoc homo in se poenitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit.***

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Lutherani communius fatentur, poenas temporales posse interdum aliis poenis sponte susceptis tolli: Calvinus vero vult, eas nullis poenis et operibus redimi posse. I. Quia Deus gratis nobis peccata remittit, *ad Rom.* 3. *v.* 24. Ergo non opus est satisfactione. *Resp.* Deus gratis nobis peccata remittit, concedendo Christum, in quo, et per quem satisfactiones nostrae valent; item gratis concedendo gratiam Fidei, et Poenitentiae, sine qua opera nostra ad vitam aeternam non valent; sed opera nostra non excludit. II. Satisfactio Christi fuit infinita: si autem Christus abunde satisfecit, ad quid requiritur satisfactio? *Resp.* Satisfactiones nostrae non sunt necessariae in pretium redemptionis nostrae, quod Christus abunde solvit, sed ut media, per quae nobis pretium Sanguinis Christi applicetur: hinc satisfactiones nostrae infinito valori satisfactionis Christi non nocent, quia nostrae ab ea omnem suum valorem trahunt. III. Homo nihil Deo offerre potest, quod non aliis titulis creationis, conservationis etc. illi debeat: ergo pro satisfactione offerre nequit. *Resp.* Ex hoc solum sequitur, quod non possit satisfacere de condigno ad strictos iuris apices quoad culpam et poenam aeternam; non vero quoad poenam temporalem; nam etiam mereri potest de condigno vitam aeternam (t. 1. § 386. Schol. 3.).

ART. 2. *De qualitate operum, quae satisfactoria dicuntur.*

Quaenam sint opera satisfactoria. § 1074. Porro opera haec satisfactoria sunt oratio, ieiunium, et eleemosyna. Sub oratione complectimur, laudes, gratiarum actiones, actus Contritionis et Confessionis: sub ieiunio, omnia opera mortificatoria, quae corpus affligunt: sub eleemosyna omnia opera misericordiae erga proximum. Igitur 1° De oratione patet ex S. Scriptura, ubi David in multis Psalmis coram Deo peccata sua deflet; et de Manasse, 2. *Par.* 33. dicitur: *Oravit Dominum Deum suum, et egit poenitentiam valde . . . et exaudivit orationem eius.* 2° De ieiunio habemus exemplum Davidis, 2. *Reg.* 12. et praeceptum ac promissionem, *Ioel.* 2. 3° De eleemosyna exemplum extat, *Tob.* 4. praeceptum et promissio, *Luc.* 11. *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis.* De tribus his, *Tob.* 12. *Bona est oratio, cum ieiunio et eleemosyna.* De cinere et cilicio in Ninivitis exemplum proponitur, *Ion.* 3. et praeceptum, *Ioel.* 1. Merito ergo definit Tridentinum *Sess.* 14. *can.* 13. ***Si quis dixerit, pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a Sacerdote iniunctis, sed neque sponte susceptis, ut ieiuniis, orationibus et eleemosynis vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit.***

Schol. Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 9. docet, tribus modis Deo satisfieri; poenas et flagella a Deo immissa patienter tolerando: opera laboriosa sponte assumendo: et muletam Sacerdotum arbitrio iniunctam subeundo. Primum modum admittit Kemnitius in *exam. p.* 2. reliquos reiecit; et Melanchton in *Confess. Aug.* absoluto damnat allata opera satisfactoria, velut caeremonias et res inutiles. Kemnitius vero in genere eas admittit; ea tamen vel sponte suscepta, vel iniuncta nullius esse ad satisfaciendum valoris contendit. Recentiores tamen Lutherani ea utilia esse putant ad reprimenda carnis desideria, tollendum scandalum, et superandas tentationes. I. Quia mortificationes sponte susceptae sapiunt hypocrisim: sunt mera inventa hominum: corpus extenuant, et frustra affligunt, uti sacrificuli Baal; vulnerantes semetipsos. *Resp.* Opera satisfactoria praecipiuntur ex dictis in S. Scriptura, adeoque non sunt hypocrisis et inventa hominum; corpus affligunt pro bono animae, non vero in malum finem, uti sacrificuli Baal faciebant. II. Oratio delectat, *Iac.* 5. ergo non est opus poenale et satisfactorium. *Resp.* Oratio delectat secundum mentem, non vero secundum carnem. Quot modis Deo satisfiat?

§ 1075. Per haec opera poenalia vere et proprie Deo satisfit pro reatu poenae temporalis, culpa dimissa. 1° *Dan.* 4. *Peccata tua eleemosynis redime;* ubi vox *redime*, satisfactionem, et ly *peccata*, poenam peccati denotant; licet etiam pro culpa sumi possit, et tunc sensus est, posse hominem poenitentem per eleemosynas placare Deum ex congruo, et ab eo gratiam reconciliationis impetrare. Huc etiam referri possunt omnia S. Scripturae loca, quae docent, opera instorum esse meritoria vitae aeternae (t. 1. § 383.): si enim sunt meritoria vitae aeternae, quod maius est, erunt etiam satisfactoria pro poena temporali; nam omne opus meritorium est satisfactorium, et vicissim, et ad utrumque eaedem conditiones requiruntur, quas vide t. 1. § 383. 2° Patet ex continua Traditione. Saeculo 2° S. Irenaeus *l.* 4. *c.* 26. *Ea, quae possidentur, pauperibus divisa solutionem faciunt praeteritae cupiditatis.* Saeculo 3° S. Cyprianus *Serm. de laps. Dominus nostra satisfactione placandus est.* Saec. 4° S. Ambrosius *ad Virg. laps. c.* 8. *Grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem.* Saec. 5° S. Augustinus *hom.* 50. *ex l.* 50. *hom. c.* 11. *Non sufficit, mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi etiam de his, quae facta sunt, satisfiat Deo.* Saec. 6° S. Gregorius *l.* 6. *in* 1. *Reg. c.* 15. *Corrigibilia quidem peccata portantur, quae, postquam a delinquentis voluntate discedunt, purgari satisfactione salubriter possunt.* Saec. 7° et 8° Ven. Beda *in Ps.* 1. *Consuetudo nonnisi recta et ponderosa satisfactione absolvitur.* Saec. 9° Rabanus *l.* 6. *in Eccl. c.* 7. *Quid aliud est poenitere, nisi irasci sibi, ut horreat, quod fecit, et cruciatus a se exigat, ne iudex iratus potius affligat?* Saec. 10° Radulphus *l.* 12. *in c.* 1. *Lev. Ab unoquoque nostrum poenitentiae satisfactione culpa commissa detergitur.* Pro reliquis saeculis pleni sunt Theologorum libri, quibus subscribit Tridentinum *Sess.* Sunt vere satisfactoria.

14. *can.* 14. *Si quis dixerit, satisfactiones, quibus poenitentes per Christum Iesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.*

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Opponunt Protestantes I. Opera nostra satisfactoria faciunt hominem confidere in seipso, quod impium est. *Resp.* Non in se, sed in Christo spem collocat, qui firmissime tenet, se per gratiam Christi meritis comparatam, non vero ex propriis viribus, posse poenitentiam agere. II. Solius Dei est peccata punire, quod facit per incussos conscientiae terrores in Contritione: ergo nostra satisfactio non requiritur. *Resp.* Incussi illi terrores imperite cum Poenitentia, et Satisfactione confunduntur (§ 1056. Schol. 1.).

Iustus etiam pro altero satisfacere potest. § 1076. Iustus autem non solum pro seipso, sed etiam pro poena temporali peccati alterius satisfacere potest. Nam 1° *Ad Gal.* 6. dicitur: *Alter alterius onera portate.* Ergo, infert S. Thomas *tr. contr. gent. c.* 158. *unus pro alio satisfacere potest, dummodo uterque in charitate fuerit.* Deinde in Symbolo Apostolorum credimus *Communionem Sanctorum*; et ex alibi dictis animae in Purgatorio detentae precibus nostris iuvari possunt (t. 1. § 413.). Ergo unus pro altero potest satisfacere. 2° Ratio est: Charitas plus potest apud Deum, quam apud homines: sed apud homines unus alterius debitum ex amore solvere potest: ergo etiam apud Deum.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Lutherus et Wicleffus volunt, unum pro poena temporali peccati alterius satisfacere non posse. Et nonnulli Catholici, quos suppresso nomine refert Suarez *d.* 4. *Sect.* 2. docent, unum fidelem alteri suffragari non posse per Satisfactionem, sed tantum a Deo impetrare remissionem poenae. I. Quia unusquisque *onus suum portabit: ad Gal.* 6. et obligatio satisfaciendi est personalis. *Resp.* S. Apostolus loquitur de ratione vitae suae reddenda sive ad praemium, sive ad poenam: et obligatio satisfaciendi non est tam stricte personalis, ut afficiat personam physice, sed tantum moraliter eamdem. II. Nemo per opus charitatis alterius sibi applicatum fit dignus gloria, vel per peccatum alterius, reus culpae: ergo nec per Satisfactionem alterius absolvitur a poena. *Resp.* Disparitas est, quod nullus fiat dignus gloria, nisi per gratiam, quae adultis non confertur, nisi media propria dispositione: nec constituitur quis reus, nisi per peccatum inficiens, quod solum committentem inficit. E contra condignitas poenae non attenditur penes dispositionem propriam, sed penes id, quod solvi debet; id quod etiam per alterum loco rei et obnoxii solvi potest.

Art. 3. *De operum laboriosorum utilitate, et necessitate.*

Opera satisfactoria recte suscipiunt et iniunguntur. § 1077. Ex dictis sequitur, quod opera laboriosa, quibus reatus poenae temporalis tollitur, non solum sponte suscipi possint, sed etiam recte a Sacerdotibus in Sacramento iniunguntur, et regulariter iniungi debent. *Primum* probatur ab exemplis S. Scripturae: sic S. Iob egit poenitentiam *in favilla, et cinere: Iob ult.* David ob

peccata commissa sponte ieiunavit, et humi cubavit: 2. *Reg.* 12. Posuit vestimentum suum cilicium: *Ps.* 68. Panem sicut cinerem manducavit: *Ps.* 101. Achab sponte cilicium ad carnem induit, ieiunavit, et in sacco dormivit: 3. *Reg.* 21. Certe si poenae hae sponte susceptae hypocrises fuissent, Deum non placassent. Hinc pleni sunt libri Veterum exhortationibus ad opera Poenitentiae sponte suscipienda. *Secundum* probatur ex *Matth.* 18. *Quaecumque alligaveritis*, *etc.* Hinc Tridentinum *Sess.* 14. *can.* 15. *Si quis dixerit*, *claves Ecclesiae esse datas tantum ad solvendum*, *non etiam ad ligandum*, *et propterea Sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus*, *agere contra finem clavium*, *et contra institutionem Christi*, *et fictionem esse*, *quod virtute clavium sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat; anathema sit*. Idem docent PP. S. Leo *ep.* 91. ait: *Mediator Dei et hominum hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem Poenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent*. S. Gregorius M. *l.* 3. *in* 1. *Reg.* 7. *Afflictio Poenitentiae ad delenda peccata idonea est, cum Sacerdotis fuerit iudicio imperata*. Accedunt Concilia, quae Poenitentiam pro peccatis imponunt, uti patet ex Canonibus Poenitentialibus: et ratio est, ut Divinae iustitiae per opera haec poenalia satisfiat (§ 1076.). *Tertium* iterum statuit Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 8. *Debent ergo Sacerdotes Domini*, *quantum spiritus*, *et prudentia suggesserit*, *pro qualitate criminum*, *et poenitentium facultate*, *salutares*, *et convenientes satisfactiones iniungere*, *ne si forte peccatis conniveant*, *et indulgentius cum poenitentibus agant*, *levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo*, *alienorum peccatorum participes efficiantur*. *Habeant autem prae oculis*, *ut satisfactio*, *quam imponunt*, *non sit tantum ad novae vitae custodiam*, *et infirmitatis medicamentum*, *sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam*, *et castigationem*. Haec autem obligatio provenit tum ex virtute Religionis, ne Sacramentum sine satisfactione velut parte integrali maneat imperfectum (§ 1056. Schol. 3.): tum ex iustitia vindicativa, et natura iudicii, in quo poena infligi debet pro delicto: tum ut praebeatur medicina a peccatis praeservativa.

Schol. 1. Olim Poenitentia publica in usu erat. Saeculum 1^um^ exemplum illius nobis exhibet in incestuoso Corinthio: saeculum 2^um^ in mulieribus a Marco praestigiatore corruptis. Ante haeresim Montani nullis certis Canonum praescriptis, sed prudentia Presbyterorum hae publicae Poenitentiae imponebantur, et dirigebantur. Exorta autem haeresi Montanistarum, Catholicis facilitatem veniae exprobrantium, severior disciplina introducta fuit; quae deinde grassante haeresi Novatiana ad quatuor poenitentium stationes redacta fuit. Igitur tunc poenitens conspersus cinere, et sacco indutus, communiter feria 4^a^ Cinerum Episcopo se sistebat, a quo extra Ecclesiam eiiciebatur, et *primum gradum* Poenitentiae explebat, qui vocabatur *fletus*, ubi Disciplina Poenitentiae publicae.

poenitens extra portam Ecclesiae subinde etiam imbribus et nivibus expositus intrantes orabat, ut pro se deprecarentur: tempus autem huius stationis pro gravitate criminis commissi ab Episcopo determinatum fuit. *Secundus gradus* Poenitentiae erat *auditio,* ubi poenitens intra portam templi in Narthece seu porticu Ecclesiae conciones audiebat, et una cum Catechumenis, Ethnicis, Iudaeis, Haereticis et Schismaticis usque ad Offertorium Missae commorabatur, ac deinde monente Diacono discedere debebat. Exacto audientiae tempore ab Episcopo statuto, *tertius gradus* dictus *substratio* incipiebat: ubi poenitens intra templi ambitum a portis Ecclesiae usque ad ambonem, ex quo Epistola et Evangelium legebatur, erat genuflexus humili ac demisso habitu, variisque poenis, ac laboribus castigabatur, frequenter super eum manus imponebantur, et orationes fundebantur, et cum Catechumenis ante Offertorium exibat: haec statio fuit severissima, et absolute *Poenitentia* ab Antiquis vocabatur. A tertio gradu ad *quartum* transibat poenitens, ubi cum aliis fidelibus sacris Mysteriis astabat; non tamen sacrificanda offerebat, nec nomen eius ad Altare recitabatur, nec ad SS. Eucharistiam admittebatur: hic gradus erat *consistentiae* Vide. Morinum *de Poenit. l.* 6. *c.* 1.

Quaenam peccata publicae Poenitentiae subiiciebantur?

Schol. 2. Omnia peccata mortalia nunquam subdita fuerunt legi Poenitentiae publicae, sed tantum idololatria, homicidium, adulterium, manifesta, quibus successu temporis nonnulla alia addita fuerunt. Ita contra Morinum *l.* 5, c. 3 et Nat. Alexandrum *diss.* 6, *Saec.* 3 *in his Eccl.* patet ex Concilio Neocaesareensi *c.* 4. Laodiceno *c.* 7 et S. Basilio *ep. ad Amphil. c.* 14, S. Gregorio Nyss. in *ep. canon. can.* 6, S. Augustino *ep.* 25, ubi peccata occulta, usura, furta, ebrietates a publica Poenitentia eximuntur; et S. Leo *ep.* 2. tribus assignatis criminibus tantum publicam Poenitentiam assignat. Peccata vero publica ad iudicem delata et probata, vel cum multorum scandalo patrata, publice castigabantur, et subinde etiam per Excommunicationem ad publicam Poenitentiam ea patrantes cogebantur, uti probat Morinus *l.* 7; c. 4. Item nec primis tribus saeculis, nec sequentibus Clerici maioribus Ordinibus initiati publicae Poenitentiae subiecti fuerunt, uti colligitur ex Concilio Carthaginensi V. c. 2. sed solum peccantes a sacris Mysteriis removebantur, iuxta S. Basilium *ep. can. c.* 51. Item publica Poenitentia semel tantum concedebatur; qui vero illa expleta in eadem, vel graviora peccata incidebant, toto vitae suae tempore a S. Mensa exclusi secreta Poenitentia castigabantur, et nonnisi in fine vitae veniam et Absolutionem obtinebant. Vide D. Tournely *de Poenit.* Denique usus publicae Poenitentiae circa saeculum 7^um iam remisit, ubi loco illius peregrinationes, in Monasterium detrusio, et certus ieiuniorum numerus imponebantur, donec tandem post saeculum undecimum Poenitentia publica plane abrogata fuit, cum eleemosynis pro expeditionibus et recuperanda Terra sancta, et flagellatione spontanea poenae canonicae redimerentur.

Coroll. Pract. 1° Confessarius sub peccato Mortali poenitenti etiam sola venialia vel iam confessa confitenti, aliquam Poenitentiam iniungere tenetur, ne Sacramentum imperfectum relinquat: per accidens autem ab impositione Poenitentiae excusari potest, si poenitens sit incapax eius persolvendae, v. g. moribundus, sensibus destitutus, cui tamen leve opus, uti invocatio Nominis Jesu, iniungi debet. 2° Si post Absolutionem quis novum peccatum confiteatur, nova Poenitentia iniungi debet, quia est novum iudicium. 3° Licet communiter opus externum pro Poenitentia iniungi debeat, considerato tamen poenitentis statu, opus pium internum, uti meditatio, actus Contritionis etc. etiam iniungi potest, quod per externam impositionem satis fit sensibile. 4° Convenit iniungere opus alias non praeceptum, ut nova difficultas sentiatur; et hoc praesumendum est, quod confessarius voluerit imponere, quando Missam, vel ieiunium iniungit. Subinde tamen ob poenitentis fragilitatem consultum, ut opus alias praeceptum iniungatur, si praecepta observare non soleat. Item convenit opus ab ipso poenitente praestandum imponere potius, quam ab alio, nisi persona sit debilis; ubi ipsa operis procuratio difficultate non carens Poenitentiae rationem habet. 5° Poenitentia non est iniungenda pro arbitrio poenitentis persolvenda, si voluerit, ne Sacramentum fiat imperfectum; poterit tamen Confessarius relinquere arbitrio poenitentis, ut hanc, vel illam satisfactionem exequatur, v. g. oret, vel eleemosynam det. 6° Iniungi etiam possunt preces, et opera bona pro defunctis, quia actus charitatis, quo quis alteri applicat opus bonum, habet etiam vim satisfactivam, et est eleemosyna spiritualis. 7° Confessarius graviter peccat, si pro peccatis occultis publicam Poenitentiam imponat contra praxim Ecclesiae, quia talem poenitentem infamat: imo nec pro peccatis publicis propria auctoritate publicam Poenitentiam cum certa solemnitate peragendam, v. g. standi ad fores Ecclesiae cum cereo, imponere potest; quia hac notitia Confessionis ad poenitentem in foro externo accusandum uti nequit. Hoc tamen sensu Confessarius publicam Poenitentiam imponere potest, ut coram iis, qui scandalum passi sunt, retractet sermones contra fidem, et bonos mores etc. factos; quia sic non manifestat peccatum poenitentis, sed cogit ad tollendum scandalum, ad quod per se tenetur. 8° Susceptio SS. Eucharistiae, et Poenitentiae pro Poenitentia iniungi potest; non vero susceptio Sacramenti Ordinis et Matrimonii, aut ingressus in Religionem, ad quae maxima libertas requiritur. 9° Confessarius, dum Poenitentiam imponit, non debet necessario habere memoriam singulorum peccatorum, quod saepe moraliter est impossibile; sed sufficit meminisse status poenitentis. Pro determinanda autem Poenitentia sit regula prudentia lumine superno directa; non sit Confessarius ex respectu humano, vel vana gloria nimis lenis: nec indiscreto zelo nimis severus; sed meminerit sententiae Gersonis, tutius esse cum moderata Poenitentia libenter suscepta mittere poenitentem ad Purgatorium,

Resolvuntur casus.

quam cum rigidiori non impleta ad Infernum. Causae vero leviorem Poenitentiam iniungendi, sunt: Infirmitas corporalis poenitentis, vel spiritualis, quando timetur, ne rigidiorem omittat, vel a Confessione deterreatur: item dolor extraordinarius: et indulgentiae in die Confessionis lucrandae. 10° Poenitentia salutaris est, quae ad castiganda peccata commissa, et satisfaciendum Deo pro iniuria, et ad ea praecavenda conducit: conveniens est, quae gravitati peccatorum, et statui poenitentis est proportionata: medicinalis est, quae peccatorum causas, et radices tollit: hinc avaris eleemosynae: lascivis opera mortificatoria et ieiunia: superbis officia humilitatis imponi possunt. Pro uno peccato mortali communiter Rosarium, Litaniae de OO. SS. vel Lauretanae, auditio Sacri, ieiunium iniungi potest. Si plura sint mortalia, non pro singulis singula Rosaria iniungenda sunt, sed Poenitentia quaedam gravior cum leviori per plures dies persolvenda. 11° Consuetudinario praeter has Poenitentias iniungi potest, ut certo die iterum confiteatur, et communicet: ut quoties relabitur, certam Poenitentiam persolvat: ut singulis diebus per mensem, vel usque ad proximam Confessionem certas preces persolvat: vel singulis diebus mane proponat, ab illo vitio abstinere, implorata ad hoc intercessione Beatissimae Virginis et SS. et vespere examen instituat, et de commissis peccatis doleat: perpetuam autem Poenitentiam imponere plures dissuadent.

ART. 4. *De obligatione Poenitentis implendi Poenitentiam.*

Poenitens tenetur Poenitentiam implere.

§ 1078. Poenitens autem tenetur ad Poenitentiam Sacramentalem acceptandam et implendam sub obligatione gravi. Ita colligitur ex Tridentino *Sess.* 14. *cap.* 9. ubi statuit, datam esse a Christo Domino Sacerdotibus potestatem ligandi, atque solvendi; et ligare explicat de iniunctione Poenitentiarum; quod non foret; si non teneretur poenitens iniunctam sibi Poenitentiam acceptare, et implere. Hinc in *can. Omnis utriusque sexus*, statuitur, ut fideles confiteantur, et iniunctam sibi Poenitentiam studeant implere.

Solvuntur obiectiones.

Schol. 1. Dices cum Scoto et aliis, quorum sententia P. Suarez videtur esse temeraria: I. Homo non tenetur pro poena temporali in hac vita satisfacere, sed illius solutionem in Purgatorium potest remittere. *Resp.* Absolute quidem loquendo poena temporalis in Purgatorium remitti potest; non tamen supposita institutione iudicii Sacramentalis, ad cuius perfectionem satisfactio requiritur. II. Potest poenitens se subdere iudicio Sacramentali ad impetrandam remissionem culpae, et poenae aeternae, non vero poenae temporalis; et proinde sine obligatione ad acceptandam Satisfactionem. *Resp.* Huic obstat praeceptum Christi, submittendi se iudicio Sacramentali quoad remissionem culpae et poenae. III. Confessarius est iudex arbiter, cuius iudicio nemo se subiicere tenetur. *Resp.* Ex supposito, quod quis iudicio arbitri se subiecerit, eius sententiae obedire et stare tenetur.

Schol. 2. Quaeritur, qualem effectum habeat Satisfactio Sacramentalis ex opere operato. Sotus *in* 4. *d.* 19. putat, Satisfactionem non causare remissionem poenae temporalis ex opere operato; quia est tantum pars integralis Sacramenti Poenitentiae. Lugo *disp.* 25. *Sect.* 2. putat, Satisfactionem ex opere operato non conferre ius ad specialia auxilia pro praecavendis peccatis. Salmanticenses autem volunt, eam non causare augmentum gratiae habitualis ex opere operato: Respondetur: Satisfactio Sacramentalis ex opere operato causat remissionem poenae temporalis, et auxilia quaedam ad praecavenda peccata futura, quia Sacramenta N. L. ex opere operato efficiunt id, quod significant: sed Satisfactio Sacramentalis significat remissionem poenae temporalis, et maiorem praecavendi peccata facilitatem ex auxiliis gratiae: ergo eam efficit. Deinde Satisfactio Sacramentalis causat ex opere operato augmentum gratiae habitualis, quia nequit esse pars Sacramenti Poenitentiae, nisi aliquo modo participet naturam totius Sacramenti: sed natura Sacramenti est, ut vel causet primam gratiam, vel augmentum illius: ergo cum Satisfactio Sacramentalis supponat primam gratiam per Confessionem et Absolutionem iam productam, saltem augmentum eius ex opere operato causat. Dices I. Verbis Absolutionis prolatis, Sacramentum Poenitentiae causat gratiam sibi propriam: ergo, quando impletur Poenitentia, nulla gratia causatur. *Resp.* Gratiae augmentum in impletione Poenitentiae causatum, est complementum illius in Absolutione productae. II. Sic Poenitentia esset Sacramentum vivorum, et deberet Satisfactio impleri in statu gratiae, ne eius augmento obex ponatur. *Resp.* Ratio Sacramenti vivorum desumitur a gratia principali, non vero ab eius complemento; et hinc non peccatur mortaliter, si illi obex ponatur. An satisfactio Sacramentalis ex opere operato poenam remittat?

Coroll. Pract. 1° Omittere Poenitentiam pro mortali iniunctam, est mortale: omittere vero pro venialibus, vel mortalibus iam confessis iniunctam, secluso contemptu et scandalo, est tantum veniale, quia videtur excusare levitas materiae. 2° Qui oblitus est Poenitentiam iniunctam, debet, si possit, Confessarium interrogare, si non possit, absolute loquendo, ad nihil tenetur, quia propria auctoritate aliam substituere non potest: nec tenetur ideo confiteri priora peccata, a quibus directe est absolutus, quia haec obligatio nullibi imponitur; sed satis est, negligentiam confiteri: consultum tamen est, ut priora peccata denuo confiteatur, et Poenitentiam sibi iniungi petat. 3° Poenitens tenetur per seipsum exequi Poenitentiam iniunctam, iuxta prop. 15. ab Alexandro VII. damnatam. 4° Si Confessarius nullum tempus determinet, tenetur eam poenitens, quamprimum commode potest, implere; et graviter peccat, si nimis diu v. g. per annum differat, quia partem integralem Sacramenti ab aliis nimium sciungit: ad aliquot vero septimanas differre, est solum veniale, nisi sit medicinalis; neque necessario implenda est ante Communionem: nec peccaret mortaliter, qui post octiduum iterum confiteretur, quin priorem Poenitentiam persolvisset. Si Confessarius iniunxit Poenitentiam Resolvuntur casus.

determinato tempore persolvendam, est mortale eam sine causa notabiliter v. g. ad plures septimanas differre; secus, si ad aliquot dies differatur; et si statuto tempore omissa sit, debet postea adhuc impleri. 5° Poenitentia Sacramentalis probabilius impleri debet ex aliqua intentione satisfaciendi, ut hoc modo sit pars Sacramenti, quod fit, persolvendo, quia Confessarius eam iniunxit. 6° Qui Poenitentiam implet in statu peccati mortalis, satisfacit quidem obligationi, quia ponit opus praeceptum; fructum tamen eius non consequitur, et saltem venialiter peccat: peccatum tamen veniale commissum in impletione Poenitentiae non impedit fructum satisfactionis ex opere operato. 7° Si Poenitentia nimis gravis imponatur, potest poenitens pro mitigatione instare, vel si indiscretus Confessarius eum non audiat, sine absolutione discedere, et alteri confiteri, ab ipso autem poenitente velut in aliam etiam meliorem mutari nequit. 8° Alius Confessarius Poenitentiam mutare nequit, nisi poenitens priorem Confessionem repetat, quia causa incognita nequit iudicare. Ab eodem autem Confessario, si status poenitentis adhuc recordetur, et is ad suum tribunal recurrat, sine repetitione prioris Confessionis totius, sed uno solum peccato explicato in Confessione, mutari potest: si vero non recordetur, repetenda est prior Confessio. 9° Ab impletione Poenitentiae quis excusatur, si sit iniusta, impossibilis, vel a Superiore prohibeatur, ubi commutatio illius in aliam modo dicto fieri potest.

ART.. 5 *De satisfactionis implemento quoad absolutionem.*

Satisfactio ante Absolutionem necessario impleri non debet.

§ 1079. Necesse tamen non est ad integritatem substantialem Sacramenti Poenitentiae, ut Satisfactio impleatur ante Absolutionem; sed perinde est, sive antecedat, sive sequatur. 1° Quia Ecclesia semper ratam habuit Absolutionem ante impletam Satisfactionem. Sic Ecclesia Graeca a mille et ducentis annis, statim post Confessionem et iniunctam Poenitentiam absolvere poenitentes consuevit. Latina idem saltem a sex saeculis et hodiedum observat. Et ideo S. Facultas Parisiensis in sua Censura circa librum Theophili Brachot opinionem contrariam, ut temerariam, erroneam et haereticam an. 1644 damnavit. 2° Iuxta veterem etiam Ecclesiae disciplinam, Absolutio etiam ante expletam Satisfactionem rata fuit. Sic poenitens in vitae periculo ante expletum Satisfactionis tempus absolvebatur, uti patet ex *can.* 13. Concilii Nicaeni I. Item cum periculum erat, ne ob dilatam Absolutionem poenitentes deflecterent ad haereticos: ex S. Cypriano *ep.* 52. Item quando instabat gravis persecutio; ex eod. *ep.* 54. Item cum spes affulgebat, fore, ut hac indulgentia plures ad Ecclesiam reverterentur, schisma extingueretur, vel aliud magnum bonum proveniebat: ex eod. *ep.* 46. Item cum Martyres datis libellis postularent, ut lapsis poenitentia relaxaretur: *ep.* 16. Ac denique cum poenitens magnum et intensum dolorem de peccatis demonstraret: S. Gregorius *ep. Canon. can.* 5. 3° Patet ex Propositionibus a Summis Pontificibus damnatis. Sic Sixtus IV. an. 1478. damnavit hanc pro-

positionem Petri de Osma: ***Poenitentes non sunt absolvendi, nisi peracta prius Poenitentia eis iniuncta.!*** Et Alexander VIII. an. 1690. damnavit propositiones 16. 17. 18. morem absolvendi ante peractam Poenitentiam improbantes. 4° Ratio est, quia satisfactio est pars duntaxat integralis Sacramenti Poenitentiae (§ 1056. Schol. 3.), sine qua stat essentia compositi, ac in ipsa Contritione, et Confessione nonnihil poenale occurrit, quod in compensationem pro debito poenae temporalis Deo offerri potest.

Schol. 1. Petrus de Osma Spalatensis Apostata *l.* 5 *de repub. Christ. c.* 7. Theophilus Brachet in *l. Verus*, Pacificus, et Quesnellus *prop.* 87. docent, executionem Poenitentiae iniunctae necessario ex institutione Christi, et inviolabili Sacramenti natura ita praerequiri ante Absolutionem, ut haec non sit valida, nisi Satisfactio prius completa fuerit. I. Quia SS. PP. vocant Satisfactionem pretium, quo peccata redimuntur, et debitum expungitur: sed redemptio non datur, nisi pretio soluto; nec debitum relaxatur, nisi solutione praestita. Et ideo S. Cyprianus *ep.* 10. dicit, esse contra legem Evangelii, lapsis ante actam Poenitentiam pacem offerre. *Resp.* Satisfactio est pretium pro redimenda poena temporali, quae etiam non remittitur, nisi pretio hoc soluto. Et S. Cyprianus cum aliis PP. loquitur de disciplina sui temporis, ubi saepe Satisfactio Absolutioni praemittebatur, et vult solum, ex instituto Christi Satisfactionem esse peragendam; non vero necessario ad valorem Sacramenti Absolutioni praemittendam. II. Iidem PP. docent, poenitentem in periculo mortis absolutum, eo superato, ad priorem Poenitentiae statum redire debere. *Resp.* Hoc non ideo fiebat, quasi Absolutio esset invalida, sed pro disciplina illorum temporum ad exemplum et terrorem aliorum. III. Dicunt, Poenitentiam moribundi dubiam esse, et incertam, quare? nisi quia Satisfactio non praecessit. *Resp.* Dubia est, quia dubia videtur interna eorum Contritio et dispositio.

Solvuntur obiectiones.

Schol. 2. Ex dictis (Schol. praec.) colligitur, quod illo tempore, quo in usu fuit Poenitentia publica, Absolutio Sacramentalis ordinarie post expletam Satisfactionem data fuerit. Sic Zephyrinus P. apud Tertull. *l. de pudic. c.* 1. ait: *Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto*. Idem testatur Gelasius in Concilio Romano, et Conc. Toletanum II. *can.* 12. Cyprianus *ep.* 59 de illis conqueritur, qui ante expletam Poenitentiam nimis faciliter pacem, id est, Absolutionem, ius dantem ad SS. Eucharistiam, concedebant. Patet etiam ex S. Paciano *ep. ad Sempronian.* S. Eligio *hom.* 8. et constat ex controversia inter Montanistas, Novatianos, et Catholicos exorta, quippe Catholici contra eos docebant, exacta Poenitentia posse Ecclesiam Poenitentibus peccatorum veniam concedere; quod certe non de reconciliatione, sed Sacramentali Absolutione intelligitur, de qua convertebatur. Vid. D. Tournely. Verum licet hoc ordinarie factum fuerit, in nonnullis tamen casibus in § relatis non fiebat, nec in criminibus publicae Poenitentiae non subiectis Absolutio differebatur,

An post publicam Poenitentiam peractam modo Absolutio data fuerit?

certo indicio, quod ad valorem non requiratur, ut impletio Poenitentiae Absolutionem praecedat. Non obstat I. quod haec Absolutio supponat peccata dimissa, adeoque Absolutionem Sacramentalem, quia Satisfactio pro poena temporali nonnisi dimissa culpa fit: ergo illa Absolutio fuit mera reconciliatio caeremonialis. *Resp.* Subinde per Charitatem perfectam peccata dimissa iam fuerant, non vero semper. Deinde illa Satisfactio dispositive remittebat poenam temporalem, non vero formaliter, et effective; nam Satisfactio Sacramentalis, quae fit etiam in statu peccati mortalis, si fiat animo Poenitentiae, consequitur effectum suum ex opere operato tamquam pars Sacramenti, quando Sacramentum per Absolutionem totaliter ponitur. II. Absolutio illa supponebat susceptionem SS. Eucharistiae; nam in Conc. Carthaginensi IV. c. 76. statuitur, ut poenitentes in periculo mortis reconcilientur, et SS. Eucharistiam percipiant, et post periculum superatum, Poenitentiam continuent, qua peracta, modo per manus impositionem reconcilientur. *Resp.* Hic fuit casus extraordinarius, qui communi consuetudini non praeiudicabat. III. Haec Absolutio olim a Diaconis etiam dabatur: ergo non erat Sacramentalis. *Resp.* Absolutio illa Sacramentalis cum caeremoniali saepe coniungebatur: Sacramentalem soli Presbyteri, caeremonialem etiam Diaconi conferre poterant.

CAP. VII.

De indulgentiis earumque varietate, et origine.

§ 1080. Quia etiam per indulgentias poena temporalis remitti potest, ideo de illis hic agendum est. Est autem *Indulgentia* remissio poenae temporalis, quae post dimissam culpam luenda superest, extra Sacramentum facta ab eo, qui potestatem habet dispensandi spiritualem thesaurum Ecclesiae. Hic thesaurus sunt bona spiritualia, dispensationi Ecclesiae concredita.

Indulgentia quid?

Schol. 1. Indulgentiae 1. aliae sunt *Plenariae*, seu totalis poenae relaxatio post Absolutionem Sacramentalem residuae. Veteres olim ante bella sacra contra Turcas, Ierosolymitanos, et Albigenses plenarias huiusmodi Indulgentias concedere non solebant; sed modo saeculo 11° huic vel illi, intuitu alicuius operis laboriosi ob evidentem Ecclesiae utilitatem suscepti, quale fuit, arma contra Gentiles ferre, aut pro expeditione sacra sumptus ministrare, Indulgentia plenaria concessa fuit, qualis erat illa in Concilio Claromontano an. 1096. ab Urbano II. concessa; Haec Indulgentia iuxta Van-Espen occasio fuit abrogandi poenas Canonicas et Canones Poenitentiales, cum multi potius expeditionem sacram, vel sumptus pro ea, quam Poenitentiam Canonicam subire mallent. Aliae sunt *Partiales*, quae de se sunt tantum remissivae partis poenarum temporalium residuarum, peccatis remissis. Hae subdividuntur in Indulgentias *annorum*, *dierum*, *carenam*, et *quadragenam:* unde si concedantur Indulgentiae unius anni,

Indulgentia quotuplex? et eius origo.

40. diorum ,vel carena, sensus est, dari Indulgentiam remissivam tantae poenae peccatis debitae, quanta deleretur per Poenitentiam unius anni, iuxta Canones olim iniunctam: aut per 40. dierum ieiunium in pane et acqua per Canones Poenitentiales iniungi solitum, quod significat carenam: per quadragenam vero intelligitur remissio Poenitentiae per ieiunium Quadragesimale subeundae. Forma huius Indulgentiae iuxta Morinum solum se extendebat ad eleemosynas pro aedificatione, et reparatione piorum locorum, quae subinde ad res saeculares, v. g. aedificationem pontium etc. denique ad alia pia opera, v. g. visitationem Ecclesiae, cum obligatione ibi orandi ad intentionem concedentis Indulgentias, extensa fuit. Hic mos iuxta Morinum *l.* 10. *c.* 20. saeculo 12° invaluit: quod enim nonnulli putent, S. Gregorium M. instituisse Romae huiusmodi relaxationes, quae dantur visitantibus Ecclesias Stationum, per 40. annos, nullo firmo argumento probari potest; et hic error ex eo fluisse videtur, quod cum saeculo 13° Pontifices Indulgentias concederent visitantibus Ecclesias Stationarias, et S. Gregorius M. Stationes instituisse dicatur apud Ioannem Diaconum, deinde creditum sit, cum etiam Indulgentias illas concessisse. Similiter etiam Indulgentiae a Leone III. saeculo 9° in Canonizatione S. Suitberti concessae, non videntur esse genuinae, cum epistola Leonis vitae S. Lugderi annexa eruditis passim videatur esse conficta, eo quod modum Canonizationis eo tempore needum usitatum referat. Item lapis marmoreus Romae in Ecclesia Sanctorum Martini, et Silvestri, ubi a Sergio P. visitantibus cam trium annorum Indulgentiae, et tres quadragenae conceduntur, cum nec annum inscriptionis habeat, et ab Anastasio non memorentur hae Indulgentiae, Papebrochio in *propyl. ad Acta SS. mensis Maii diss.* 17. recentiori manu actus esse videtur. Denique Indulgentiae plenariae a S. Silvestro visitantibus Ecclesiam Lateranensem concessae, plane sine omni sufficienti fundamento afferuntur. Manet ergo, saltem ante saeculum 11^{um} has Indulgentiarum formulas usitatas non fuisse. Ex quo tamen non sequitur, Indulgentiarum usum dumtaxat saeculo 11° in Ecclesia innotuisse, vel potestatem concedendi illas a Summis Pontificibus, vel Episcopis illo saeculo usurpatam esse; contrarium enim per singula saecula anteriora inferius probabimus: verum qua forma, et modo concessae fuerint, aut quando primum haec, aliave forma usitari coeperit, ad disciplinam, et historiam, non vero ad fidem spectare dicimus.

Schol. 2. Rursus Indulgentia alia est *personalis*, quae conceditur determinatae personae, vel certo generi personarum, v. g. Confratribus alicuius Sodalitatis. Alia est *localis*, quae conceditur omnibus certum locum visitantibus. Alia est *realis*, quae alligatur rei mobili, v. g. Rosario, Numismati etc. ita ut Indulgentia gaudeant personae rem illam devote gestantes. Numismata Indulgentiis primus decoravit S. Pius V. occasione Philippi Croyi Ducis Areschoti, et Nobilitatis Bruxellensis, quae novae sectae Gheusiorum, ad distinctionem Catho-

licorum nummum portanti cum inscriptione ex una parte: *Fideles Regi*, et imagine Philippi II. Hispaniae Regis: ex altera vero parte, cum imagine manticae inter duas manus interceptae, et lemmate: *Usque ad manticam*, se opposuerunt, ita ut Croyus cum suis imaginem Beatissimae Virginis Iesum gestantis spirae galeri aptaret; Bruxellenses vero nummos Coelitum imaginibus insignes, ceu signa Catholicae Religionis, e collo gestarent; ob quod a S. Pio V. Indulgentias obtinuerunt. Vid. Theodorum a Spir. S. *de Indulg.* Item quoad durationem, Indulgentia alia est *perpetua*, sine praefixione termini, quae non eget renovatione: alia est *temporalis*, quae ad certum tempus conceditur, quo elapso, renovari debet: alia est *quotidiana*, quam in certo loco quilibet quotidie lucrari potest.

Iubilaeum. *Schol.* 3. Famosa admodum Indulgentiae species est *Iubilaeum*, quod Bonifacius VIII. a. 1300. primus instituit, in Extrav. *Antiquorum*, *de poen. et remiss.* ubi quolibet anno centesimo sccuturo Basilicam Principis Apostolorum Romae visitantibus vere poenitentibus, et confessis plenissimam omnium peccatorum veniam concessit; pro qua lucranda statuit, ut Romani 30. diebus, peregrini vero 15. diebus continuis, vel interpolatis, praedictam Basilicam visitarent semel saltem in die. Necdum a prima hac institutione 50. anni elapsi fuerant, cum Clemens VI. ad instantiam Romanorum Iubilaeum hoc ad annum quinquagesimum reduxit, adeo ut anno 1350. secundum celebratum fuerit, ut nimirum plures huius Indulgentie fierent participes; unde eam etiam illis concessit, qui in via, vel urbe, praedicto dierum numero nondum expleto, decessissent. Rursus anno quinquagesimo ab hoc Iubilaeo secundo celebrato nondum expleto, Urbanus VI. tempus Iubilaei ad annum trigesimum tertium contraxit, quod sub Bonifacio IX. eius successore celebratum fuit, Grassabatur eo tempore schisma, sedente Romae Bonifacio IX. Avenione vero Benedicto XIII. quo in Concilio Constantiensi extincto, etiam Romana Ecclesia illam Urbani VI. novitatem reiecit, rediitque ad decretum Clementis VI. et ita fuit usque ad Paulum II. qui indulgentias Iubilaei quovis anno vigesimo quinto esse voluit; quod confirmavit Sixtus IV. a. 1475. Porro Bonifacius IX primus anno Iubilaei Romae absoluto easdem Indulgentias per modum Iubilaei ad alias civitates extendit. Paulus II. vero a. 1464. generalem extensionem ad omnes Ecclesias fecit in anno Iubilaeum Romanum subsequente. Primus Iubilaeum in initio suae elevationis ad implorandum Divinum auxilium pro felici regimine concessit Sixtus V. quem alii Summi Pontifices hucusque secuti sunt, qui etiam ob alias publicas necessitates Iubilaea extraordinaria subinde concedere consueverunt. Differt Iubilaeum ab aliis Indulgentiis plenariis, ob specialia privilegia Confessariis concessa, absolvendi confessos a gravissimis peccatis, censuris, poenis, et plura vota commutandi. Indulgentiae *Cruciatae* inceperunt a. 1095. et conceduntur illis, qui contribuunt, vel cooperantur ad bellum sacrum contra Infideles.

Schol. 4. Cælebris etiam est Indulgentia, *Portiuncula* nuncupata: cuius historiam ita refert Theodorus a Spir. S. *de Indulg.* Cum S. Franciscus Seraphicus proximi salutis amore totus flagrans, quadam nocte Assisii in Ecclesia S. Mariae Angelorum de Portiuncula orans, a Christo cum Beatissima Virgine sibi apparente postularet, ut quotquot rite confessi in S. illam Ædem introirent, plenam omnium peccatorum veniam obtinerent; non renuit Christus; eum tamen pro gratiae impetratione ad Papam Honorium III. Perusii commorantem voluit dirigere, cui etiam Honorius re mature discussa annuit, et postea rogatu S. Francisci divinitus admoniti diem 1. Augusti an. 1223. pro his Indulgentiis assignavit. Testes huius facti synchronos habemus Masseum de Marignano, et Petrum Salphanum, et vetera Martyrologia a Theodoro a Spir. S. contra Kemnitium veritatem historiae negantem allata. Has Indulgentias a. 1480. ad omnes Ecclesias S. Francisci extensas esse, refert Wadingus in *Annal. Min.* et Urbanus VIII a. 1643. eas etiam ab Ecclesias tertii Ordinis S. Francisci ampliavit. Indulgentia Portiunculae.

Art. I. *De Thesauro Ecclesiae.*

§ 1081. Cum Indulgentiae ex spiritnali Ecclesiae thesauro dispensentur, ideo de fide est, existere talem thesaurum Ecclesiae, qui ex Christi, Sanctorumque meritis coalescit. Et quidem de meritis Christi probatur 1° ex S. Scriptura, ubi dicitur Christus satisfecisse pro peccatis nostris quoad culpam, et poenam superabundanter, uti demonstratum est (t. 1. § 326.): sed in hac satisfactione et meritis Christi fundatur primario thesaurus Ecclesiae: *Cum enim*, (ait Clemens VI. in Extrav. *Unigenitus, de poenit. et remiss.*) *in ara Crucis innocens immolatus non guttam Sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani sufficisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse.... Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis, et superflua tantae effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit?* Ergo datur thesaurus Ecclesiae ex meritis Christi primario constans. 2° Ad hunc thesaurum spectant etiam merita Sanctorum, qui plus passi sunt, quam meruerant, et secundum iustitiam Divinam debebant, licet tantum secundario, et per accidens, non vero essentialiter, cum non sint absolute necessaria ad thesaurum Ecclesiae constituendum, pro quo sola passio Christi superabundans sufficit. Quippe credimus communionem Sanctorum: scimus, Deum precibus moveri ad condonandas poenas debitas peccatis, uti pepercit Loth propter fidem Abrahae, Israelitis propter Moysen. Ergo cum Sancti in vita sint membra eiusdem corporis mystici, quod est Ecclesia, per bona sua opera aliis etiam membris prodesse possunt. Adeoque pergit Clemens VI. loc. cit. *Ad cuius quidem thesauri cumulum Beatissimae Dei Genitricis, et omnium electorum a primo iusto usque ad ultimum merita adminiculum praestare noscuntur: de cuius consumptione, seu* Datur thesaurus Ecclesiae.

minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi, ut dictum est, merita, quam pro eo, quod quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.

Solvuntur objectiones.

Schol. 1. Lutherus in *litt. ad Albertum Archiepisc. Moguntinum*, et in 50 *conclus.* Wittembergae a. 1517 editis, negant hunc thesaurum Ecclesiae. I Quia licet satisfactio Christi infinita fuerit; tamen non plus poenarum sustinuit, quam mensura poenarum omnium hominum poposcit: imo condignam suorum meritorum gloriam per gloriam Corporis sui, et Nominis exaltationem accepit. *Resp.* Christus plus poenarum sustinuit, quia unica gutta Sanguinis pro satisfactione satis fuisset: et gloria corporis etc. virtutem meritoriam operum eius Theandricorum non aedaequavit, cum meritum eius infiniti valoris fuerit. Deinde merita Christi prout satisfactoria nullum effectum obtinuerunt eidem Christo, qui peccatum non fecit, communicandum; adeoque in divina acceptatione perseverant, ut ad nostram utilitatem dispensentur. II. Sancti bonis suis operibus alios iuvare non intenderunt, sed omnia ad gloriam Dei, et propriam salutem direxerunt: ergo non sunt eorum merita in thesauro Ecclesiae; nam merita Christi infinita iam sufficiunt. *Resp.* Sufficit intentio implicita, quam habuerunt Sancti, dum omnem fructum bonorum operum lucrari voluerunt, et pro utilitate totius Ecclesiae pati voluerunt. Item infinitas meritorum Christi non quidem admittit additionem intensivam, bene vero extensivam, quatenus augetur numerus operum; unde utraque merita Christi, et Sanctorum non sunt quid intensive maius, quam sola merita Christi ab illis seiuncta.

An merita SS ut satisfactoria ad thesaurum Ecclesiae spectent.

Schol. 2. Quaeritur, an merita Sanctorum spectent ad thesaurum Ecclesiae, non solum prout sunt impetratoria, sed etiam quatenus sunt satisfactoria. Respondetur affirmative: 1. Quia Leo X in *ep. ad Caiet.* ait, Papam Indulgentias concedere ex superabundantia meritorum Christi, et Sanctorum; item, eum thesaurum dispensare: particula vero *ex* et *dispensare* denotant, solutionem erogare, non vero pure impetrare. 2. S. Pius V sequentem propositionem Baii damnavit: *Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communicationem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi a poena peccato debita liberemur.* Ergo saltem iuxta mentem Ecclesiae merita Sanctorum etiam ut satisfactoria ad thesaurum Ecclesiae spectant, quia per ea nostra peccata proprie redimuntur licet in hac propositione sententia dicens, ea tantum ut impetratoria ad thesaurum Ecclesiae spectare, expresse non sit prohibita. 3. Compertum est, nonnullos Sanctos pluribus operibus afflictivis vacasse, quam ad delendam poenam temporalem eorum fuerint necessaria, utpote quam vel plane nullam habuerunt, uti Beatissima Virgo; vel non in eo gradu meruerunt, uti plures Martyres, et Confessores: ergo cum hae satisfactiones in Divina acceptatione adhuc

permaneant, in Ecclesiae thesauro asservantur. Nec dicas I. Clemens in cit. Constit. *Unigenitus*, solum merita SS. memorat, et quidem omnium Sanctorum, quorum tamen plures opera satisfactoria superflua non habuerunt. *Resp.* Nomine meriti satisfactiones designantur, quia satisfactiones nostrae nonnisi per opera meritoria exercentur. Omnes vero Sancti sumnntur in sensu accomodo pro iis, qui opera superflua habuernnt. II. Sic Sanctis titulus Redemptoris, soli Christo proprius, conveniret. *Resp.* Satisfactiones Sanctorum non prosunt ad remissionem peccatorum quoad culpam, et poenam aeternam, sed solum temporalem; et tantum secundario ad Ecclesiae thesaurum spectant. III. Beati in coelo receperunt mercedem suam: ergo aliorum debita solvere non possunt. *Resp.* Receperunt mercedem essentialem, non vero accidentalem, ad quam spectat, ut ii, pro quibus se afflixerunt in terris, a poenis liberentur.

Art. 2. *De Ecclesiae potestate concedendi Indulgentias.*

§ 1082. Cum igitur extet thesaurus hic Ecclesiae (§ 1081.), hinc etiam extat in Ecclesia potestas concedendi Indulgentias. Nam 1° *Matth.* 16. *v.* 19. S. Petro Christus dixit: *Tibi dabo claves regni coelorum.* Ad quid autem promittuntur Petro claves regui coelorum? an praecise, ut claudat, et nemini reseret thesaurum coelestem? absit: subdit enim Christus: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis:* id quod ad caeteros Apostolos extendit, *Matth.* 18. *v.* 18. Ex quibus verbis Concilium Africanum cum S. Cypriano potestatem Poenitentias imponendi, et relaxandi colligit. 2° Constat ex Traditione. Sic saeculo 1° Apostolus hac potestate usus est erga incestuosum Corinthium, cui indulsisse se dicit in persona Christi, ne abundantiori tristitia absorberetur. Saec. 2° Tertullianus *l. ad Mart.* approbat, quod Ecclesia ad preces Martyrum Poenitentias peccatis debitas relaxare soleat. Saeculo 3° S. Cyprianus *ep.* 13 ait, ad preces Martyrum consuevisse Ecclesiam indulgere poenitentibus, et Poenitentiam illis iniunctam, vel iniungendam remittere. Saeculo 4° Concilium Ancyranum a. 314 c. 5, et Nicaenum a. 325 c. 12 statuunt, humanius agendum cum poenitentibus, et de poenis relaxandum. Idem decernunt S. Basilius *ep. ad Amphil.* S. Gregorius Nyss. *ad Letojum*: et conc. Trullanum *can.* 12. Superflue peterentur exempla indulgentiarum pro recuperanda Terra S. concessarum: et ideo merito statuit Tridentinum in *decret. de indulg. potestatem conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiae concessam esse.*

Ecclesia potest concedere Indulgentias.

Schol. Tertullianus Montanista factus, *l. de pud.* c. 22 reprobat, quod Ecclesia ad preces Martyrum poenitentibus poenitentias relaxaret, cum tamen hanc potestatem adhuc Catholicus in *l. ad Mart.* aperte agnoverit, Waldenses saeculo 12°, teste Reynero *l. contr. Wald.* c. 6. Wicleffus, Ioannes Huss, et Hieronymus de Praga saeculo 14°, et Petrus Oxomensis saeculo 15° Indulgentias reiecerunt. Lutherus indigne ferens, quod Leo X provinciam promulgandi In-

Resolvuntur casus.

dulgentias non demandasset familiae Augustinianorum, sed Dominicanorum, invidiae facibus ardens primo contra varios Indulgentiarum abusus insurrexit, et tandem ipsum dogma subvertere aggressus est, quem deinde Calvinus secutus fuit. I. Quia Ecclesia non potest ligare in foro Dei ad poenas: ergo nec ab illis solvere. *Resp.* Ecclesia potest ligare ad poenas in foro Dei, non quidem positive, sed privative eas retinendo, vel indulgentias non concedendo, vel concessas revocando. II. Ecclesia non potest solvere a poena aeterna extra Sacramentum: ergo nec a temporali, cum sit extra eius iurisdictionem. *Resp.* Disparitas est, quod poena aeterna cum culpa indivisibiliter connectatur, adeoque sicuti culpa extra Sacramentum remitti nequit; poena vero temporalis non ita cum culpa connectitur, sed etiam in iustificato permanet; cumque Praelati Ecclesiae omne impedimentum ingressum coeli retardans auferre possint, etiam debitum poenae temporalis extra Sacramentum relaxare possunt. III. Usus Indulgentiarum modernarum saeculum 11^um^ non excedit. *Resp.* Licet forma modernarum Indulgentiarum modo saeculo 11° introducta fuerit, substantia tamen earum a Christo originem trahit, et discrimen illud solum est in accidentibus. IV. Sic daretur satisfactio Christi, quam Deus homini contrito et confesso applicare nequit sine consensu Pontificis. *Resp.* Deus utique applicare potest, sed non vult, nisi vel homo satisfaciat, vel Papa auctoritate Christi satisfactionem alienam illi applicet.

Art. 3. *De iis, qui Indulgentias concedere possunt.*

Quis concedere possit Indulgentias? § 1083. Ex hoc sequitur 1° quod Summus Pontifex, et Concilium generale, quatenus cum capite totum Ecclesiae corpus repraesentat, Indulgentias tum generales, tum particulares concedere possit (§ 1082). 2° Archiepiscopi vero et Episcopi solum Indulgentiam unius anni in die dedicationis Ecclesiae, vel 40 dierum ob aliam causam concedere possunt: ita declaravit Concilium Lateranense IV, quia alioquin per indiscretas, et superfluas Indulgentias a nonnullis praelatis forte concessas, claves Ecclesiae contemnerentur, et Satisfactio Poenitentialis enervaretur. 3° Alii vero Praelati Episcopo inferiores nonnisi ex speciali concessione Papae Indulgentias largiri possunt, ex *c. Accedentibus de excess. Prael.* Ubi Innocentius III. nonnullos Abbates reprehendit, qui potestatem concedendi Indulgentias sibi usurpabant: quod autem ex concessione Papae possint, patet, quia Urbanus IV Abbati Montis Virginis: Bonifacius IX Priori S. Frigdiani 40 dierum Indulgentias largiri concessit: et Leo X Capellano maiori Regis Lusitaniae 200 dies vere poenitentibus et confessis de iniunctis Poenitentiis relaxare indulsit.

An sit actus iurisdictionis? *Schol.* Potestas concedendi indulgentias est potestas iurisdictionis, nec supponit necessario in dispensante potestatem Ordinis Sacerdotalis. Nam 1. Alexander III *c. Quod autem de poenit. et remiss.* quaesitus, an valeant indulgentiae ab Episcopo sibi non subditis concessae, respondit: *Cum a non suo iudice ligari nullus valeat, vel absolvi,*

remissiones praedictas illis tantum prodesse arbitramur, quibus ut prosint proprii iudices specialiter indulserunt. 2. Remissio poenae temporalis per Indulgentias non est actus Sacramentalis, sed Absolutio involvens solutionem ex thesauro Ecclesiae extra Sacramentum, quae Absolutionem a Culpa in Sacramento factam supponit: ergo non requirit Ordinem Sacerdotalem, sed est potestas iurisdictionis.

Coroll. Pract. 1° Episcopi, cum ratione suae dignitatis Indulgentias concedere possint, alteri etiam hanc facultatem delegare possunt. 2° Episcopus nondum consecratus, sed tantum canonice electus, et confirmatus, Indulgentias concedere potest; imo in nostra Germania Episcopi etiam ante confirmationem hoc facere possunt, quia statim post electionem obtinent Ecclesiae admiuistrationem. 3° Licet plures Episcopi in dedicatione Ecclesiae praesentes non possint, nisi unius anni Indulgentiam simul concedere, ex *cap. Cum eo, de poenit. et remiss.* plures tamen, quorum siuguli iurisdictionem habent, uti Episcopus, et Archiepiscopus simul, vel successive, plures quadragenas eidem Ecclesiae concedere possunt. 4^to^ Si Episcopus ultra suos limites Indulgentias concedat, irritae sunt quoad excessum, valent tamen quoad terminum illis competentem. Pro defunctis vero Episcopi Indulgentias concedere non possunt *Resolvuntur casus.*

Art. 4. *De causis concedendi Indulgentias.*

§ 1084. Ad validam autem Indulgentiae concessionem pia et proportionata causa requiritur, ita ut levissima non sufficiat: et si toti Ecclesiae Indulgentia concedatur, debet esse causa communis in utilitatem totius Christianae reipublicae redundans: particularis vero, si particulariter: et personalis, si alicui personae concedatur. 1° Requiritur causa proportionata, tum quia Praelati Ecclesiae non sunt domini, sed dispensatores thesauri Ecclesiae, qui contra voluntatem Christi Domini eum dissipare non possunt: tum quia alias concessio Indulgentiarum vergeret in Ecclesiae eversionem, et perniciem animarum, et fideles ab operibus satisfactoriis revocarentur. Hinc S. Cyprianus invehitur contra eiusmodi dispensatores sine causa. *serm. de laps.* Innocentius III. in Conc. Lateranensi IV. *c.* 62. Indulgentias sine causa concessas vocat *indiscretas, et superfluas.* Et Clemens VI. in cit. Extrav. *Unigenitus*, docet, ea lege thesaurum Ecclesiae Petro, et eius successoribus esse creditum, ut eum pro piis et rationabilibus causis dispensent. 2° Pro causa levissima non possunt concedi Indulgentiae: tum quia iuxta Tridentinum dispensandae sunt secundum *veterem consuetudinem*, quae nonnisi piis operibus Poenitentiae eas conferre consueverat: tum quia alias thesaurus Ecclesiae dissiparetur. 3° Pro Indulgentia generali causa communis, pro particulari particularis requiritur, ut servetur debita proportio. *An iusta causa requiratur?*

Schol. 1. Paludanus *in* 4. *d.* 4. docet, pro concedendis Indulgentiis levissimam causam sufficere: et B. Albertus semper causam publicam requirit. I. Dispensatio sine iusta causa, et collatio Beneficii *Solvuntur obiectiones.*

indigno facta, est valida: ergo etiam Indulgentia sine causa proportionata, quia per minimam etiam causam cultus Dei promoveri potest. *Resp.* Dispensatio in lege humana, quam dispensans tollere potest, est valida; non vero in lege Divina: item collatio Beneficii indigno facta ob bonum commune, ne Ecclesia de suis ministris incerta sit, sustinetur: Indulgentia vero vim suam ex meritis Christi habet, et si sine iusta causa collata sit, bonum commune non promovetur; et honor Dei imminuitur, si pro qualibet levi causa satisfactio alias illi praestanda per Indulgentias relaxaretur. II. Ecclesia pro rebus levibus, v. g. visitatione Templi, recitatione unius *Pater* et *Ave*, uberrimas Indulgentias concedit; et si requiratur causa proportionata, nemo sine anxietate Indulgentiis, et privilegiis illis annexis uti posset. *Resp.* In illis operibus de se levibus subest gravis finis, scilicet maior Ecclesiae utilitas; protestatio fidei; augmentum devotionis, et Charitatis: si Indulgentia etiam foret invalida, valent tamen privilegia annexa, quae tantum adiiciuntur ut incitamenta ad lucrandas Indulgentias. III. Thesaurus Ecclesiae est bonum publicum: ergo nonnisi pro causa publica dispensari debet. *Resp.* Est quidem bonum commune; sed hoc etiam pro substrata causa particulari, alieni particulari dispensari potest.

Disciplina antiqua circa causas Indulgentiarum.

Schol. 2. Olim in concedendis Indulgentiis magna moderatio adhibebatur: hinc S. Cyprianus *ep.* 10. iubebat, ut Martyres, antequam libellos concederent, statum poenitentium expenderent, et nonnisi satisfactioni absolvendae proximis libellos darent, et examinatis ab Episcopo libellis, Indulgentia concederetur: saeculo vero 12mo nonnulli Episcopi in dandis Indulgentiis modum excedebant: Romani tamen Pontifices etiam saeculo 12mo modum tenuerunt, et Indulgentiae centum, vel mille annorum videntur esse olim fictitiae, et Conc. Lateranense IV. potestatem hanc Episcopis ademit, et abusum reformavit. Saeculo item 13^{tio} Romani Pontifices parce Indulgentias concesserunt: sic Urbanus IV. instituens Festum SS. Corporis Christi an. 1264. nonnisi 100. dierum Indulgentias concessit: sensim tamen facti sunt liberaliores; nihilominus plures Indulgentias Sixtus IV. revocavit, et Conc. Tridentinum in *decret. de Indulg.* moderationem iuxta veterem consuetudinem vult adhiberi, ne disciplina nimia facilitate enervetur. *Indulgentia eleemosynaria* post institutum ab Urbano II. sacrum bellum admodum frequentari coepit; quique hanc pro eleemosynis a fidelibus offerendis praedicabant, *Quaestores* vel *Praedicatores Quaestuarii* vocabantur, quibus Concilium Lateranense IV. c. 14. *de poenit. et remiss.* certas regulas praescripsit. Cum autem nonnulli falsum Religionis habitum assumentes, falsas Indulgentias praedicarent, et multos excessus committerent, de quibus in *Clem.* 2. *de poen. et remiss.* Concilium Viennense contra Quaestores statuit, ne quis sine litteris Apostolicis, vel Episcopi tales Indulgentias praedicaret. Sed hoc decretum effectum non obtinuit, adeo ut tempore exortae haeresis Lutheranae ad summum abusum res devenerit; et ideo Tridentinum Quaestorum usum abolevit. *Sess.* 21. c. 9. *de ref.*

Coroll. Pract. 1° Si Indulgentiis proportio causae deficiat, non omnino nullitatis vitio laborant; obtinent enim adhuc pro rata causae. 2° Proportio causae ad Indulgentias non consistit in propria quantitate vel aequalitate meriti aut proemii aut satisfactionis et remissionis inter causam, et Indulgentias, sed in convenientia medii ad finem, ita ut causa sit proportionata, ad quam obtinendam pensatis omnibus circumstantiis talis Indulgentia medium congruum esse reputatur: causa autem ita proportionata finem aliquem Deo gratum importat, cuius assecutio per Indulgentias Deo gratior videtur, quam satisfactio fidelium pro poena temporali, alias sine Indulgentiis subeunda; quae proportio prudenti aestimatione Praelati determinanda est, adeo ut licet re ipsa forte non sit proportionata, si tamen prudenter iudicetur esse proportionata, concessio pro valida habenda sit. Resolvuntur casus.

Art. 5. *De Indulgentiarum effectibus*

§ 1085. Effectus Indulgentiarum est, quod per eas poenae temporales iustitiae Divinae debitae etiam in futuro saeculo luendae remittantur. Ita patet 1° *Matth.* 18. *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo,* hoc est, in Dei foro, et iudicio. 2° Constat ex Traditione. Tertullianus *l. de pudic. c.* 22. perstringit S. Zephyrinum P. *Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei Filius?* Ubi manifeste innuit, in Indulgentiis non agi apud Catholicos de remissione disciplinae Ecclesiasticae, sed poenarum apud Deum debitarum. S. Cyprianus *ep.* 13. ait*: Ut qui libellum a Martyribus acceperunt, et auxilio eorum adiuvari apud Dominum in delictis suis possunt... cum pace a Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur:* sed relaxatio poenarum Canonicarum iam iam morituris prorsus inutilis est, cum ab eis per mortem absolvantur: ergo S. Cyprianus vult, Indulgentias precibus Martyrum concessas remittere poenas iustitiae Divinae debitas in futuro saeculo. S. Thomas in 4. *q.* 1. *a.* 3. *Indulgentiae valent et quantum ad forum Ecclesiae, et quantum ad iudicium Dei ad remissionem poenae residuae post Contritionem et Confessionem, et Absolutionem, sive sit iniuncta, sive non.* Sixtus IV. in Constit. *Licet ea,* damnavit propositionem Petri Oxomensis, qua asserebat, Romanum Pontificem Purgatorii poenam remittere non posse. Et Leo X. in Bulla *contr. art. Luth.* hunc perstringit*: Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud Divinam iustitiam.* Denique Concilium Tridentinum in *decr. de Indulg.* damnat Protestantes negantes, Indulgentias esse utiles: sed hi non negabant, Ecclesiam posse remittere poenas a se iniunctas, et ad hoc Indulgentias esse utiles, sed tantum posse solvere a poenis in futuro saeculo luendis: ergo satis expresse definivit, per indulgentias remitti poenam temporalem iustitiae Divinae debitam. Indulgentiarum effectus.

Schol. Praeter heterodoxos nonnulli antiqui putarunt, per Indulgentias reatum poenae temporalis in foro Dei non relaxari, sed tan- Solvuntur objectiones.

tum Poenitentiam in foro Ecclesiae iniunctam. I. Quia antiquae illae Poenitentiae, quae per Iudulgentias remittebantur, erant tantum impositae ad fidelium aedificationem, et tollendum scandalum, non vero ad expiationem poenae temporalis. *Resp.* Falsitas huius patet ex probatione mox data, et S. Cypriano. II. S. Cyprianus *l. de laps.* ait: *Sola superest Poenitentia, quae satisfacit Christo. Resp.* S. Cyprianus improbat abusum in relaxationibus concedendis solitum, quando fiebant vel nulla omnino satisfactione praemissa, vel ab eis, qui non habebant legitimam potestatem. III. Tridentinum in *decr. de Indulg.* dicit, ex nimia Indulgentiarum facilitate Ecclesiasticam disciplinam enervari: ergo vult, solas poenas fori externi remitti. *Resp.* Contrarium sequitur: Indulgentiae enim iuxta Tridentinum liberant ab externis poenis Canonicis, adeoque a poenis in foro Dei, ad quas tollendas hae Poenitentiae iniunctae sunt.

ART. 6. *De Indulgentiarum extensione ad animas purgantes.*

Indulgentiae ad animas in Purgatorio extendi possunt.

§ 1086. Ex § praecedente sequitur, quod Indulgentiae etiam ad animas in Purgatorio detentas extendi possint. Haec propositio, licet non sit formaliter de fide, uti notat D. Habert, utpote nondum ab Ecclesia definita; est tamen certa inter Catholicos, et iuxta Sylvium ad fidem pertinens: et probatur 1° ex cit. Constit. Sixti IV. et damnata propositione Petri Oxomensis (§ 1085.). Deinde idem Pontifex in Bulla: *Romanus Pontifex*, a. 1457. declaravit, quod Indulgentia alias Ecclesiae Zantonensi concessa perinde proficeret, ac si devotae orationes, piaeque eleemosynae pro animarum in Purgatorio existentium salute dicerentur, et offerrentur. Et Leo X. in *litt. ad Cardinalem Caietanum* ait, Ecclesiam Romanam tradidisse, Romanum Pontificem potestate clavium pro vivis et *defunctis* Indulgentias concedere posse. Et idem Pontifex hanc Lutheri propositionem damnavit: *Sex hominum generibus Indulgentiae non sunt necessariae, nec utiles: videlicet mortuis, etc.* 2° Patet ex continuo usu et praxi Ecclesiae: Ioannes VIII. *ep.* 144. *ad Ep. Gall.* a. 878. Christi fidelibus in bello pro defensione Ecclesiae suscepto defunctis Indnlgentias largitur. Bajoariae Episcopi a. 899. pro Arnulpho Imperatore defuncto, a Ioanne IX. postularunt, ut ipsius anima absolvatur, teste Metropolita Salisburg. *l.* 1. *p.* 47. Gelasius II. a. 1118. in consecratione Ecclesiae Ianuensis Indulgentiam omnibus defunctis in eius Coemeterio sepultis concessit, teste Oldoino in *Vit. Pont.* In expeditionibus sacris Summi Pontifices Indulgentias pro defunctis Cruce signatis dederunt, teste S. Thoma *in* 4. *d.* 45. *q.* 2. *a.* 3. Urbanus III. a. 1186. teste Mabillonio in *praef. ad Act. SS. .O S. B. Saec. V.* bene merentibus do Abbatia S. Nicolai Andegavensis, tam in vita, quam post mortem, septimam de iniunctis Poenitentiis partem relaxavit. Saeculo 14° et 15° frequentiora sunt harum Indulgentiarum exempla, uti Callisti III. pro Ecclesia Tyrasionensi, Pii II. pro Xantonensi etc. Iubilaeum a. 1500. pro defunctis lucrari posse

concessit Alexander VI. Altaria privilegiata pro liberatione animae e Purgatorio indulsit Gregorius XIII. Licet igitur nonnisi a saeculo IX. usus Indulgentiarum pro defunctis demonstrari possit, eum tamen legitimum nemo negare potest, quia impossibile est, Ecclesiam hucusque in re gravissima errasse, et fidelibus erroris ausam praebuisse: cum enim potestas clavium varios usus complectatur, necesse non est, eos omnes primis saeculis in usum esse deductos; sed sufficit, quod decursu temporis pro opportunitate factum fuerit.

Schol. 1. Protestantes, qui negant Purgatorium: item nonnulli Catholici, uti Hostiensis in *Summa tit. de remiss.* et Gabriel Biel, qui tamen sententiam suam adhuc mutavit, et Ioannes Gerson *Serm.* 2. *de Def.* negarunt, Indulgentias ad animas in Purgatorio extendi posse. I. Quia hae Indulgentiae non habent fundamentum in S. Scriptura, et Traditione. *Resp.* Fundamentum habetur, *Machab.* 2. ubi miserationis officium mediis suffragiis defunctis impensum commendatur. II. Ecclesia non habet iurisdictionem in animas defunctorum; et illae opera pro lucrandis Indulgentiis praescripta persolvere non possunt: ergo Indulgentiae illis non prosunt. *Resp.* Indulgentiae pro defunctis non conceduntur per modum Absolutionis, sed per modum suffragii, offerendo pro defunctis satisfactiones Christi, et Sanctorum, de quo mox plura. Et sufficit, ut opera praescripta vivi peragant, cum intentione lucrandi Indulgentias pro defunctis. III. Nemo mereri potest pro altero: ergo nec satisfactionem offerre. *Resp.* Disparitas est, quia meritum est quid personale, et auget gratiam merenti inhaerentem: satisfactio vero est simpliciter poenae solutio, quae internam sanctitatem non semper confert, adeoque ab uno pro altero, sicuti debitum, solvi potest. Solvuntur obiectiones.

Schol. 2. Indulgentia non prodest defunctis per modum Absolutionis, sed per modum suffragii. Nam 1. Ecclesia non potest uti actu iurisdictionis in defunctos, *c. Legatur, caus.* 24. *q.* 2. Hinc S. Petro dicitur: *Quaecumque ligaveris super terram etc.* super terram, inquit; nam in hac ligatione defunctum nusquam dixit absolvi. 2. Conceditur ergo per modum suffragii, uti docet Leo X. *ep. ad Caiet.* et Xystus IV. in Const. *Romani Pontificis.* Scilicet ita, ut debitum ab anima contractum, et in Purgatorio solvendum, e thesauro Ecclesiae solvatur. Dices I. Conferre Indulgentias est iurisdictionis voluntariae: ergo per modum Absolutionis in non subditos defunctos exerceri potest. *Resp.* Per concessionem Indulgentiarum exercetur iurisdictio voluntaria super thesaurum Ecclesiae, non vero super defunctos. II. Pontifices dicunt, se potestate clavium Indulgentias ad defunctos extendere: ergo per modum Absolutionis. *Resp.* Hoc fit solum per modum suffragii, uti si princeps captivos in alterius principis carcere detentos ex aerario suo soluto pretio non per modum absolutionis, sed suffragii liberaret. An Indulgentiae per modum suffragii prosint defunctis?

Schol. 3. Ex hoc sequitur, Indulgentias non prodesse defunctis infallibiliter, quia liberatio eorum a poena non proveniet ex iustitia; An infallibiliter

prosit usus Indulgentiae? nulla enim promissio Dei datur acceptandi satisfactiones Christi, et SS. pro defunctis, adeoque acceptare non tenetur, cum liberatio a poena sit tantum effectus divinae misericordiae.

Art. 7. *De Indulgentiarum utilitate, et salubritate.*

Indulgentiae sunt salutares. § 1087. Ex effectibus Indulgentiarum liquet, usum earum esse fidelibus salutarem: tum quia sine utilitate potestatem concedendi Indulgentias Christus Ecclesiae non dedisset; tum quia remissio poenae temporalis unicuique est utilis, et proficua.

An Clave non errante prosint tantum quantum sonant? *Schol.* Clave non errante, infallibile est, Indulgentias tantum valere, quantum sonant, quia sic habetur iusta causa, qua posita, habet Papa potestatem tribuendi valorem per verba significatum. Cum vero certo sciri non possit, Indulgentiam in particulari ex iusta causa datam fuisse, non est infallibile, hanc Indulgentiam in particulari tantum valere, quantum sonat. Quando tamen de defectu iustae causae evidenter non constat, praesumendum est, eam tantum valere, quantum sonat; quia Papa speciali Dei auxilio in regimine Ecclesiae adiuvatur.

Usus Indulgent. non repugnat charitati. § 1088. Quia Indulgentiae sunt salutares, ideo earum usus nullo modo adversatur perfectae charitati. Ita probatur 1° ex Const. Leonis X. *Exurge*, qui hanc propositionem damnavit: *Sex generibus hominum Indulgentiae nec sunt necessariae, nec utiles, videlicet mortuis, seu morituris .... his, qui meliora operantur*. Ergo meliora operantibus, adeoque studio perfectae charitatis addictis Indulgentiae prosunt; et sic charitati earum usus non repugnat. Hinc S. Inquisitio hanc propositionem Michaelis de Molinos a. 1687. damnavit: *Non convenit, Indulgentias quaerere pro poena peccatis propriis debita, quia melius est, divinae iustitiae satisfacere, quam Divinam misericordiam quaerere; nam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ex amore nostri interessato; nec est res Deo grata, et meritoria, quia est velle crucem fugere*. 2° Non decet, personas studio perfectae charitatis addictas orare: *Dimitte nobis debita nostra*. Ergo etiam salva charitate, mediis a Deo institutis hanc remissionem quaerere possunt: sed inter haec sunt Indulgentiae, utpote opera bona, et non impedientia perfectiora pietatis exercitia: ergo non repugnant charitati. Imo iuxta Theodorum a Spir. S. Indulgentiae perfectioni charitatis magis congruunt, cum perfectius sit, velle per Indulgentias iustitiae Divinae debitum solvere, quam in Purgatorio poenam luere: licet enim sit magis conforme perfectioni charitatis, caeteris paribus, velle hic in vita per opera poenalia satisfacere pro poena temporali propter maius augmentum meriti; non tamen velle satispati in Purgatorio, ubi expleto statu viae deficit tum pabulum, tum meritum charitatis, et conformitas cum Christo, nec ulla utilitas in proximum redundat.

Art. 8. *De requisitis ad indulgentias lucrandas.*

Requisita § 1089. Superest iam nunc, ut videamus, quid ad lucrandas In-

dulgentias requiratur. 1° Igitur, ut quis lucretur Indulgentias, debet esse baptizatus; nam thesaurus Ecclesiae a Pastoribus, illis solum dispensari potest, qui sunt membra Ecclesiae, qualia sunt soli baptizati. Ad lucrandas Indulgentias.

2° Debet esse subditus concedentis, et non excommunicatus: nam Indulgentiarum dispensatio est actus iurisdictionis, qui nonnisi erga subditos exerceri potest. Deinde Excommunicatio privat baptizatos suffragiis, bonisque inter Ecclesiae membra sibi invicem unita dividendis, inter quae bona numerantur Indulgentiae.

3° Debet esse in statu gratiae saltem tunc, quando ultimum opus praescriptum impletur: imo ad obtinendam Indulgentiam plenariam ab omni etiam peccato veniali liber esse debet; quia non dimittitur poena, nisi remissa fuerit culpa.

4° Opera iniuncta praescripto tempore impleri debent, quia tempus praescriptum est conditio ad lucrandas Indulgentias requisita.

5° In consciis peccati mortalis requiritur Confessio in re, si Indulgentia concedatur contritis, et confessis; quia tunc verba concessionis Confessionem requirunt, a quibus in dubio non est recedendum, cum sit opus pro lucranda Indulgentia praescriptum.

6° Requiritur intentio lucrandi Indulgentias saltem virtualis; nam opus iniunctum de se est indifferens, ut ad Indulgentias, vel alium finem dirigatur: ergo per intentionem saltem virtualem ad Indulgentiam determinari debet.

Schol. Ad lucrandas Indulgentias, praeter mox assignata, requiritur etiam sedula cura satisfaciendi Deo per opera poenalia peccatis proportionata. Ita Habert, Tournely, Amort etc. Nam 1° S. Paulus incestuoso nonnisi post poenitentiae longos labores indulgentiam donavit: 2. *ad Cor.* 3. Deinde iis etiam, pro quibus Martyres intercedebant, indulgentia modo post severam actam poenitentiam concedebatur, uti patet ex *epist.* 10. S Cypriani. 2° Hoc idem statuerunt antiqua Concilia. Ancyranum Idolorum templa frequentantibus et bestialistis, peracta per aliquot annos poenitentia, indulgentiam dedit, *c.* 5. 7. 16. Cui quid simile Concilium Nicaenum *can.* 12. statuit; id quod etiam posteriora Concilia decreverunt. 3° Subscribunt Romani Pontifices. Gregorius VII. ad Episc. Lincolniensem requirit planctum peccatorum, quantum vis valuerit. Ubi notat Baronius ad an. 1073. Sedis Apostolicae Indulgentias illis communicari, qui quantum suppetunt vires bene operari non praetermittunt, non autem ignavis, otiosis, ac negligentibus. Plura eiusmodi decreta videri possunt apud Cl. P. Amort *de Indulg.* 4° Ratio est, quia Ecclesia per Indulgentiarum concessionem dispensare non intendit fideles a praecepto Divino, dignos fructus poenitentiae faciendi: nec thesaurum Indulgentiarum nobis aperit ad tollenda opera satisfactoria, sed tantum ad supplendum, quod infirmitati nostrae deest; alioquin Indulgentiarum concessio non ad aedificationem fidelium, sed in destructionem spiritus poenitentiae redundaret: uti re ipsa Conc. Lateran. IV. merito conqueritur. Dices I. Sic vanum foret ad Indulgentias confugere, quae non prodernnt, nisi An studium satisfaciendi requiratur?

paucissimis poenitentiam agere paratis. *Resp.* Imo prosunt, quia ex dictis illud supplent, quod operibus nostris satisfactoriis deest. II. Antiqua Ecclesia saltem per Indulgentias aliquam partem satisfactionis remisit. et antiquum Canonum rigorem fregiscente charitate pene extinctum, modo per Indulgentias Ecclesia supplere conatur. *Resp.* Imo vero; sed ideo studium satisfaciendi et opera poenitentiae pro viribus nostris praestanda non remittit, sed defectum eorum supplet. Vid. III. Godeau *Theol. moral. part.* 3.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Expedit, ut omnia opera pro lucrandis Indulgentiis praescripta in statu gratiae peragantur: sufficit tamen, si ultimum opus in eo fiat. 2° Si opus iniunctum quoad substantiam spectatum ad finem intentum conducat, v. g. eleemosyna pro expeditione sacra, non obstat lucrandae Indulgentiae, si cum peccato veniali fiat; secus, si non conducat, v. g. si per intentionem malam totum vitietur. 3° Opera personalia praescripta per alium exerceri non possunt, nisi alter foret solum instrumentum, uti servus, per cuius manum eleemosyna erogatur. 4° Si Indulgentiae eodem die diversis Ecclesiis ex diversis titulis sint concessae, et opus praescriptum repeti non possit, plures Indulgentias iisdem operibus quis lucrari potest; secus vero, si opera sint iterabilia, quae repeti debent. Indulgentia autem plenaria in certos dies Ecclesiam visitantibus, vel aliud opus bonum peragentibus concessa, semel tantum obtineri potest: unde etiam de Indulgentia portiunculae requisita S Congregatio Trid. a. 1700. et a. 1723. an pluries eodem die lucrifieri possit, respondit: *Servetur solitum.* Ita Theodor. de Sp. S. *de Indulg.* 5° Qui omittit partem notabilem operis praescripti, non lucratur Indulgentias. 6° Si Indulgentia concedatur contritis et confessis, et aliquis non habeat conscientiam peccati mortalis, necessario non requiritur Confessio venialium, aut mortalium iam per Confessionem expiatorum. Ita Congr. Indulg. die 9. Dec. 1763. quia venialia non sunt materia necessaria Confessionis: secus est de peccatis mortalibus, quae confiteri oportet, si Indulgentia vere poenitentibus et confessis, ac S. Communione refectis concessa sit: in casu tamen, quo Confessio foret impossibilis, putat P. Layman, Contritionem sufficere. 7° Operibus aliunde praeceptis, non lucratur aliquis Indulgentias, nisi aliud Papa expresse asserat: nec potest Indulgentiam pro defunctis concessam, repetendo opera, pro se; et deinde pro defunctis quis lucrari. 8° Quando praescribitur visitatio Ecclesiae, satis est extra illius fores orare, si quis ingredi non possit, nisi ipse ingressus sit praescriptus: item si praescribatur visitatio. 5. Altarium in eadem Ecclesia, non requiritur motus corporis versus illa, sed sufficit, si quis versus illa corde orationes suas dirigat. 9° Quando oratio praescribitur, etiam mentalis sufficit, nisi vocalis expresse requiratur; debet autem esse attenta, et modica sufficit, si determinata non praescribatur. Debent vero opera assignata intra praefixum tempus peragi, quod est a primis Vesperis usque ad secundas vel Solis occasum. 10° Indulgentiae non cessant per mortem

concedentis, nisi aliter in Bulla expressum sit. Revocatio autem etiam sine causa valida est: et Festo translato non transferuntur Indulgentiae: et revocatae a Paulo V. non sunt revalidatae, iuxta prop. 37. ab Alexandro VII. damnatam: sicuti et Indulgentiae vivae vocis oraculo concessae cum aliis privilegiis vivae vocis oraculo concessis a Gregorio XV. et Urbano VIII. revocatae sunt. Quaenam vero Indulgentiae hodie adhuc valeant, ex Bullis earum cognosci debet. Vid. cit. Theodor.

Art. 9. *De iubilaeo eiusque privilegiis.*

§ 1090. Ad Iubilaeum lucrandum eaedem conditiones modo recensitae (§ 1089.) requiruntur. Favores vero speciales Iubilaei sunt. *Iubilaei privilegia.* 1° Electio Confessarii cuiusque ab Ordinario loci approbati; quod tamen non tenet in Monialibus, quae debent eligere Confessarium specialiter pro Monialibus approbatum, ex declaratione Congr. Trid.

2° Facultas absolvendi a reservatis tum Papae, tum Episcopo; ubi tamen excipitur crimen haeresis, etiam in foro conscientiae, si nimirum in Bulla Iubilaei expresse excipiatur; alias enim, iuxta P. Amort *tract.* 13. *de Indulg.* in Germania absolvi potest.

3° Facultas absolvendi in foro conscientiae ab Excommunicatione, Suspensione, et aliis Ecclesiasticis Censuris, excepta Irregularitate ex delicto, vel defectu; et potestas commutandi vota, et in illis dispensandi; uti ex Bulla Iubilaei colligitur.

Coroll. Pract. 1° Anno Iubilaei aliae Indulgentiae plenariae per *Resolvuntur casus.* totum mundum extra urbem suspendi solent: ex Bulla Gregorii XIII. *Quoniam sancti.* Non tamen suspenduntur Indulgentiae pro defunctis per modum suffragii concessae, nec illae pro articulo mortis, ex declaratione Urbani VIII, nec Indulgentiae Portiunculae Assisii, bene vero in aliis Ecclesiis Ord. Min. ex decreto Clementis X et Benedicti XIII. Item suspenduntur illae facultates absolvendi a reservatis Papae, quae propter dictas Indulgentias a Sede Apostolica concessae sunt. Verum his non obstantibus Ill. Godeau *Th. mor. tom.* 3. et eius Notator probabilius esse putat, suspensivam indulgentiarum legem, nisi specialiter promulgetur, ultramontanos non stringere, ne dum Romipetis favetur, alii domi omni Indulgentiarum emolumento priventur: quae salvo meliori iudicio dicta sint. 2° Iubilaeum saepius quis lucrari potest, si opera praescripta repetat: sed aliae gratiae Iubilaeo annexae, si quis post primam lucrationem incurrit de novo censuram, vel casum reservatum, vel opus habet commutatione votorum, de novo obtineri non possunt: Ita Benedictus XIV in *ep. circul. ad. Conf. Rom.* a. 1749. Qui vero lucratus est Iubilaeum, et postea incidit in reservatum, potest durante adhuc Iubilaeo ab eo absolvi, si opera denuo impleat, et in prima Confessione hoc privilegio non indiguerit. 3° Ad lucrandum Iubilaeum requiritur Communio et Confessio Sacramentalis, et quidem valida, quia ordinarie sunt opus praescriptum. 4° Visitatio Ecclesiarum debet fieri pie et devote,

et vocaliter inibi orandum, et si fit ultimum opus, debet fieri in statu gratiae; et si vel semel visitatio haec omittatur, Iubilaeum ex defectu conditionis omissae non obtinetur: nec licet Ecclesias visitare pluries eodem die in ordine ad explendum numerum visitationum, quando expresse praescribitur, ut v. g. per 15 dies Ecclesiae visitentur, quia sic dies determinantur. 5° Ieiunium praescriptum debet esse Ecclesiasticum, diebus in Bulla assignatis secundum consuetudinem regionum; unde apud nos ovis, et lacticiniis in eo vesci licet. Hoc ieiunium sicuti et alia opera intra eamdem septimanam fieri debent, et servari debet etiam a pueris, infirmis, laborantibus, alias a ieiunio exemptis iubilaeum lucraturis, licet Confessarius illis hoc, sicuti et pueris necdum ad S. Mensam accedentibus Communionem, in aliud opus bonum commutare possit, si in Bulla licentia detur. 6° Eleemosyna praescripta ab omnibus iuxta suas facultates danda est, et si Bulla nil determinet, etiam modica sufficit: danda etiam est a pauperibus, nisi illis in aliud opus bonum commutetur. Pro Religiosis sufficit, si Superior nomine eorum eleemosynam eroget; vel de rebus sibi ad usum concessis cum licentia Superioris eleemosynam dare debent. 7° Facultas commutandi vota in Iubilaeo non habetur, nisi in Bulla exprimatur: facultas dispensandi ordinarie non conceditur: commutatio in opus aequale rei promissae, saltem quoad servitium Divinum, vel non notabiliter minus, secundum prudentiam Confessarii fieri debet, spectata etiam fragilitate voventis. Haec commutatio fieri debet in Saeramentali Confessione: non vero extra illam: uti Benedictus XIV in cit. ep. declaravit. Tenor Bullae diligenter inspici debet; siquidem concessa etiam facultate vota commutandi, aliqua semper excipiuntur.

CAP. VIII.

De forma Sacramenti Poenitentiae.

Forma Sacramenti Poenitentiae. § 1091. Considerata hucusque materia Sacramenti Poenitentiae, ad formam illius pergimus, quae apud Latinos his verbis constat: *Ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Ita habetur in decreto Eugenii IV in Conc. Florentino. Et Tridentinum *Sess. 14, cap. 3* ait: *Docet praeterea S. Synodus, Sacramenti Poenitentiae formam, in qua praecipue ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo etc. quibus quidem de Ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adiunguntur; ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariae.* Deinde haec verba significant effectum Sacramenti Poenitentiae, scilicet remissionem peccatorum: ergo sunt conveniens forma illius.

Solvuntur obiectiones. *Schol. 1.* Lutherani, cum doceant, verba Sacramentorum esse concionatoria, negant, formam Absolutionis assignatam esse convenientem. Item Tostatus Abulensis. *p. 1 sui defens.* verbum, *absolvo,*

esse nimium improprium docet, et loco eius verbum, *remitto*, melius quadrare existimat. I. Quia verbum *remitto* habetur *Ioan.* 20 et expressius effectum Sacramenti significat. *Resp.* Etiam verbum *solvo* habetur *Matth.* 18. *Quaecumque solveritis etc.* imo verbum, *absolvo*, virtutem clavium expressius significat. II. Peccata non sunt vincula, quae solvi debent: ergo conventius remitti dicuntur, quam absolvi. *Resp.* Peccata sunt vincula moralia, impedientia peccatorem, ne Deo debitum cultum praestare valeat.

Schol. 2. Quaeritur, quaenam verba in assignata forma sint essentialia. Respondetur haec sola verba: *Absolvo te*, esse essentialia: tum quia haec sola principalem effectum Poenitentiae significant, et super poenitentem confessum prolata ad significandam Absolutionem a peccatis determinantur: tum quia invocationis SS. Trinitatis mentio in S. Scriptura non occurrit. Dices I. Tridentinum assignando formam Poenitentiae dicit, eam consistere in his verbis: *Ego te absolvo etc.* quod *etc.* denotat, aliqua ex sequentibus spectare ad essentiam formae: sed ad hanc non spectant preces subsequentes: ergo illa: *a peccatis tuis*. *Resp.* Illud *etc.* Tridentinum ideo addidit, ut abstraheret a controversia Scholastica: vel ut ostendat, reliqua verba non esse omittenda, licet non sint essentialia. Certe si putasset esse essentialia, non omisisset, cum etiam formam Baptismi longiorem integram retulerit. II. Ex eo, quod Tridentinum de Extrema Unctione dicat, esse hanc eius formam: *Per istam S. Unctionem etc.* inferius dicemus, sub ly *etc.* reliqua verba contineri: ergo a pari. *Resp.* Disparitas est, quod illa verba: *Ego te absolvo, etc.* faciant sensum perfectum; non vero illa: *Per istam S. Unctionem etc.* unde reliqua ad essentiam spectant. III. Sacerdos agit nomine Christi: ergo in forma Absolutionis SS. Trinitatem exprimere debet, sicut etiam in forma Baptismi exprimenda est. *Resp.* Quia Sacerdos agit nomine Christi, congruum est, ut SS. Trinitas exprimatur; non vero essentialiter necessarium. In Baptismo expressio SS. Trinitatis in S. Scriptura praescribitur, quia est Sacramentum fidei; non vero in forma Absolutionis.

Quaenam verba sint essentialia?

Art. un. *De verbis, quibus absolutio est exprimenda.*

§ 1092. Absolutio verbis absolutis, et indicativis expressa, est valida. Nam 1° Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 3. diserte affirmat, Sacramenti Poenitentiae formam in his verbis esse positam: *Ego te absolvo, etc.* nec ad eam pertinere preces, quas Sacerdos adiungit. 2° Idem probat S. Thomas *opusc.* 22. *c.* 11. *Miror,* inquit, *qua temeritate aliquis asserat, esse solutum, quem habens claves non significat, se solvere, sed solum rogat, esse solvendum.* 3° Actus iudicialis, qualis est Absolutio, optime exprimitur per formam indicativam: ergo est valida

Absolutio verbis indicativis prolata, est valida.

Schol. Nonnulli saeculo 13° putabant, formam Absolutionis verbis indicativis prolatam omnino esse invalidam, sed eam ex institutione Christi debere esse deprecatoriam. Contra hos scripsit S. Thomas

An forma deprecativa valeat?

opusc. 22. Thomistae proinde censent, formam Absolutionis deprecatorie prolatam, et esse, et semper fuisse invalidam: et P. Berti contendit, aperte evinci non posse formam Absolutionis deprecativam sive apud Latinos, sive apud Graecos in usu fuisse. Verum probabilius est 1° Formam Absolutionis deprecatoriam usque ad initium saeculi XII. in Ecclesia Latina ratam et licitam fuisse: tum quia SS. Patres communiter docent, peccatores absolvi orationibus Ecclesiae. S. Ambrosius *l.* 3. *de Sp. S. c.* 8. *Homines isti rogant: Divinitas donat*. S. Hieronymus *in Ps.* 28. *Quotidie in unoquoque nostrum flamma libidinis per Confessionem, et gratiam Spir. S. intercidit, id est per orationem Sacerdotis facit*. S. Leo *ep.* 83. *Indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequit obtineri*: tum quia forma deprecativa legitur in omnibus antiquis Latinis Ritualibus, in Sacramentario S. Gregorii, Ordine Romano. Alcuino *de Div. off.* Nec dicas, veteres in suis libris reticuisse formas Sacramentorum ob disciplinam arcani, ne mysteria nostra paterent profanis; nam hoc quidem dici posset de illis temporibus, quando persecutiones fervebant, non vero de saeculis subsequentibus: cum enim citata Ritualia formas aliorum Sacramentorum recenseant, cur formam Poenitentiae reticuissent? 2° Hodie in Ecclesia Graeca Catholica adhuc valida est forma Absolutionis deprecatoria: tum quia nulla alia, nisi haec in eorum Euchologiis occurrit, nec in Concilio Lugdunensi II. nec in Florentino valor Absolutionis Graecorum impugnatus fuit: tum quia Clemens VIII. in Instructione edita a. 1595. *super rit. Graec.* permisit eis usum formae deprecativae; ita tamen, ut si in casu necessitatis Latinos Catholicos absolvant, utantur forma indicativa. 3° A saeculo vero XIII. forma indicativa ita in Ecclesia Latina obtinuit, ut forma deprecatoria modo sit invalida; tum quia iam ita creditum fuit tempore S. Thomae, uti patet ex eius *opusc.* 22. et Franciscus Mayronius *in* 4. *d.* 14. *a.* 1. ait, formam deprecativam a nonnullis observatam, improbatam fuisse; tum quia Florentinum et Tridentinum formam indicativam expresse assignant: imo Tridentinum subiunctas preces ab essentia formae expresse excludit. Dices I. S. Scriptura non meminit formae deprecatoriae: et iuxta Trident. *Sess.* 14. *cap.* 6. Absolutio est actus iudicialis, in quo sententia non deprecatorie, sed indicative profertur. *Resp.* Christus Ecclesiae liberum reliquit modum formam Absolutionis exprimendi; unde nunc deprecativa, nunc indicativa forma usa fuit. Natura actus iudicialis non exigit maxime in ministro Poenitentiae, ut modo indicativo exprimatur, quia Sacerdos in sacro Tribunali ministeriali auctoritate iudicium exercet, adeoque tacite Deum invocat, ut factum suum ratum habeat. II. Pontificale Egberti apud Marten. *t.* 2. iam refert formam indicativam: et Hugo Menardus in *Sacramentar.* S. Gregorii testatur, Graecos post deprecationes haec verba addere: *Habeo te venia donatum*. Et Goar in *Euch. Graec.* hanc formam affert: *Insuper ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis*. Et Arcudius *l.* 4. *Concord.* c. 3. ostendit, formas Grae-

eorum deprecatorias aequipollere Latinis indicativis. *Resp.* Tempore Egberti formae deprecativae indicativa iam accesserat. Goarius fatetur, formas illas indicativas a Latinis ad Graecos postremis his temporibus missas esse. Arcudius solum fingit formam indicativam hanc: *Habeo te absolutum;* dicit tamen, eam in Euchologio non reperiri, licet in ore multorum Confessariorum versetur; sed sine ulla auctoritate publica.

Coroll. Pract. 1° In praxi Absolutio ita confertur. Ante Confessionem Sacerdos format signum Crucis super poenitentem dicens: *Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua, in nomine P. et F. et S. S. Amen.* Andita Confessione et iniuncta Poenitentia, dicit: *Misereatur etc.* et deinde dextera versus poenitentem elevata, dicit: *Indulgentiam etc. Dominus noster Iesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius; te absolvo ab omni vinculo excommunicationis* (si poenitens sit in Ordine sacro, additur, *suspensionis;* quod omittitur, si sit laicus, vel necdum Subdiaconus), *et interdicti, in quantum possum, et tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine P. et F. et S. S. Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi, merita Beatae Mariae Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. Amen.* 2° Ad Absolutionem requiruntur verba; et nutus vel scriptura non sufficit. Item poenitens debet saltem moraliter esse praesens Confessario, ita ut ipsi voce communi, licet paullo elatiori, loqui possit: hinc potest quis e fenestra absolvere iacentem in platea: item stans in litore naufragantem in torrente: item si poenitens post iniunctam Poenitentiam mox abeat, poterit Confessarius discedentem absolvere, si eum prope adhuc videat; secus, si eum non videat, vel non audiat. 3° In Confessionibus frequentioribus omitti potest: *Misereatur etc.* et *Indulgentiam*, et satis est dicere: *Dominus noster etc.* usque ad *Passio etc.* urgente vero necessitate breviter dici potest: *Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis, in nomine P. et F. et S. S. Amen.* Si Confessarius advertat, nihil adesse, quod suspicionem censurae movere possit, licite omittitur Absolutio a censuris: *Dominus noster etc.* tutius tamen est omnia iuxta praescriptum Ecclesiae proferre: et ideo si ex negligentia, *Misereatur, Indulgentiam, Passio Domini*, invocatio SS. Trinitatis, ly *ego*, sine contemptu omittantur, veniale erit: omittere vero ly *a peccatis*, est peccatum mortale, cum ob diversitatem sententiarum in Sacramentis administrandis tutiorem sententiam sequi teneamur. 4° Valida est haec forma: *Remitto tibi peccata tua;* sed probabilius graviter illicita. Item valida est haec forma, quando quis auctoritatis causa dicit: *Nos te absolvimus:* vel: *Absolvo dominationem tuam:* vel: *Absolveris a me:* vel: *Absolvaris a me.* Invalidae autem sunt hae formae: *Utinam absolvaris:* vel: *Absolvat te Deus:* quia sunt formae deprecativae. Formae dubiae sunt: *Placet, quod absolvaris: iubeo te absolvi; remittuntur tibi peccata tua: absol-*

Resolvuntur casus.

varis a peccatis tuis. Absolutio sub conditione de praeterito et praesenti, est valida, v. g. *Si non sis absolutus, si possim, si sis capax, ego te absolvo:* sub conditione vero de futuro, est invalida. 5° Absolutio potest ab uno pluribus simul dari, dicendo: *Ego vos absolvo a peccatis,* sicuti absolvuntur multi milites simul ante praelium. 6° Non expedit Absolutionem alta voce proferre ob periculum, ne circumstantes in notitiam indispositionis poenitentis deveniant, si omittatur. 7° Absolutio repetenda est in eadem Confessione, si post primam Absolutionem poenitens novum peccatum necessario confitendum confiteatur; secus vero, si non sit necessarium: si mortale dubium sit, iubeatur poenitens in communi se accusare de antea dictis, et elicito novo dolore, absolvatur. Si Confessarius rationabiliter dubitet, an Absolutionem dederit, vel omnia essentialia protulerit, licite potest, imo si poenitens mortalia confessus sit, debet repetere Absolutionem, sub tacita saltem conditione: *Si non es absolutus:* qui autem sine causa Absolutionem super eadem peccata in eadem Confessione repetit, graviter peccat: si ex scrupulo faciat, ordinarie peccat venialiter, quia facit, ne Deum offendat, nec proximo noceat.

CAP. IX.

De Ministro Poenitentiae.

Minister Poenitentiae est Sacerdos.

§ 1093. Minister Sacramenti Poenitentiae est solus Sacerdos Nam 1° Christus solis Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus dixit, *Ioan.* 20. *Quorum remiseritis peccata etc.* Ex quo Tridentinum *Sess.* 14. *can.* 10. definit: *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere: aut non solos Sacerdotes esse ministros Absolutionis . . . . anathema sit.* 2° Patet ex Traditione, cuius testes sunt, praeter S. Basilium, S. Chrysostomum, alibi (§ 1066.) laudatos, S. Ambrosius *l.* 1. *de poen. c.* 2. dicens: *Ius hoc solis permissum est Sacerdotibus.* Et Innocentius I. *epist. ad Decent. c.* 7. *Caeterum de pondere aestimando delictorum, Sacerdotis est iudicare.*

Solvuntur obiectiones.

Schol. 1. Waldenses, et Wicleffitae docent, solum probum Sacerdotem habere potestatem absolvendi. Protestantes vero, quia asserunt, peccata post Baptismum remitti per praedicationem Evangelii, quatenus fidem excitat, consequenter docent, solvendi potestatem esse penes eos, qui promissa Dei in Evangelio contenta annuntiant. I. Quia si illa verba: *Quorum remiseritis*, ad solos Apostolos spectarent, tunc soli Episcopi eorumque successores possent absolvere: ergo ad omnes homines spectant. *Resp.* Christus ad Apostolos, ut Presbyteros, locutus est, uti constat ex continua Traditione Ecclesiae. II. *Iac.* 5. *v.* 16. dicitur: *Confitemini alterutrum peccata vestra. Resp.* Alii de Confessione Sacramentali hoc explicant, ita ut homo homini non cuilibet, sed Sacerdoti confiteatur; nam de hoc in praecedentibus locutus fuit: *Inducat Presbyteros Ecclesiae.* Vener. Beda explicat de pec-

cato veniali. Alii volunt, intelligendum esse de Confessione ex mera humilitate facta, sine data Absolutione a ministro incapaci. III. *C. Sanctum, de consecr.* refertur, et laudatur quidam poenitens, qui in articulo mortis laico confessus fuit. Et *c. Quem poenitet, d. 1. de poenit.* dicitur: *Si deest Sacerdos, confiteatur proximo. Resp. C. Sanctum* non loquitur de Confessione Sacramentali, sed quadam conversione ad Deum ex laici exhortatione secuta: et pius animus laudatur, non vero factum approbatur, si laico Confessio facta fuerit. In *c. Quem poenitet*, solum dicitur, quod in defectu proprii Sacerdotis, liceat proximo Sacerdoti confiteri.

An Diaconus minister esse potest?

Schol. 2. Morinus *l.* 8. *de poenit. c.* 23. putat, Diaconis olim concessum fuisse, et audire poenitentes confitentes, et eos Sacramentaliter absolvere, urgente necessitate in defectu Sacerdotis. Verum certum videtur, Exomologesim in vitae discrimine per Diaconum olim datam, non fuisse Confessionem et Absolutionem Sacramentalem: quia S. Cyprianus *ep.* 12. ait, *Exomologesim esse ministerium poenitentiae et substrationis, qua lapsi prosternebantur impositioni manuum, non tantum Sacerdotum, sed etiam Cleri.* Ex quibus verbis nulla Sacramentalis Absolutio colligitur. Non obstat I. quod S. Cyprianus *ep.* 12. dicat, lapsos in casu necessitatis absente Sacerdote apud *Diaconum* Exomologesim facere posse, manu eis imposita in poenitentiam, ut veniant ad Dominum cum pace. *Resp.* S. D. loquitur de Absolutione a poenis Canonicis; non vero de Sacramentali, uti ex cit. loco colligitur. II. Conc. Eliberitanum *c.* 32. statuit: *Cogente infirmitate, necesse est, Presbyterum Communionem praestare, et Diaconum, si ei iusserit Sacerdos.* Idem habetur apud Alcuinum *l. de Div. off.* in Conc. Londinensi an. 1200. *c* 3. et Odo Episcopus Parisiensis in statutis Synodalibus *stat.* 56. ait: *Prohibemus districte, ne Diaconi ullo modo audiant Confessiones, nisi in arctissima necessitate.* Et *c. Fures, de furtis*, dicitur: *Fures .... si comprehensi, aut vulnerati Presbytero vel Diacono confessi fuerint, Communionem eis non negamus. Resp.* Concilium Eliberitanum loquitur de reconciliatione Canonica, sicuti etiam Alcuinus. Concilium Londinense, et Odo Episcopus Paris. concedunt quidem Diaconis, ut in extrema necessitate Confessiones excipiant, et Poenitentiam imponant, sed non ut Sacramentaliter absolvant. Denique in *cap. Fures*, error irrepsit; legi enim debet: *Presbytero, et Deo*, uti habetur in Concilio Triburiensi, ex quo hoc capitulum desumptum est.

An Confessio laicis facienda?

Schol. 3. Quaeritur, an olim in casu necessitatis non habita copia Sacerdotis, laicis Confessio facienda fuerit. Dicendum est 1° Permultos olim in vitae exitu absente Sacerdote laicis confessos fuisse. Sic S. Augustinus *ep. ad Fortun.* refert, naufragum quemdam laico confessum esse. Caesarius *dial.* 3. narrat, quosdam in Palaestina naviGantes Sodalibus laicis peccata confessos esse. Odericus Vitalis ad an. 1085. idem narrat de Richerio, commilitonibus suis confitente. Similia leguntur de Guidone magistro equitum, contra Saracenos pu-

guante, teste Ionvilio, in *hist. Gall. c.* 43. et de Hispanis contra eosdem certantibus, apud Bollandum 30. *Maii*. Imo ad hanc Confessionem hortabatur S. Thomas *q.* 8. *suppl. a.* 2. S. Bonaventura *in* 4. *d.* 17. et S. Raymundus *l.* 3. *de poenit. c.* 30. 2° Haec tamen Confessio nec fuit Sacramentalis; nam S. Thomas loc. cit. ait, quod in Confessione laicis facta *non sit aliquid ex parte ministerii, scilicet Absolutio, et Satisfactionis iniunctio; sed tantum, quod ad Sacramentum requiritur ex parte poenitentis*: nec fuit, nec est necessaria ad salutem, quia Absolutionis beneficium non tribuit; imo non expedit, nisi a proximo vel reconciliatio, vel consilium peti debeat, vel maior humilitas cum discretione eam suadeat.

ART. 1. *De eiusdem approbatione.*

Sacerdos debet esse approbatus. § 1094. Ut autem Sacerdos valide Sacramentum Poenitentiae administret, debet 1° praeter potestatem Ordinis, sive saecularis sit, sive regularis, aut habere Parochiale Beneficium, aut ab Episcopo ad Confessiones excipiendas esse approbatus. Ita statuit Tridentinum *Sess.* 23. *c.* 15. *de ref.* dicens: *Quamvis Presbyteri in sua Ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen S. Synodus, nullum etiam Regularem posse Confessiones saecularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus iudicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat: privilegiis, et consuetudine quacunque etiam immemoriali non obstantibus.* Pius IV. in Bulla: *In Principis*, an. 1565. omnia privilegia Regularibus concessa ad terminos Tridentini revocat. Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Satisfacit praecepto annuae Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo praesentato, sed ab eo iniuste reprobato.* Et in Decreto *ad Ep. Andegav.* idem Papa damnavit hanc propositionem: *Regulares Ordinum mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad Confessiones audiendas in sua dioecesi, habentur pro approbatis in aliis dioecesibus, nec nova Episcoporum indigent approbatione.*

Approbatio quid. *Schol.* Approbatio tempore Concilii Lateranensis distincta fuit a Iurisdictione; Approbatio ab Episcopo, Iurisdictio a Parochis data fuit. Ast in Tridentino mutata est haec disciplina, et iurisdictio ab approbatione Episcopi amplius non distinguitur. Hinc *Approbatio* secundum se, et incomplete sumpta, est authenticum testimonium Episcopi, vel eius Vicarii, de idoneitate Sacerdotis ad excipiendas Confessiones. Hoc modo differt a Iurisdictione, quae est actus voluntatis, dans potestatem expeditam absolvendi; cum e contra Approbatio sit actus intellectus circa idoneitatem Sacerdotis. Approbatio autem complete sumpta definitur a Clericato *decis.* 37. *de Poenit.* Est iudicium Episcopi, vel eius Vicarii de Confessarii idoneitate quoad scientiam et probitatem, simulque concessio iurisdictionis pro audiendis et absolvendis poenitentibus in foro interno et Sacramentali.

Coroll. Pract. 1° Parochi eo ipso, quod eis ab Episcopo cura animarum demandatur, ad audiendas Confessiones suorum subditorum approbati esse censentur. Standum tamen est statutis dioecesanis, ubi ante praesentationem solent prius approbari praevio examine, et iurisdictio expresse conceditur. 2° Regulares possunt cuilibet Sacerdoti approbato, quem Praelatus illis secundum statuta Ordinis constituerit, confiteri; quia Tridentinum decretum suum restrinxit ad Confessiones Saecularium. Confessarii tamen Monialium specialiter approbari debent ab Episcopo, ex Constit. Gregorii XV. *Inscrutabili.* 3° Quod si approbatio etiam iniuste negetur, valide tamen quis absolvere non potest, iuxta prop. ab Alex. VII. damnatam. 4° Parochi et Regulares non possunt extra suam dioecesim excipere valide Confessiones, sine approbatione Episcopi loci, qui solus approbare potest. Parochus tamen huius dioecesis probabiliter non indiget alia approbatione ad audiendam Confessionem sui subditi, cum quo peregrinatur in alia dioecesi: et Regularis potest suum socium Regularem eiusdem Ordinis absolvere, in quacumquo dioecesi cum eo existat; quia decretum Trident. solum loquitur de Confessionibus Saecularium, et Religiosorum alterius Ordinis. Missionarii item castrenses alicui legioni ab Episcopo praefecti pro administrandis Sacramentis, sunt illius Parochi, ubicumque legio fuerit, quae est eorum Parochia. 5° Monialis extra Monasterium degens cum licentia Superiorum, si habeat facultatem cuicumque approbato confitendi, absolvi potest; quae communius datur, si diu, non vero si una vel altera die extra Monasterium degat. 6° Pro designandis Confessariis extraordinariis pro Monialibus, servetur Bulla Benedicti XIV. *Pastoralis curae.* 7° Approbatio facta ab Episcopo excommunicato non tolerato, vel suspenso ab officio et iurisdictione, non valet: non gratis data, valida, sed illicita est. 8° Doctor Theologiae non eo ipso approbatus est ad Confessiones, licet examen remitti illi possit. Approbatio vero durat, quousque non revocatur, vel donec tempus praefixum elapsum fuerit. Resolvuntur casus.

ART. 2. *De necessitate Iurisdictionis in eodem.*

§ 1095. 2° Ut Sacerdos valide absolvat, requiritur in eo Iurisdictio, quae ex dictis hodie simul cum Approbatione confertur. Hanc Christus ipse Apostolis suis dedit, *Ioan.* 20 dicens: *Sicut misit me Pater, et Ego mitto vos.* Et Conc. Florent. in Decreto ait: *Minister huius Sacramenti est Sacerdos, habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam, vel ex commissione Superioris.* Rationem dat Tridentinum *Sess.* 14, *cap.* 7, *Quoniam igitur natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti Absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem. Denique cuique in veteri Ecclesiae disciplina versato satis constat, sine* Debet habere iurisdictionem.

Episcopi licentia Sacerdotes non potuisse aut Poenitentiam imponere, aut Absolutionem impertiri.

Resolvuntur casus. *Schol.* 1. Dices I. Quilibet Sacerdos in sua Ordinatione accipit potestatem dimittendi peccata per impositionem manus Episcopi, et illa verba: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis etc. Resp.* Accipit potestatem remotam, quae proxima fit per iurisdictionem datam; quae olim quidem, quando Presbyteri adscribebantur certae Ecclesiae in sua Ordinatione simul cum potestate Ordinis conferebatur; ast quando invaluerunt Ordinationes vagae sub titulo patrimonii, separatim datur, quando illis subditi assignantur. II. In aliis Sacramentis ad valorem in ministro non requiritur iurisdictio: ergo nec in Poenitentia; nam quilibet sibi iudicem arbitrum eligere potest. *Resp.* Disparitas est, quia alia Sacramenta non habent formam iudicii, in quo iudex iurisdictionem habere debet; et in causis criminalibus, ad quas Iudicium Sacramentale spectat, quivis sibi arbitrum eligere nequit, sed tantum in causis civilibus, ubi agitur de rebus dominio nostro subiectis; cum e contra in criminalibus agatur de offensa contra rempublicam vel Principem, et in peccatis de offensa contra Deum, ubi iudicium est penes personam laesam, vel eos, in quos hanc auctoritatem cum iurisdictione transtulit.

Iurisdictio quid? *Schol.* 2. *Iurisdictio* igitur est potestas, alios tamquam subditos in foro conscientiae iudicandi. Alia est *Ordinaria*, quamquis habet vi officii sui, cui annexa est cura animarum, qualem habet Papa in omnes fideles; Episcopus in suos dioecesanos; Parochus in suos Parochianos; Praelati exempti in suos subditos. *Delegata* est, quae alicui competit ex commissione Ordinarii.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° In articulo mortis et defectu Sacerdotis approbati, quivis Sacerdos super omnia peccata obtinet iurisdictionem. Item Religiosi *ab Episcopo semel aut simpliciter approbati, possunt in dioecesi approbantis quovis anni tempore etiam Paschali, et quorumcumque etiam infirmorum Confessiones audire, absque ulla Parochorum vel ipsius Episcopi licentia.* Ita Clemens X in Constit. *Superna.* Regulares etiam approbati ab Episcopo dicuntur iurisdictionem accipere non ab Episcopis, sed immediate a Summo Pontifice in omnes Christi fideles, saltem saeculares. Verum quousque haec privilegia Regularium exemptorum se extendant, et in quantum teneant, praxis docere debet dioecesium. 2° Sacerdos non approbatus nequit absolvere a venialibus ex decret. *Cum ad aures*, sub Innocentio XI. 3° Non licet absolvere cum iurisdictione dubia vel tenuiter probabili extra casum necessitatis, pro celebratione Missae, vel annua Confessione facienda, ubi Absolutio sub conditione dari potest; et poenitens moneri debet, ut Sacerdoti certam iurisdictionem habenti iterum confiteatur. E contra Sacerdos valide et licite absolvit, qui habet opinionem vere probabilem circa iurisdictionem, et titulum coloratum. v. g. Beneficium curatum apparenter legitime collatum, licet re ipsa ob occultum impedimentum, nullum: quia tunc adest error commu-

nis, et Ecclesia dat iurisdictionem, non quidem stabiliter, sed pro singulis actibus in gratiam poenitentium, ne pereant, vel plurimas Confessiones teneantur repetere. Id quod vel maxime tenet, quando adest causa gravis necessitatis aut magnae utilitatis. 4° Iurisdictio praesumpta non sufficit, quia haec non est actualis concessio potestatis absolvendi, sed esset concessio Superioris concessuri iurisdictionem, si in his circumstantiis peteretur: nec sufficit ratihabitio de futuro, v. g. si Superior resciverit Absolutionem a me datam, eam ratam habebit; quia Sacramentum nequit esse dependens a voluntate futura Superioris: ratihabitio autem de praesenti, vel praesumptio de praesenti, si fundetur in signis externis, quando quis praesente, sciente, et non contradicente Superiore ad Confessiones audiendas accedit, aut Parochus iam antea dixisset, sibi gratum esse, ut quis in sua Parochia Confessiones audiat, sufficit. 5° Si vel recessus vel legitima consuetudo adsit, ut quis in locis conterminis suae dioecesis Confessiones audiat, licite et valide absolvit, quia sic per recessum expresse: per consuetudinem vero ob tacitum Ordinariorum consensum approbatio et iurisdictio conceditur. Regulariter ab Episcopo loci, in quo quis Confessiones audit, danda est iurisdictio. Distantia vero conterminorum dioecesis discenda est a consuetudine. 6° Qui habet iurisdictionem ordinariam * (uti Episcopus, Generalis, Provincialis) * potest eam alteri delegare, vel in perpetuum, vel ad tempus. * (Excipiuntur tamen Parochi, Poenitentiarii, Guardiani; qui etsi ordinariam habeant potestatem nequeunt eam alteri delegare, quia ex Tridentino *Sess.* 23, *cap.* 15. iurisdictio non acquiritur, nisi vel per beneficium Parochiale, vel per approbationem Episcopi) *. Qui autem tantum habet iurisdictionem delegatam, nequit eam alteri subdelegare, ni Ordinarius hoc permittat. Si cui demandata sit universitas causarum, ita ut quasi Ordinarii munere fungatur in iudicandis omnibus causis certi generis, aut in certo loco, quod fit, si cui delegetur iurisdictio, ut sit in privilegium perpetuum ratione dignitatis, et non sit privilegium personale; hanc iurisdictionem in uno vel altero casu alieni subdelegare potest. * (Sed contrarium tenendum ex Tridentino supra laudato, iuxta quod iurisdictio omnis ab Episcopo manare debet; quod etiam dicendum de eo, cui committitur vicarium officium). * Item si cui committatur vicarium officium, v. g. Parochi absentis, unam vel alteram causam, uti excipere Confessiones, subdelegare potest; non tamen totum officium; nisi sit consuetudo contraria, et instituens Vicarium, et sciens consuetudinem, implicite in substitutionem consentiat.

Art. 3. *De casuum reservatione.*

§ 1096. Iurisdictio Sacerdoti concessa limitatur, quoad casus a Reservatio quid? **Superiore sibi reservatos. Est autem *Reservatio* restrictio iurisdictionis necessariae ad absolvendum a certis peccatis. Et *Casus reservatus***

est peccatum, ad cuius absolutionem inferioribus Sacerdotibus restricta est iurisdictio.

Quotuplex? *Schol.* Reservatio quoad finem spectata 1. alia est *poenalis*, in odium et poenam alicuius peccati: alia est *medicinalis*, ob bonam gubernationem Communitatis. Poenalis tunc est, quando supponitur delictum: medicinalis, si non supponatur, sed ponatur ut medicina praeservativa, ne delictum fiat, vel repetatur; ideo omnes reservationes, quas habemus, videntur simul esse medicinales. 2. Reservatio, quoad modum, alia fit *directe*, cum Superior reservans, iurisdictionem Confessarii habet sibi subiectam: alia fit *indirecte*, quando Superior reservans, iurisdictionem Confessarii non habet sibi subordinatam: suum tamen subditum ei solum quoad aliqua peccata, non vero quoad omnia subiicit. 3. Reservatio, quoad causam efficientem, alia est *Papalis*, alia *Episcopalis*, alia *Regularis*. 4. Reservatio alia est *a iure*, alia *ab homine* facta.

Papa et Episcopi casus reservare possunt. § 1097. Summus Pontifex et Episcopi casus sibi reservare possunt, a quibus inferiores Sacerdotes absolvere non possunt etiam in foro conscientiae, nisi potestate ab illis specialiter delegata. Ita patet 1° ex praxi universalis Ecclesiae, ex qua constat, iam olim reconciliationem publice poenitentium Episcopis fuisse reservatam. Reservationes Papales, ita ut Episcopi a quibuscumqne casibus in foro conscientiae absolvere non possent, iuxta Thomassinum et Van-Espen *de Sacr. Poen. tit.* 6. *c.* 7. paullo serius auditae sunt; nam circa saeculum XI. coeperunt nonnulli quosdam graviorum criminum reos ad Sedem Apostolicam mittere, ut vel a Papa reconciliarentur, vel Poenitentiam acciperent, qua peracta, ab Episcopo absolverentur: imo nonnunquam generali decreto statuebant, aliquos graviorum criminum reos a solo Papa esse absolvendos, ut a peccatis melius abhorrerent, uti patet ex Concilio Londoniensi a. 1143. Item in Conc. Viennensi a. 1311. in Clement. *Religiosi*, prohibetur Regularibus, ne in casibus Sedi Apostolicae aut locorum Ordinariis reservatis absolvant. Et Trident. *c.* 14. *can.* 11. *Si quis dixerit, Episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.* 2° Rationem dat idem Trident. *cap.* 7. ex natura Sacramenti Poenitentiae, quod cum exerceatur per modum iudicii, praerequirit in ministro iurisdictionem, quae cum sit penes Ecclesiae dispositionem, Episcopi eam restringere, et extendere pro salute animarum, et disciplinae conservatione possunt. Sunt autem variae causae, cur peccata quaedam in Ecclesia reserventur. 1. Ut inter ministros Ecclesiae conservetur debitus ordo, et hierarchia. 2. Servit ad rectam fidelium gubernationem; ut non omnes Confessarii, qui forte non habent omnes debitam peritiam pro directione poenitentis, a quibuscumque peccatis absolvant. 3. Si poenitentes ab inferioribus Sacerdotibus non absolvantur, sed ad Superiores mittantur; illa difficultas in adeundo Superiore retrahet eos a culpis gravioribus.

Coroll. Pract. 1° Summus Pontifex in tota Ecclesia aliqua peccata sibi reservare potest. Casus Papae reservati continentur tum in Iure Canonico, tum in aliis Bullis. Catalogum reservationum Papalium exhibet *Theol. mor.* R. P. Voit. Nonnullas solum, quae apud nos contingere facilius possunt, nosse sufficit. Prima est, violenta manuum iniectio in Clericos, suadente diabolo. 2. Simonia realis. 3. Haeresis et Schisma. 4. Impeditio iudicum Ecclesiasticorum in sua iurisdictione. 5. Usurpatio bonorum Ecclesiasticorum. 6. Simonia confidentialis. 7. Duellum. 8. Extractio ex asylo Ecclesiae. 9. Accusatio innocentis Sacerdotis ob sollicitationem. 10. Denique Benedictus XIV. in Bulla: *Sacramentum Poenitentiae,* adimit Confessario potestatem absolvendi personam complicis in peccato turpi contra sextum praeceptum, ita ut Absolutio ex defectu iurisdictionis nulla sit; et si absolvat, etiam poenam Excommunicationis maioris Papae reservatae ipso facto incurrat. Item statuit, quod nec in vim Iubilaei, nec Bullae Cruciatae complicem suam quis absolvere valeat. Ubi sub nomine peccati turpis, non solum actus luxuriae perfecti, sed et imperfecti, tactus etc. comprehenduntur. 2° Sola illa peccata sunt Papae reservata, quibus annexa est censura Excommunicationis Papae reservata, propter quam tantum reservantur: adeoque si poenitens a censura excusari possit, excusatur etiam a reservatione Papali * (Excipiuntur tamen duo casus, qui Summo Pontifici sunt reservati absque censura. 1. Nempe si quis innocentem Sacerdotem sollicitationis falso accuset sive per se, sive per alium apud Iudicem Ecclesiasticum: Bened. XIV. Const. *Sacramentum.* 2. Si quis munera accipiat a Regularibus ante factam restitutionem, qua praestita, cessat reservatio etiamsi munera excedant valorem decem scutorum: Clemens VIII. Const. *Religiose).** Unde non est timendum, ait Instructionale Romano-Bambergense, quod in tanta reservationum Papalium multitudine Confessarius nullitatem Absolutionis timeat, quia pleraeque, sicut in his partibus specialiter per dioeceses singulas non publicantur, ita probabiliter vel non receptae videntur, vel abolitae. 3° Episcopus in sua dioecesi aliqua peccata sibi reservare potest: haec autem cognosci debent ex statutis singularum dioecesium. 4° Praelati Regulares nonnulla sibi peccata suorum Religiosorum reservare possunt; sed nonnisi sequentia, quae Clemens VIII. in suo Decreto an. 1593. determinavit: scilicet 1. Veneficia, Incantationes, Sortilegia. 2. Apostasiam a Religione sive habitu dimisso, sive retento, quando fit egressio extra septa Monasterii. 3. Nocturnam et furtivam e Monasterio seu Conventu egressionem, etiam animo non apostatandi factam. 4. Proprietatem contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale. 5. Iuramentum falsum in iudicio regulari seu legitimo. 6. Procurationem abortus, et auxilium seu consilium ad eum faciendum post foetum animatum, etiam effectu non secuto. 7. Falsificationem manus seu sigilli Officialium Monasterii, aut Conventus. 8. Furtum de rebus Monasterii in ea quantitate, quae sit peccatum mortale. 9. Lapsum carnis volun-

Reservantur casus.

tarium opere consummatum. 10. Occisionem, vulnerationem, seu gravem percussionem cuiuscumque personae. 11. Malitiosum impedimentum, aut retardationem, vel apertionem litterarum a Superioribus ad inferiores, vel inferiorum ad Superiores. Deinque si quod aliud peccatum reservandum videatur, id non fiat, quam generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis matura discussione et consensu.

ART. 4. *De requisitis ad casuum reservationem.*

Quid requiratur ad casum reservatum?

§ 1098. Ut autem peccatum sit reservatum, requiritur 1° Ut ordinarie sit peccatum mortale; nam potestas reservandi debet respicere causam necessitatis, et utilitatis fidelium, quae tantum est quoad peccata atrociora mortalia. 2° Ut sit peccatum externum; quia reservatio peccatorum internorum ad gubernationem Ecclesiae non admodum conducit. 3° Ut sit opere consummatum, nisi aliud exprimatur: quia verba legum accipienda sunt cum effectu, c. *rel. de Cler. non resid.* et reservatio cum sit odiosa, ideo verba in omni rigore sunt accipienda, c. *Odia, de R. I. in* 6. 4° Ut sit peccatum certum; nam reservatio est tum poenitentibus, tum Confessariis odiosa, adeoque restringenda, ne Sacramentum Poenitentiae, eiusque administratio ob frequentiam dubiorum odiosum fiat. Certe peccatum dubium, nonnisi cum addito peccatum dicitur. Ergo sub nomine peccati simpliciter non intelligitur.

Resolvuntur casus.

Coroll. Pract. 1° Peccatum veniale absolute loquendo, et peccatum internum reservari possunt; sed non prudenter; cum primum nemo teneatur confiteri, et alterum valde odiosum redderet Sacramentum Poenitentiae, quia interna difficilius cognoscuntur; occultum vero peccatum, opere externo, verbo, facto, vel signo commissum, reservari potest. 2° Peccatum reservatum debet esse in suo genere consummatum, saltem sub ea ratione, sub qua in decreto reservationis exprimitur: sic si reservetur procuratio abortus, etiam effectu non secuto, media ad eius procurationem adhibens reservationem incurrit. 3° Peccatum dubium non est reservatum, sive sit dubium iuris, an detur lex reservans, sive facti, an quis peccatum commiserit, sive dubium sit positivum, sive negativum, dummodo sit prudens. Si quis autem ab inferiore Confessario absolvitur a peccato dubio in materia alioquin reservata, liberatur a reservatione, licet postea peccatum certo cognoscat, et confiteri debeat, quia iam per legitimam Absolutionem remissum fuit. 4° Reservatio lata in facientes non extenditur ad mandantes, auxiliantes, faventes: vel si hos exprimat, intelligitur de illis, qui efficaciter concurrunt. Item quando reservatio est contra eos, qui facere praesumunt, non intelliguntur ii, qui ex metu, vel alio affectu faciunt: et quando additur: *scienter*, non incurrunt, qui ignoranter faciunt. 5° Impuberes, licet reservationem Papalem probabiliter non incurrant, utpote ex defectu prudentiae, contumaciae non capaces; incurrunt tamen reservationem Episcopa-

lem, utpote medicinam, qua et ipsi indigent. 6° Ignorantes, peccato suo esse annexam censuram cum reservatione, quales sunt reservationes Papales, eam non incurrunt ex defectu contumaciae: ignorantes vero annexam reservationem Episcopalem, eam incurrunt, quia potius est medicinalis, quam poenalis. 7° Peregrinus habens casum reservatum in sua dioecesi, et confitens hoc peccatum in dioecesi, ubi hoc peccatum non est reservatum, a quovis Confessario approbato absolvi potest, dummodo non in fraudem reservationis e sua dioecesi exiverit, id est ob principalem finem obtinendi Absolutionem; secus vero ob alium honestum finem, v. g. Indulgentiae lucrandae, prudentiorem Confessarium inveniendi etc. iuxta Constit. *Superna*, Clementis X. Reservatio enim immediate afficit Confessarium, qui in hoc casu poenitentis Episcopo subiectus non est. Si vero peregrinus confiteatur peccatum tantum reservatum in dioecesi Confessarii, non vero in sua unde venit, a quovis approbato absolvi nequit; quia in hoc casu poenitens huic dioecesi subiicitur, secundum cuius leges iudicari debet. Denique si quis in confinio alterius dioecesis Confessiones audit, potest absolvere a casibus alioquin in sua, nempe Confessarii, dioecesi reservatis, non vero a casibus in altera dioecesi reservatis, quia approbationem et iurisdictionem ab Episcopo alterius illius dioecesis ob tacitum consensum accipit.

Art. 3. *De iis, qui a reservatis possunt absolvere.*

§ 1099. Extra articulum mortis, in quo quivis Sacerdos absolvere potest, ordinaria potestas absolvendi a reservatis competit ipsi reservanti; eius in officio successori; et utriusque in spirituali iurisdictione Superiori: cui enim competit potestas ligandi, illi etiam competit potestas solvendi, quia *per easdem causas res dissolvitur, per quas colligatur*: c. *Omnis res, de R. I.* Sed reservatio nascitur a voluntate legitimi Superioris. Ergo etiam per eam tolli potest. Quis a casibus reservatis absolvere possit?

***Coroll. Pract.* 1° Iure Tridentini *Sess.* 24 . *de ref.* c. 6. Episcopi possunt in omnibus casibus occultis etiam Papae reservatis subditos in sua dioecesi per seipsos, vel Vicarium ad hoc specialiter deputatum in foro conscientiae imposita salutari Poenitentia absolvere; quae tamen facultas quoad haeresim occultam Episcopis adempta est, uti notat Benedictus XIV. *de Synod. l.* 7. *c.* 32. et patet ex propos. 3. ab Alexandro VII. damnata. Hinc Episcopi Germaniae solent singulis quinquenniis a Sede Apostolica obtinere facultatem ab haeresi absolvendi, et petere potestatem, hanc licentiam aliis concedendi. 2° Ex *c. Mulieres, de sent. Excom.* Episcopi habent privilegium absolvendi a quocumque peccato, et censura Papae reservata suos subditos, qui ob impedimentum perpetuum, vel diuturnum non possunt accedere ad Papam; quale est periculum mortis, infirmitas, sexus foemineus, aetas puerilis, et senilis, obligatio alendi familiam, etc. 3° Quibus Regularibus competat potestas absolvendi a casibus Papae reservatis, ex privilegiis cuilibet Ordini concessis cognosci debet. A** Resolvuntur casus.

casibus vero Episcopo reservatis nullus Regularis sine licentia Episcopi potest absolvere, licet posset absolvere a reservatis Papalibus: ex Const. Clementis X. *Superna*, et prop. 12. ab Alexandro VII. damnata. 4° Sacerdos non habens facultatem absolvendi a reservatis, non potest poenitentem absolvere; sed debet eum vel ad Superiorem, vel ad alium, qui habet facultatem, mittere, vel a Superiore pro tali casu licentiam absolvendi petere: si autem necessitas confitendi urgeat ad infamiae notam vitandam, et Superior conveniri non possit, eum absolvere potest cum onere, ut postea alteri facultatem habenti vel Superiori se sistat, cui peccatum reservatum confiteri debet, licet Superior etiam extra Sacramentum reservationem tollere possit. Qui vero Superiori confessus est peccatum reservatum, et ab ipso non absolutus missus est ad inferiorem Sacerdotem, hoc ipso a reservatione liberatus esse censetur: ob integritatem tamen Confessionis Superior non potest in Confessione audire sola reservata, et pro Absolutione non reservatorum mittere poenitentem ad inferiorem. 5° Absolutus in articulo mortis, vel probabili eius periculo a reservatis a Sacerdote non habente potestatem, non tenetur se sistere Superiori, si reconvalescat; quia haec obligatio nullibi imponitur, nisi forte peccato annexa sit censura Excommunicationis, ubi se Superiori sistere debet, non ut a peccatis absolvatur, sed obedientiam praestet, et Poenitentiis se subiiciat; quod si non facit, committit grave peccatum inobedientiae, et in censuram reincidit: *c. Eos qui, de sent. Excomm. in* 6. 6° Qui confessus est habenti facultatem absolvendi a reservatis, et suum reservatum oblitus fuit, a quocumque Confessario postea absolvi potest; quia absolvens saltem virtualiter vult facere, quantum potest, reservationem vero peccati obliti directe tollere potest. 7° Potestas ordinaria absolvendi a reservatis, late; item data in gratiam Confessarii, late; in gratiam huius poenitentis, stricte interpretanda est.

Art. 6. *De qualitatibus Confessarii.*

Officium Confessarii. § 1100. Porro ut Confessarius ministerium suum licite et fructuose obeat, debitam debet habere scientiam, ut officium Doctoris, Iudicis, et Medici explere possit; uti ex ipsa persona, quam in sacro Tribunali sustinet, sufficienter apparet.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Sacerdos sine debita scientia Confessiones excipiens graviter peccat, quia exponit se periculo graviter peccandi, et alteri nocendi. 2° Confessarius, qua Doctor, debet scire necessaria medii et praecepti, motiva Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, obligationes variorum statuum poenitentium, propositiones damnatas, ut monere et instruere possit. 3° Qua Iudex, debet posse discernere peccatum mortale a veniali, peccata specie et numero diversa, ut modo ordinario, licet non semper secundum exactam speculationem, iudicium ferre possit. Hinc debet nosse peccata contra praecepta Dei et Ecclesiae etc. debet scire, quid requiratur ad Sacramentum Poenitentiae, ut sciat, an poenitens sit capax Absolutionis: item quando oria-

tur obligatio restitutionis, contractus, impedimenta Matrimonii, casus reservatos, censuras, ita ut saltem de his dubitare et alios consulere possit. 4° Qua Medicus, nosse debet peccatorum causas, pericula, et medicinas seu remedia. 5° Quare Confessarius, antequam Confessiones excipiat, faciat bonam intentionem, doleat de suis peccatis; et ubi graviora habet, si fieri possit, prius confiteatur, ne illicite Sacramentum administret, vel perfectum dolorem eliciat, et gratiam S. Spiritus imploret. In Confessionali sit mansuetus, ne poenitentem deterreat, et prudens in interrogando, et media praescribendo, maxime in puncto sexti praecepti, ne iuniores scandalizet, et ignota doceat, Poenitentem non obiurget, nisi finita Confessione: nec Confessionem interrogationibus interrumpat, nisi sit longior, et timeat, ne necessariam quaestionem omittat; et dum poenitens aliorum peccata detegere incipit, moneat, ut abstineat, et inutiles narrationes omittat, et post narrata peccata dolorem et propositum cum poenitente eliciat. Ulterius Confessarius tenetur monere poenitentem de errore culpabili, vel si putat, aliquid esse illicitum, quod tamen est licitum: si vero error vel ignorantia sit inculpabilis, docendus est poenitens, si exinde sequatur grave damnum, aut scandalum publicum, aut malum occultum. Sic si cognoscat, Matrimonium esse invalidum, tenetur monere, si monitio profutura sit, nec publicum scandalum sequatur: si vero probabile sit periculum, ne ex monitione sequatur peccatum formale poenitentis, vel grave scandalum, aut damnum innocentibus, v. g. filiis, differenda est monitio, donec periculum cesset, et petatur dispensatio. 6° Confessarius in moribus externis sit maturus et modestus, nec in vultu quid ostendat, quod suspicionem gravis peccati apud circumstantes moveat. Tenetur etiam examinare poenitentem, si prudenter dubitet, non declarari sufficienter speciem et numerum peccatorum, ad servandam integritatem Confessionis. Hinc si Confessario aliunde constet, quod poenitens peccatum omittat, tenetur interrogare: servata tamen regula, in hoc foro credendum esse poenitenti, tam pro se, quam contra se loquenti. Si dubia gravia circa valorem contractuum, votorum aut Matrimonii occurrant, Confessarius resolutionem ad proximam Confessionem differat, donec se informaverit. 7° Confessarius post exceptas Confessiones offerat laborem suum Deo, et pro gratiis acceptis grates Deo agat, et examinet se, in quo forte erraverit: si erraverit in iudicio circa peccatorum gravitatem, numerum et speciem, Absolutio non ideo est invalida: si poenitentem positive a restitutione deobligavit, cum teneretur, ipse Confessarius ad eam obligatur; secus, si tantum negative, omittendo monitionem restituendi. Vide Tom. 2. § 762. Si advertat, Absolutionem a se datam fuisse invalidam, per se loquendo tenetur in proxima Confessione monere poenitentem; quod facile fiet, si iubeat, ut de omnibus peccatis se denuo accuset, et doleat: extra Confessionem vero sine petita prius ab eo licentia non moneat, et hoc solum, si sine gravi incommodo et scandalo vel sui magno detrimento

fieri possit: et maxime si error sine sua culpa contigit, quo tamen casu etiam eum omni modo corrigere studeat. Si nullo modo monere possit, agat Confessarius poenitentiam de peccato suo, et poenitentem Deo commendet, ut per Contritionem, et alias Confessiones iustificetur.

Art. 7. *De Sigillo Confessionis, ad quod tenetur Confessarius.*

Sigillum Confessionis obligat.

§ 1101 Rursus Confessarius obligatur ad ea secreta et tacita reservanda, quae accepit ex Confessione tendente ad Sacramentum Poenitentiae, saltem secundum propositum poenitentis, quod dicitur *Sigillum* Confessionis. Haec obligatio oritur 1° ex iure naturali; nam recta ratio dictat, non esse manifestanda, quae alicui secreto committuntur, si sine manifesto committentis incommodo manifestari non possint. Deinde in Confessione intercedit tacitum pactum inter Confessarium et poenitentem; hic enim peccata sua confitetur sub tacita conditione secreti, quod ipsum Confessarius tacite spondet. 2° Ex iure Divino: hoc ipso enim, quod Christus peccatorum Confessionem instituerit, voluit etiam, ut omnia peccata secure sine metu mali extrinseci possint exponi, ne Confessio ob timorem revelationis difficillima et odiosa redderetur. 3° Ex iure Ecclesiastico, *c. Omnis utriusque, de Poen.* ubi dicitur: *Caveat omnino Sacerdos, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo prodat peccatorem . . . quoniam, qui peccatum in Poenitentiali iudicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a Sacerdotis officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum Monasterium detrudendum.*

Solvuntur obiectiones.

Schol. D. Werhner in *princ. iur. Eccl. Protestant.* putat, saltem in casu, quo salus publica periclitaretur, Sigillum Confessionis non obligare. I. Quia in Conc. Carthagin. VII. *c.* 9, *q.* 2. *de Poenit.* habetur: *Quod si subditus neget crimen, quod Episcopus revelat, non ob id censeat Episcopus, iniuriam sibi fieri.* Et in Conc. Moguntino *c.* 10 innuitur, olim in usu fuisse, ut quaedam peccata in Confessione audita sub secreto tenerentur, quaedam propalarentur. *Resp.* Concilium Carthaginense non loquitur de peccato in Confessione Sacramentali cognito, sed extra illam. Et Concilium Moguntinum non loquitur de publicatione peccatorum a Sacerdote, sed a poenitente sponte facienda. II. Potest dispensari in integritate Confessionis, licet sit iuris Divini: ergo etiam in observatione Sigilli. *Resp.* Disparitas est voluntas Christi instituentis, qui voluit, ut confessio sit medium tolerabile ad remissionem peccatorum. 3° Praeceptum Sigilli non prohibet rem ab intrinseco malam: ergo si per eius revelationem bonum commune servari possit, non obligat. *Resp.* Revelatio secreti Confessionis non est medium ordinatum ad succurrendum periculis hominum. Item est intrinsece mala, et mendacium iniuriosum Deo et Sacramento; quia Confessarius revelans diceret, se quid scire ut hominem, quod tantum scit ut vicarius Dei, adeoque pro obtinendo bono medium licitum esse nequit.

Coroll. Pract. 1° Confessarius violando Sigillum peccat contra fidelitatem, iustitiam, et Religionem: unde in nullo casu etiam periculo vitae illud violare licet, sine expressa et libera poenitentis licentia. Poena autem fracti Sigilli est depositio, et reclusio in arctum Monasterium post sententiam iudicis: *c. Omnis utriusque, de Poenit.* 2° Obligatio oritur ex sola Confessione Sacramentali, ordinata ad Absolutionem Sacramentalem; unde etiam Sacerdos existimatus, licet non verus, et laicus, cui quis confiteretur, erronee putans, posse eum absolvere, Sigillo tenetur; quod etiam tenet, licet Absolutio ex defectu poenitentis non sequatur. E contra non oritur obligatio Sigilli, si quis simulate accedat, et confiteatur, non ut Sacramentum accipiat, sed ut Confessario vel Sacramento illudat, furetur, etc. Maxime si ipse hanc suam intentionem declaret; ubi, si crimen cedat in praeiudicium tertii, Sacerdos crimen illud detegere teneretur, declarando, quod ex Confessione Sacramentali illud non cognoverit: si autem dubitetur, an crimen in ordine ad Absolutionem confessus sit, manet obligatio Sigilli. 3° Sub Sigillo cadunt omnia peccata mortalia in genere, et in specie, etiam publica, aliunde Confessario ignota; de aliunde vero sibi noto peccato Sacerdos loqui potest, dummodo nil addat ex notitia per Confessionem accepta. Item sub Sigillum cadit propositum peccatum committendi ex intentione se disponendi ad Sacramentum confessum. Item peccata venialia in specie, non autem in genere, v. g. dicendo, poenitentem confessum esse venialia, quia per se patet, aliquem nonnisi a peccatis absolvi posse. Item sub sigillo cadunt circumstantiae peccatorum, ex quibus ipsa peccata cognosci possunt. Item imperfectiones et inhabilitates naturales, et personales ex peccatis cognitae, uti defectus naturales, natalium, irregularitates, impedimenta Matrimonii etc. Item peccata et defectus complicis in Confessione manifestati, indispositio poenitentis ex defectu doloris, propositi, scientiae necessariae, scrupulositas, morositas, si de his aliunde non constet, vel si Confessarius ex Confessione sciat, et non ipse per se videat. 4° Suppresso nomine poenitentis, si audientes in notitiam eius, loci vel familiae devenire non possint, licet de peccatis in Confessione auditis loqui; cavendum tamen, ne his colloquiis rudes scandalizentur. 5° Frangit Sigillum, qui unum poenitentem prae altero laudat, ita ut alius suspicionem gravis peccati incurrat; vel qui dicit, se hunc non absolvisse. Quod si Confessarius de hoc interrogetur, dicat: functus sum officio meo, quaestio est frivola etc. imo etiam cum iuramento coram Iudice dicere potest, se nescire, hunc hoc scelus commisisse; quia re vera ut homo nescit, et tantum scit ut Vicarius Dei. Item Confessarius tenetur schedulam Confessionis dare illi, quem non absolvit, si petat; sicut et illi, cui Absolutionem ex iusta causa distulit. 6° Sigillum frangit Sacerdos, si gravem Poenitentiam poenitenti alicui iniunctam manifestet. Item si dicat, in hoc parvo oppido, ubi paullo ante Confessiones excepit, in hoc Conventu, in hac Communitate committi gravia crimina, veneficia

Resolvuntur casus.

etc. quia sic tota Communitas infamatur. Item Confessarius Sigillum violat, si poenitenti extra Confessionem peccatum confessum exprobret, severum vultum ostendat, minus blande eum alloquatur: licet tamen Confessario cum poenitente loqui de peracta Confessione, si fiat statim post datam Absolutionem, dum poenitens adhuc est in Confessionali, quia censetur fieri in eodem iudicio. Item Confessarius in sequenti Confessione cum poenitente potest loqui de peccatis in priori Confessione confessis, si necessarium, et utile fuerit ad eius directionem: sed extra Confessionem sine poenitentis licentia non licet. 7° Non licet uti notitia Confessionis, quoties intervenit, vel prudenter timeri potest periculum violandi Sigillum, vel causandi incommodum poenitenti; nam Clemens VIII. an. 1594. Constitutionem edidit, in qua praecipit, ne Regulares ad Superioritatis gradum evecti scientia ex Confessione accepta utantur ad externam gubernationem; quam prohibitionem ob paritatem rationis, ne scilicet Sacramentum reddatur odiosum, ad omnes Confessarios extendi, docet Lugo. Hinc ob notitiam ex Confessione non licet subditum removere ab officio, negare illi suffragium etc. famulum furem ex Confessione cognitum dimittere. Item Confessarius, qui ex Confessione novit, sibi a poenitente cum aliis sociis paratas mortis insidias, venenum vino pro celebrando mixtum, si declinet ab eo itinere, vel a celebrando abstineat, ita ut socii delicti advertant, eum a socio poenitente has insidias in Confessione cognovisse, et poenitenti mortem inferre studeant, hac notitia Confessionis uti non potest. Si vero poenitenti nullum damnum immineat, nec ullus pudor a Confessione eum retrahens sequatur, nec ulla revelatio Sigilli sequatur, aut si poenitens extra Confessionem hoc illi indicet, ad quod etiam tenetur, potest domi se continere, sub alio praetextu a loco recedere, gladium ex iusta causa negare. * (Sed hic animadvertendum Decretum S. C. Generalis Inquisitionis Innocentii XI. anctoritate editum an. 1682., quo sequens propositio damnata fuit: *Scientia ex Confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, et gravamine poenitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur*) *. 8° Si Confessarius extra Confessionem ex alterius fideli relatione, vel auditu aut visu novit peccatum poenitentis, quod ipse in Confessione reticet, Confessarius eum speciatim interrogare in Confessione potest, et debet ad procurandam integritatem Confessionis: si neget, ordinarie debet eum absolvere, quando prudens dictamen sibi formare potest, eum vel iam confessum fuisse, vel nescivisse, esse peccatum grave. Si vero peccatum hoc novit ex Sacramentali Confessione, v. g. complicis, non licet interrogare in specie, sed tantum caute in genere, v. g. an nihil amplius sciat, ne Sigillum violetur: imo licet complex daret licentiam utendi notitia Confessionis, tamen illa Confessarius uti non deberet pro monendo altero complice peccatum reticente, ob scandalum oriturum. 9° Ad Sigillum etiam tenetur interpres, per quem poenitens confite-

tur: astantes Confessionem audientes casu vel industria: qui peccata in scheda scripta reperit, quae sub peccato gravi ne quidem legere potest, quia eius secreta contra voluntatem illicite exploraret: item tenetur Superior, a quo licentia absolvendi a reservato petitur: poenitens tamen non tenetur sub sacro Sigillo servare ea, quae sibi a Confessario secreto commissa sunt; imo vero in aliquo casu revelare tenetur: de quo sit.

ART. 8. *De obligatione denuntiandi Confessarium sollicitantem.*

§ 1102. Poenitens sub gravi peccato tenetur ad denuntiandum Confessarium ad turpia et inhonesta in Confessione, vel immediate ante aut post, vel in loco, aut praetextu Confessionis, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactibus, sive per scripturam tunc aut postea legendam, sollicitantem. Ita habent Constitutiones Pauli IV. et Pii IV. quas Gregorius XV. per Bullam: *Universi Dominici gregis*, ad universos fideles extendit, et constituit, talem Confessarium denuntiandum esse inquisitoribus, vel ubi Inquisitio non est, Ordinariis vel eorum Vicariis. Quo pertinet Constitutio Benedicti XIV. *Sacramentum Poenitentiae*, in qua confirmantur tum aliorum Romanorum Pontificum litterae de sollicitatione: tum omnia decreta ad earum declarationem emanata. Accedit propos. 6ta ab Alexandro VII. damnata: *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitare in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.* Et 7ma *Modus evadendi obligationem denuntiandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante: hic potest illum absolvere ab obligatione denuntiandi.* Confessarius sollicitans denuntiandus.

Coroll. Pract. 1° Ab onere denuntiandi excusatur, qui ex denuntiatione prudenter timet periculum propriae vitae, aut alterius gravis damni: denuntiationi tamen fraterna correctio, licet speretur emendatio, non est praemittenda ex decreto S. Inquisitionis 8. Iulii 1660. Poenitens vero sollicitans non est denuntiandus. *(uti nec laicus, vel Clericus, qui se Confessarium simulans sollicitaret in confessione, quia laudatae Constitutiones loquuntur tantum de Sacerdote sollicitante).* 2° Multi Germani Doctores, uti Sporer: Gobat, La-Croix, docent, has circa denuntiandos sollicitantes Constitutiones in plerisque Germaniae dioecesibus non esse usu receptas. *(3° Denuntiari debet quilibet Sacerdos, sive saecularis, sive regularis cuiuscumque dignitatis etiam Episcopalis. Item etiam emendatus, vel iam punitus, vel qui sponte comparuit, etiamsi longum tempus a sollicitatione effluxerit, aut delictum sit omnino occultum, et probari non possit, sive sollicitatio facta fuerit pro se, sive pro alia persona, sive cum foemina, sive cum masculo. 4°. Denunciatio fieri debet pro omnibus, et solis peccatis contra castitatem, etsi fuerint tantum sermones inhonesti sine animo sollicitandi: sive poenitens sollicitationi consenserit, sive non, cum non teneatur consensum suum aperire. 5° Confessarii Resolvuntur casus.

tenentur sub gravi poenitentes suos monere de obligatione denuntiandi sollicitantes, nec eos regulariter absolvere debent, nisi denuntiatione peracta, excepto casu, quo prudenter credant, eos huic oneri intra statutum tempus esse satisfacturos, hoc est intra mensem, quo culpabiliter elapso, non denuntiantes incurrunt ipso facto excommunicationem Papae reservatam, a qua absolvi non possunt, etsi postea denuntiaverint, uti patet ex Edicto Supremae Gener. Inquisit. 6° In dubio, an Confessarius sollicitaverit, probabilius non est facienda denunciatio, quia nemo praesumitur malus, nisi probatur, et in re tam gravi nonnisi certis indiciis procedendum est. 7° Sollicitantes praeter poenas a iure statutas, ex Decreto Benedicti XIV. a. 1745. incurrunt etiam perpetuam inhabilitatem ad Sacrificii celebrationem, a qua tamen dispensare potest Episcopus).*

CAP. X.

De subiecto Poenitentiae.

Subiectum Poenitentiae. § 1103. Subiectum Sacramenti Poenitentiae est omnis et solus homo viator, peccati mortalis vel venialis post susceptum Baptismum reus. Nam Sacramenta pro solis hominibus viatoribus instituta sunt (§ 926.); et materia remota Sacramenti Poenitentiae sunt sola peccata actualia post Baptismum commissa (§ 1055.). Ergo solus homo viator eorum reus, est subiectum capax Sacramenti Poenitentiae.

Schol. 1. Petavius in *not. ad S. Epiph.* putat, olim nonnullis gravissimorum criminum reis denegatum esse Sacramentum Poenitentiae, et Sacramentalem Absolutionem; quod etiam tenet Morinus *l.* 9. *de poenit. c.* 19. et Martene *l.* 1. *de ant. rit. c.* 6. ubi ostendit, Absolutionem denegatam esse ultimo supplicio afficiendis usque ad annum 1396. quo Carolus VI. Francorum Rex hanc consuetudinem speciali edicto abrogavit. Verum certum nobis videtur. 1° Sanis etiam gravissimorum criminum reis poenitentiam agentibus, aut ea perfunctis, nunquam Sacramentalem Absolutionem esse denegatam, uti patet ex S. Irenaeo de mulieribus a Marco seductis, et post actam poenitentiam in Ecclesiam receptis: ex S. Zephyrino, qui teste Tertull. *l. de pudic. c.* 1. moechis et fornicariis dimisit: ex S. Cypriano, qui *ep.* 52. ait: *Neminem putamus a fructu satisfactionis, et spe pacis arcendum.* 2° Infirmis etiam in ultimo vitae discrimine constitutis, Poenitentiam et Sacramentalem Absolutionem numquam denegavit Ecclesia: ita patet tum ex Concilio Nicaeno *c.* 13. *Generaliter omni cuilibet in exitu posito, et poscenti sibi communionis gratiam tribui, Episcopus probabiliter,* id est, uti alii vertunt, postquam probaverit, *dare debebit:* tum ex Innocentio I. *ep. ad Exuper.* dicente: *Consuetudo prior tenuit, ut daretur eis Poenitentia, sed Communio negaretur.* Et Coelestinus *ep.* 2. *c.* 2. contra abusum moribundis Absolutionem negantium insurgit, dicens, *se tantam impietatem exhorrescere, qua morienti mors additur, eiusque anima occiditur.* Vid. Tournely *de poen.*

Schol. 2. Quaeritur, an moribundis, qui prae morbi violentia inchoatam Confessionem perficere non possunt; vel qui subito obmutescunt, et solo nutu desiderium confitendi testantur, vel testati sunt; vel qui dolorem nullo signo testari possunt, Sacramentalis Absolutio danda sit. Respondetur 1° Infirmis, qui inchoatam Confessionem vi morbi oppressi perficere non possunt, et signa doloris dederunt, danda est Sacramentalis Absolutio: ita iam olim statuit Concilium Arausicanum I. c. 12. *Si quis obmutescens, prout status eius est, baptizari, aut Poenitentiam accipere potest, si voluntatis praeteritae testimonium aliorum verbis habet, aut praesentis in suo nutu.* S. Leo. ep. 83. *Si aliqua aegritudine ita fuerint aggravati, ut quod paullo ante poscebant, sub praesentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et Poenitentiae et reconciliationis beneficium consequantur.* Idem statuit Paulus V. in suo Rituali: *Si inter confitendum. vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela aegrum deficiat; nutibus et signis conetur Confessarius peccata poenitentis cognoscere; quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenditur, absolvendus est.* 2° Illis etiam Absolutio danda est, qui inopinato casu oppressi, et omni vocis, ac sensuum usu privati sunt, si aliunde boni Catholici et probatae vitae habeantur. Ita patet tum ex Sacerdotali Romano an. 1560. Venetiis edito: ex statutis Synodi Lemovicensis *cap.* 21.. et facto Clementis P. VIII. qui Absolutionem dedit operario ruenti ex superiori aedificio templi Vaticani sub hac forma: *Si es capax, absolvo te a peccatis tuis*, teste Homobono in *Exam. Eccl. part.* 1. *tr.* 7. Accedit Memoriale Bononiense an. 1623. editum iussu Lodovisii, postea Gregorii XV. Papae effecti: tum ex S. Augustino, qui *l.* 1. *de adulterin. coniug. c.* 26. docet, Catheeumenos morbo oppressos baptizandos esse, etsi Baptismum petere non possint, aut retineant adulterina coniugia: et subdit, eamdem esse reconciliationis causam, si forte poenitentem finiendae vitae periculum praeoccupaverit: tum ex ratione: si enim nutus, et testimonia aliorum sufficiant, multo magis ad Absolutionem laudabilis vita sufficit, ubi credendum, constitutum in tali periculo velle Sacramentum suscipere; maxime cum per formam conditionatam periculum de nullitate Sacramenti evitetur. Quod si tamen talis infirmus foret peccator publicus, ab Ecclesia excommunicatus, vel in ipso criminis actu vocis et sensuum usum amisisset, nec ullo signo dolorem suum testari posset, non deberet absolvi, quia de tali non posset prudenter praesumi, quod voluntatem suam mutaverit, adeoque sit dispositus. Dices I. Quando moribundus nullum signum doloris dare potest, non habetur materia sensibilis ad Sacramentum requisita: ergo nequit absolvi. *Resp.* Sufficit testimonium commune Ecclesiae, quod probam vitam peregerit, et adest rationabilis praesumptio, quod in hoc casu Absolutionem exposcat; nec multum quaerendum est, quaenam sit hic materia sensibilis, cum per Absolutionem

An morituri absolvendi?

sub conditione dignitati Sacramenti consulatur. II. Facultas Parisiensis an. 1665. proscripsit hanc propositionem Amadei Guimenii: *Talis infirmus, qui amisit loquelam vel usum rationis, si bene vivebat ut bonus, et fidelis, et frequentabat Confessionem, et Communionem, quamvis non petierit Sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt, debet praesupponi contritus, et faciente aliquo Confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, Sacerdos faciat Absolutionem ab omni sententia et peccato.* **Resp.** In hac propositione duo continentur: primum est, moribundum fidelem et probum omni rationis, et sensuum usu destitutum absolvi posse; quod verum est, et non damnatur. Alterum est ratio huius praxis, quia insperato illi talia acciderunt, et debet praesupponi contritus; unde sequitur, omni peccatori etiam publico, vel actu peccanti nullo signo dato Absolutionem esse concedendam; quod damnatur.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Pueri sufficienti usu rationis praediti, sunt Sacramenti Poenitentiae capaces, cuius signa sunt: si sciant, quid eventurum sit bene vel male agentibus; si discernant malum a bono; erubescant mentiendo, turpia loquendo; virtutes laudent; peccata distincte explicent; ad interrogata apte respondeant, Signa defectus sufficientis rationis sunt, si sileant, pueriliter agant, Rosario ludant. Si defectus rationis advertatur, dimittantur sine Absolutione, data sola benedictione, et Poenitentia iniungatur, et actus Fidei, Spei, Charitatis, et Contritionis cum eis eliciantur. Si certum peccatum afferant cum sufficientibus signis rationis, et bonae dispositionis, absolvantur: si dubium sit de sufficienti usu rationis, nec certum peccatum habeant, sine Absolutione dimittantur: si certum peccatum habeant, et dubitetur de sufficienti cognitione, praemisso dolore, sub conditione absolvantur: et si defectus examinis advertatur, Confessarius per quaestiones caute factas eum suppleat. 2° Rudes, qui nesciunt necessaria necessitate medii, non sunt capaces Absolutionis, donec ea addiscant. Stupidi ob excaecationem ex peccatis ortam, per dilationem Absolutionis corrigantur. Si vero hebetudo ex naturali complexione oriatur: quod colligitur, si quis hebes sit etiam quoad negotia temporalia, aut inepte respondeat, si bonae voluntatis sint, et bene vivant, eliciantur cum eis actus necessarii, et absolvantur. Si quis ita stupidus foret, ut de Mysteriis fidei nihil capere posset, fatuo et infanti comparandus esset. Si hebetudo ex senectute oriatur, senexque necessario credenda antea sciverit, expositis cognitis peccatis, et praemisso dolore et proposito, absolvi, et communicari potest; licet dubium sit, an modo motiva fidei et doloris satis penetret: si vero numquam didicerit, laborandum, ut adhuc discat, in quantum fieri potest. 3° Plene fatuus, non est capax Absolutionis: semifatuus saltem tunc absolvi potest, quando censetur actus ad Poenitentiam necessarios habere: si dubium sit, an quis sit plene, vel semifatuus, disponendus est, quantum fieri potest, et saltem in articulo mortis sub conditione absolvi potest; imo etiam iuxta nonnullos in Paschate. 4° Surdus tan-

tum, si confiteatur peccata sua, et doleat, debet absolvi, iniuncta ei Poenitentia in Rosario ostensa: si vero de numero et specie peccatorum quaerendus esset, fiat in loco privato. Mutus, qui non est surdus, in loco separato per quaestiones iuvetur, ad quas per signa respondeat: si scribere possit, suadendum est, ut scripto confiteatur: si non possit per signa intelligi, si quod peccatum per signa exprimere non possit, si in genere se peccatorem ostendat, absolvi potest ob impotentiam aliter confitendi. Surdus simul et mutus examinari debet per signa, et uno alterove peccato cum signo doloris intellecto, in articulo mortis, Paschate, et si magis sit instructus, in Festis solemnibus absolvi debet. Surdus, mutus et caecus simul a nativitate, habetur instar perpetuo amentis, et solius Baptismi capax est: si vero talis post multas Confessiones factus sit, dato signo doloris percutiendo pectus, accusando se de peccatis per signa, quantum potest, saltem in articulo mortis absolvi et communicari potest. 5° Infirmus in mortis periculo, qui vel Sacramentum Poenitentiae expresse petiit, vel saltem implicite, doloris signa ostendendo, licet nullum peccatum in specie confiteri possit, absolvendus est; ita tamen, ut cessante impedimento specifice confiteatur. Moribundus, de quo dubitatur, an vivat, sub conditione, si vivus et capax sit, absolvi debet. 6° Quando Confessarius per unum vel plures testes novit, moribundum petiisse confiteri, eum absolvere debet. Item quando moribundus sensibus subito destitutus nullum signum doloris vel edidit, vel rogatus edere potest, et constat, eum hucusque christiane vixisse, sub conditione absolvi debet; nam saepe per suspiria, oculorum motus, licet nobis non ita sensibiles, signa doloris dat; uti nonnunquam eiusmodi infirmi reconvalescentes confessi sunt. 7° Qui actu peccat, et repente in articulum mortis incidit, uti in duello; vel moribundus iacens in via, de quo non constat, an sit Catholicus vel Haereticus, an bene vel male vixerit, in regula sub conditione absolvi non potest. Interim tamen Tamburinus in *meth. exped. Conf. l.* 2. *c.* 10. ait: Ego sub praedicta conditione vix illum regulariter sine Absolutione dimitterem, non quia velim absolvere non dispositum, sed quia rarissime evenit, ut tam cito sensibus quis, dum actu peccat, destituatur, ita ut vicinus morti non suae saluti consulere per Attritionem velit. 8° Quando moribundus certa signa doloris, et voluntatis confitendi praebet, v. g. si dicat, se dolere de peccatis, velle confiteri coram Sacerdote vel astantibus, et subito sensibus destituitur, absoluto absolvi debet. Si signa sint probabilia, uti si pectus tundat, praesumuntur in tali necessitate referri ad Absolutionem; adeoque iuxta P. Layman absolute absolvi potest; licet tutius fit, iuxta P. Sporer, si absolvatur sub conditione, si sit dispositus. Si signa sint dubia et indifferentia ad significandum dolorem de peccatis, vel mortis angustiis, v. g. si infirmus quaesitus, an velit confiteri, lachrymetur etc. sub conditione absolvendus est: si vero infirmus aliqua peccata in specie exprimere potest, ad hoc tenetur. 9° Si infirmi et iam absoluti soleant cum Con-

fateri Confessario interroganti peccati alicuius consuetudinem; et expedit, ut Confessarius interroget, an saepe in ultima Confessione hoc peccatum confessus fuerit, an media adhibuerit, an aliquo tempore abstinuerit, ut de consuetudine et dispositione poenitentis iudicare possit. Qui vero cum iisdem venialibus saepius ad Confessionem redeunt, ob fragilitatem facilius absolvi possunt: ubi tamen semper ad aliquod speciale peccatum pro maiori securitate, speciale propositum praeter propositum universale dirigi potest. 3° Qui in occasione proxima, ubi quis frequenter labitur; voluntarie perseverat, cum tamen facile vitare eam possit, absolvi non potest, et multo minus, si eam directe quaerat; haec enim fugienda est, nec directe pro bono spirituali vel temporali proprio, vel proximi quaeri potest. Hinc concubinarius tenetur ad eiiciendam concubinam; nec ei facile credendum, si dicat, se habere propositum eam eiiciendi, quia praesumptio rationabilis est in contrarium, maxime si semel iussus eiicere, hoc non praestiterit. In certis tamen casibus circumstantiae occurrere possunt, quae contrarium suadent, uti si quis in gravi infirmitate, et mortis periculo alium hominem, praeter concubinam, ad quam tunc nullum pravum affectum gerit, non reperiat, adeoque non sit in periculo peccandi, et scandalum absit. Notorius autem concubinarius absolvi non potest; sicuti nec ille, qui in domo aliena concubinam propriis sumptibus alit, et ad eam accedit, nisi a peccato abstineat. 4° Per peccati periculum necessario fugiendum, intelligitur periculum liberi consensus in peccatum, non vero periculum solius tentationis, aut alterius mali effectus: sic Chirurgus potest attingere partes corporis alieni, medendi causa, licet hic tactus sit causa tentationum et pravorum motuum, dummodo absit periculum consensus. Item Confessarius excipere Confessiones. 5° Constitutus in occasione proxima involuntaria, quae vel physice vitari non potest, uti si quis detineatur in carcere; vel moraliter, uti miles, qui nequit deserere militiam sine gravi incommodo, tunc potest absolvi, si praeter vera signa doloris, serium conatum adhibeat, ex occasione proxima faciendi remotam per efficacia media adhibita. Sic filius, qui nequit deserere domum paternam, nec facere, ut ancilla e domo paterna expellatur, tenetur facere ex proxima occasione remotam per seria proposita, cavendo colloquia cum illa, conversationem cum sola in locis separatis etc. Quod si tamen maneat periculum proximum, tenetur etiam cum dispendio vitae abire, iuxta la Croix. 6° Absolutio neganda est illis, qui nolunt rem alienam, aut famam restituere, debita solvere, illatum damnum resarcire. Item qui renuunt uti mediis ad emendationem necessariis, aut Poenitentiae iniunctas persolvere, qui retinent voluntatem peccatum mortale committendi, qui nolunt inimicitias deponere, et iniuriam condonare, qui publica scandala praebent, et nolunt abstinere ab usura, superstitionibus, et contractibus illicitis. 7° Differenda est Absolutio consuetudinariis, et recidivis, quando eorum poenitentia suspecta videtur, v. g. si bis

vel ter promittant satisfacere, restituere etc. Item si qui negligentes sint in faciendo examine, et eliciendo dolore; ultra 15 tamen dies Absolutionem differre non expedit. 8° Media pro curandis consuetudinariis sunt, oratio, auditio Missae, frequens Confessio apud eumdem Confessarium, et S. Communio, meditatio Novissimorum, sacra lectio, victoria sui, exercendo virtutes vitiis contrarias; examen generale, et particulare quotidianum, fuga occasionum, certae preces per aliquod tempus quotidie persolvendae, etc.

CAP. XI.

De Poenitentiae effectibus.

Effectus Poenitentiae. § 1105. Effectus Sacramenti Poenitentiae quinque potissimum numerantur: 1. Remissio peccati, et poenae aeternae. 2. Imminutio poenae temporalis, pro maiori vel minori poenitentis dispositione. 3. Redintegratio amicitiae cum Deo per peccatum violatae. 4. Reviviscentia meritorum per peccatum deperditorum. 5° Auxilia actualia, seu ius ad illa percipienda tempore opportuno, quibus peccator iustificatus peccata deinceps vitare possit, et in bono proficere ac perseverare. De remissione peccatorum dictum iam fuit (§ 1060). De remissione poenae temporalis pro dispositione poenitentis (§ 1075 et seq.). De redintegratione amicitiae Dei, et iustificatione (t. 1, § 372, et seq.): superest, ut de primo effectu seu remissione omnium peccatorum, et de quarto nunc agamus; quintus enim nullam specialem difficultatem involvit.

Omnia peccata remitti possunt. § 1106. Igitur primo omnia omnino crimina per Sacramentum Poenitentiae expiari, et remitti possunt. 1° enim *Matth.* 16, *v*, 19, et *Ioan.* 20. Christus solvendi potestatem nullis limitibus circumscriptam concessit: *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Hinc quidquid peccati nomine intelligitur, Apostoli sine exceptione dimittere possunt. Hac potestate usus est Apostolus. 2. *ad Cor.* 2 erga Corinthium incestuosum, quem post duram poenitentiam Ecclesiae restituit. Vim huius exempli ipse Tertullianus iam Montanista declinare non potuit, nisi contra apertum textum negando, eumdem esse hominem, quem Apostolus 1. *ad Cor.* 5. Satanae tradidit, et quem 2. *ad Cor.* 2. recepit. Urgent etiam hunc locum S. Athanasius *epist.* 4. et S. Ambrosius *l.* 1. *de poen. c.* 7. 2° Probatur ex Traditione. S. Clemens Alex. apud Eusebium *l.* 3. *hist. c.* 23. refert, S. Ioannem Evangelistam Ecclesiae reddidisse perditissimum iuvenem, qui post Baptismum latronum ducem se constituerat. S. Pacianus *ep. ad Sempron.* hoc probat ex variis Evangelicis parabolis, drachmae inventae, ovis perditae reportatae, hominis in latrones incidentis sanati. S. Ambrosius *l.* 1. *de poen. c.* ait: *Dominus nullum crimen excepit, qui peccata donavit omnia.* S. Augustinus *l. de agon. Christ. c.* 31. *Nec eos audiamus, qui negant, Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimit-*

tere. Eadem Traditio patet ex perpetua praxi Ecclesiae, quae semper poenitentes ad veniam admisit, et Libri Poenitentiales pro gravissimis etiam sceleribus Poenitentiam taxant. 3° Ex Conciliis. S. Cornelius coacto Concilio 60. Episcoporum anno 251. Novati opinionem declaravit immanissimam, et a fraterna charitate alienam: quorum decreto post serium examen acquieverunt caeteri per orbem Episcopi, teste Eusebio *l.* 6. *hist. c.* 43. in Cappadocia, teste Firmiliano *ep. ad Cyprian.* in Africa, teste S. Cypriano *l. de laps.* Deinde libellus Synodicus memorat Synodum Antiochenam Demetrii, in qua legitur, depositum Novatum, tamquam qui peccatoribus patrocinaretur. Rursus Concilium Lateranense IV. *cap.* 1. definit: *Si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper Poenitentiam reparari.* Et Tridentinum *Sess.* 14, *cap.* 1. *Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica tamquam haereticos explosit atque condemnavit.*

Schol. 1. Montanistae, auctore Montano in Phrygia oriundo, unde Cataphryges, et ex oppido Pepusa, unde Pepusiani appellantur, peccata dividebant in ea, quae sunt contra Deum, et contra proximum. Peccata contra proximum ab Ecclesia remitti possunt et debent: peccata vero contra Deum, alia sunt remissibilia ab Ecclesia, alia vero sunt gravissima, uti idololatria, homicidium et moechia, quae ab Ecclesia iuxta illos remitti non possunt; Poenitentiam tamen pro illis agendam non negabant ad obtinendam veniam, non quidem ab Ecclesia, sed a Deo. Novatiani a Novato et Novatiano, dicti etiam Cathari, id est puri, ortum trahunt, Novatus Carthaginensis, Novatianus Romanus Presbyter fuit. Novatus sectae auctor, Novatianus propagator fuit, omnem spem veniae ab Ecclesia obtinendae lapsis auferentes. Et primo quidem solis idololatris in persecutione lapsis veniae spem denegabant: deinde vero omnibus plane delictis post Baptismum commissis veniam ab Ecclesia concedi non posse aperte docebant. Denique nonnulli Novatiani magistri sui dogma paullulum emolliebant, concedendo Ecclesiae potestatem remittendi leviora saltem peccata. Nunquam tamen Novatiani negarunt, peccatorum gravissimorum veniam a Deo concedi posse, nec Poenitentiae actionem, teste S. Ambrosio *l. de poen.* c. 1. et 2. Argumenta horum sunt I. *Eccli.* 21. *v.* 4. dicitur: *Quasi romphaea bis acuta omnis iniquitas; plagae illius non est sanitas.* 1. *Reg.* 11. *v.* 25. *Si in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo? Ad Hebr.* 6, *v.* 4. dicitur. *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati.... rursus renovari ad poenitentiam.* Et c. 10. *v.* 26. *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia.* Et 1. *Ioan.* 5. *v.* 6. *Est peccatum ad mortem; non pro illo dico, ut roget quis. Resp.* Ecclesiasticus docet, peccati plagam per solam Divinam gratiam sanari posse. 1. *Reg.* 11. tantum innititur, pro exorando Deo offenso virum singularis meriti requiri: imo ibi agitur de Heli, increpante filios suos retrahentes ho-

Solvuntur objectiones Montanistarum et Novatianorum.

mines a Sacrificio Domini, et ait, quod in hypothesi, ubi nullus est Sacerdos, qui offerat Sacrificium, aut peccator, qui postulet, non supersit visibile remedium pro placanda Divina iustitia. Locum *ad Hebr.* 6. S. Athanasius, S. Ambrosius etc. explicant de renovatione per Baptismum iteratum. Alii volunt, Apostolum loqui de impossibilitate morali, seu magna difficultate. Alii volunt, Apostolum docere, impossibile esse lapsos renovari per Sacramentum Poenitentiae ea perfectione et facilitate, qua quis per Baptismum renovatur, quia Poenitentia est laboriosus Baptismus, et omnem poenam temporalem non semper delet. *Ad Hebr.* 10. sermo est de lapsis in apostasiam a Christo, in eaque permanentibus, quibus hostia pro peccato non relinquitur. S. Ioannes, iuxta S. Augustinum *l.* 1. *de serm. Dom.* per peccatum ad mortem, intelligit id, cuius veniam peccator non debito modo rogat; quia obduratio eius preces irritas facit: S. Pacianus vero intelligit impoenitentiam finalem. II. S. Hermas *l.* 3. *similit.* 8. ait, abnegantibus Deum non esse locum poenitentiae. Origenes, et Theognostus citati a S. Athanasio *ep. ad Serapion.* docent. baptizatos peccantes non consequi remissionem. *Resp.* Hermas loquitur de impoenitentibus et pervicacibus. Origenes solum vult, peccata baptizatorum difficilius remitti ob duros poenitentiae labores subeundos. III. S. Hieronymus *in Matth.* 12. docet, blasphemiam in Spiritum S. esse irremissibilem. *Resp.* Tunc esse irremissibilem, quando improbi in ea perseverant.

De peccato in Spiritum Sanctum.

Schol. 2. Potissimum argumentum Novatiani petunt ex *Matth.* 12. *v.* 31. ubi dicitur: *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; spiritus autem blasphemiae non remittetur: et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum S. . . . non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro.* D. Calmet in *dissert. de peccato* in *Spir. S.* fuse examinat, quodnam sit hoc peccatum, et quomodo nec in hoc, nec in futuro saeculo remittatur. S. Athanasius *ep. ad Serap.* putat, hoc peccatum esse crimen eorum, qui Christi opera daemoni imputabant; quod ideo dicitur irremissibile, quia illi obnoxii non habent ad quem confugiant, si Filio Dei Divinitatem abnegent. S. Augustinus *de serm. Dom. in monte c.* 22. putat, hoc peccatum esse fraternae charitatis invidentiam, quod tunc est irremissibile, quando quis in eo moritur. Et in *expos. Ep. ad Rom.* assignat pro hoc peccato desperationem et finalem impoenitentiam, quae non ex parte Dei aut Ecclesiae, sed ex parte peccatoris Poenitentiam respuentis, est irremissibilis. Probabilius videtur, hoc peccatum esse blasphemiam in opera Dei, quod dicitur ideo in hoc mundo irremissibile, quia in Lege veteri, de qua Christus ad Pharisaeos loquitur, nullis Sacrificiis expiari poterat, sed morte plectebatur: *Lev.* 24. *v.* 11. In altero autem saeculo erat irremissibile, sed poenis Inferni punitur, nisi prius in vita per Poenitentiam seriam expiatum fuerit.

Art. 1. *De vi, et efficacia absolutionis.*

§ 1107. Ex eo autem, quod peccata per Poenitentiam remittantur, sequitur, quod Absolutio Sacramentalis non sit nuda et concionalis declaratio, peccata esse a Deo dimissa. Nam *Matth.* 18. dicitur, Sacerdotes *solvere*, et *ligare*. Et S. Hilarius *in c.* 16. *Matth.* ait: *O beatus coeli Ianitor . . . cuius terrestre iudicium praejudicata auctoritas sit in coelo.* Ratio est, quia Sacramentum Poenitentiae per modum iudicii institutum est, in quo sententia prolata non est mera concio seu declaratio. Absolutio non est mera concio.

Schol. 1. Protestantes docent, Absolutionem esse nudam et concionalem declarationem, peccata esse remissa. I. Enim verbum, *remitto*, in S. Scriptura significat subinde solam peccati remissi declarationem, uti *Luc.* 7 *v.* 48. ubi S. Magdalenae dicitur: *Remittuntur tibi peccata tua:* quae tamen *v.* 47. iam remissa fuerant. Et Christus prius mundavit leprosos, quam eos ad Sacerdotes mitteret; ac prius suscitavit Lazarum, et deinde modo iussit, ut solveretur. *Resp.* Verbum, *remitto*, *Ioan.* 20. propriam remissionem significat, quia denotat potestatem solvendi Apostolis datam: imo etiam *Luc.* 7. *v.* 48. veram significationem habet. Exemplum leprosorum solum in eo tenet, quod Sacerdotes novae Legis, uti antiquae, non pro suo arbitrio, sed iuxta legem, lepram, et peccata discernere debeant: missi autem sunt leprosi ad Sacerdotes, ut munus suum offerrent, et a lepra immunes declararentur. Exemplum Lazari ostendit, necessarias esse in poenitente praevias dispositiones, et vitam inchoatam, antequam absolvatur. II. S. Ambrosius *l. de Spir. S. c.* 18. ait: *Per Spiritum S. peccata donantur; homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non ius alicuius potestatis exercent.* Et S. Augustinus *serm.* 99. *de verb. Evang. Spiritus dimittit, non vos. Resp.* S. Ambrosius vult, Spiritum S. tamquam causam principalem dimittere peccata; ex quo probat, cum esse Deum. Eodem modo loquitur S. Augustinus contra Donatistas, qui efficaciam Sacramentorum ex personali sua pietate pendere docebant. III. Si Sacerdos vere absolvit, incertum est, an a peccatis simus absoluti, quia forte Deus non absolvit. *Resp.* Certa fiducia et persuasio iustitiae ex parte nostra alibi iam refutata fuit (t. 1. § 377.): sufficit nobis spes in Christi meritis reposita, quae magis roboratur, dum nobis per Sacramenta Dominicae Passionis fructus applicatur. Solvuntur obiectiones.

Schol. 2. Magister Sententiarum et alii, qui ad Sacramentum Poenitentiae requirunt Contritionem perfectam, ideoque peccata iam ante Absolutionem esse remissa, concludunt, Absolutionem tantum esse declarationem remissionis peccatorum. Haec sententia differt ab illa Protestantium, tum quia non confundit potestatem ligandi et solvendi cum potestate Evangelium praedicandi, et vult, Sacerdotes in sacro Tribunali non esse tantum praecones Divinae Clementiae, sed iudices, dum iuridice declarant, peccata esse remissa: tum quia Contritio An absolutio sit tantum declaratoria.

perfecta iuxta illos non remittit peccata, nisi in ordine ad claves Ecclesiae, et Absolutio producit secundam gratiam: quae omnia negant Protestantes. Quare haec sententia a Concilio Tridentino damnata non fuit, uti testantur Theologi, qui huic Concilio interfuerunt: Vega *l.* 13. *c.* 33. Dominicus Soto *in* 4. *d.* 40. et Pallavicinus *hist. l.* 10. *c.* 12. Fatendum tamen est, hanc sententiam cum doctrina Tridentini non satis cohaerere; unde communiter ut temeraria, et erronea maxime cum facultate Parisiensi anno 1638. reiicitur. Ideo certum est, quod Absolutio Sacramentalis vere et proprie coram Deo peccata dimittat, et non tantum dimissa esse declaret. Nam I. *Ioan.* 20. Christus eam Apostolis potestatem confert, quam ipse a Patre accepit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Et deinde dixit: *Quorum remiseritis etc.* Sed Christus ex potestate a Patre accepta non declaravit tantum, peccata esse dimissa, sed vere et proprie ea remisit; ita enim Pharisaei intellexerunt, cum ex verbis eius scandalo accepto dixerunt: *Luc.* 5. *Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Et hanc potestatem sibi a Patre collatam Christus mox probavit miraculosa paralytici sanatione. Ergo et Apostoli et eorum Successores eam habent. II. Patres, uti Ss. Hilarius et Bernardus docent, sententiam Petri praecedere sententiam coeli: sine absolutione periclitari hominum salutem: S. Augustinus *ep.* 228. Et S. Chrysostomus *l.* 3 *de Sacerdotio*: *Nobis Sacerdotibus non corporis lepram, verum animae sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.* Ergo Absolutio vere peccata dimittit. III. Concilia contra Novationos celebrata non disputabant de auctoritate Ecclesiae, peccata dimissa esse declarandi, sed statuerunt, ea re vera remitti. Et Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 4. non requirit Contritionem tamquam dispositionem necessariam ad Sacramentum Poenitentiae (§ 1061). Ergo Absolutio peccata remittit. Dices. I. Verba: *Absolvo te*, significant: solutum te declaro: sic in foro externo iudex dicitur absolvere iniuste accusatum, cum eum innocentem declarat. *Resp.* Sensus verborum: *Absolvo te,* non est: declaro te solutum; nam etiam iudex in foro externo reum vere absolvit. Nec est sensus: absolvo te ab obligatione subiiciendi peccata tua clavibus Ecclesiae, uti volunt Nominales, quia hoc non est remittere peccata, et fallit in peccatis venialibus, quae confitendi nulla est obligatio. Nec est sensus: remitto tibi poenam temporalem peccatis tuis debitam, uti vult S. Bonaventura: quia haec subinde vi Contritionis intensae remissa esse potest. Nec sensus est: remitto tibi poenam aeternam pro culpa debitam, uti vult Hugo Victorinus: hoc enim non tenet in solis venialibus. Verus ergo sensus est, iuxta S. Thomam in suppl. *a.* 3. *q.* 1. Ego Sacramentum Absolutionis tibi impendo: vel iuxta alios: do tibi, quantum in me est, gratiam reconciliativam seu peccatorum remissivam: quod etiam in illo verificatur, qui prius Deo reconciliatus peccata denuo clavibus subiicit, tum quia per augmentum gratiae magis Deo reconciliatur, et crescit

in eius amicitia: tum quia aliquid poenae temporalis illi remittitur. II. Iuxta S. Hilarium *in Matth.* 16. ut quis digne ad Poenitentiam accedat, requiritur vita gratiae: ergo Absolutio vere peccata non remittit. *Resp.* Requiritur tantum vita inchota et imperfecta, seu dispositiones praeviae, ex gratiae actualis auxilio procedentes.

Unum mortale sine alio non remittitur.

§ 1108. Licet autem per Sacramentum Poenitentiae omnia peccata vere remittantur, unum tamen peccatum mortale sine alio remitti non potest. Ita habetur *c. Fratres, de Poenit. d.* 9. *Falsam autem poenitentiam esse constat, cum spretis pluribus de uno solo poenitentia agitur, aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio. Unde scriptum est Iac.* 2. *Qui totam legem observaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Ratio est: quia nullum peccatum remittitur, nisi in quantum tollitur offensa Dei per gratiam (t. 1. § 373.). Sed gratia est incompossibilis cum offensa Dei (loc. cit. Schol. 3.). Ergo nullum peccatum sine altero tolli potest.

An venialia post mortem remittantur?

Schol. Peccata venialia etiam post mortem remitti possunt quoad culpam; nam potest quis bona fide ignorare, se habere venialia, vel se sufficienter de illis dolere, et sic statim sine debito dolore mori: cum autem venialia non excludant a regno coelorum, et tamen nil coinquinatum in illud intrare possit, dicendum est, illa non solum quoad poenam, sed etiam quoad culpam post mortem remitti posse. Fit autem haec remissio per actus Charitatis et Contritionis, quibus anima illa peccata detestatur, et retractat: ita docet S. Thomas in *suppl. q.* 7. *a.* 11. et ratio est, quia veniale etiam in altera vita non potest remitti, nisi per formam oppositam, quae est actus Contritionis et Charitatis. Eliciunt autem animae hunc actum vel in ipso instanti separationis a corpore, ubi agnoscunt, veniale esse sibi impedimentum ingressus ad gloriam, adeoque illud detestantur: vel in ingressu Purgatorii, ubi poena imminens excitat intensum desiderium ad consequendum bonum, et malum evitandum: denique animae separatae culpae veniales remittuntur, non sicuti in praesenti vita per modum meriti et satisfactionis, sed per modum condignae retractationis et displicentiae.

Art. 2. *De reviviscentia meritorum per poenitentiam.*

Merita per Poenitentiam reviviscunt.

§ 1109. Alter effectus Sacramenti Poenitentiae est reviviscentia meritorum per peccatum deperditorum, quippe bona iustorum opera, et merita virtutum per peccatum mortificata, ope Poenitentiae subsequentis reparantur, et reviviscunt. Sic habetur 1° *Ioel.* 2. *Convertimini ad me . . . reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, et rubigo, et eruca.* Quae verba S. Hieronymus de restitutione bonorum operum per peccatum mortificatorum exponit. Deinde *ad Hebr.* 6. dicitur: *Non enim est iniustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Ubi Apostolus excitans Iudaeos ad poenitentiam, consolatur eos, quod Deus bona eorum opera praecedentia sit compensaturus. Ita S. Chry-

sostomus *hom.* 10. S. Athanasius *de blasph. in Sp. S.* S. Augustinus *de fide et oper. c.* 14. Et Tridentinum *Sess.* 6. *c.* 16. dicens: *Iustificatis hominibus sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: Non enim est iniustus Deus.* 2° Ita docent PP. S. Ambrosius *l.* 1. *in Luc. Vide, quam bonus Deus, et facilis indulgere, non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit.* S. Hieronymus *in c.* 3. *ad Gal. Quicumque ob fidem Christi laboraverit, et postea lapsus fuerit in peccatum.... non perdet ea, si ad pristinam fidem et antiquum studium revertatur.* 3° Ratio est: Iuxta Tridentinum *c.* 16. *Sess.* 6. tria requiruntur, ut opera nostra sint meritoria: ut sint iustificati hominis: ut sint facta in gratia Dei: et ut homo in gratia decedat, sive acceptam perpetuo conservaverit, sive reparaverit amissam: sed has conditiones habent opera per peccatum mortificata: de duabus primis per se patet, tertiam accipit per Poenitentiam, per quam gratia habitualis datur, in qua perseverare potest: ergo etc.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 1. Certum est, per Poenitentiam recuperari gratiam sanctificantem, et virtutes infusas, quae sunt proprietates eam inseparabiliter concomitantes (t. 1. § 366.). Rursus opera alia sunt *viva*, quae homo ex principio vitali, gratia et charitate operatur: alia sunt *mortua*, quae ex genere et obiecto suo quidem bona sunt, sed ab homine extra statum gratiae elicita vitae principio omnino carent: alia sunt *mortifera*, quae mortem animae, privando eam gratia, afferunt: alia sunt *mortificata*, quae a gratia et charitate elicita per subsequens peccatum mortificantur, quia impediuntur, ne habeant vim, et efficaciam perducendi hominem ad vitam aeternam. Haec opera mortificata non reviviscere per Poenitentiam, docuerunt nonnulli antiqui Theologi. I. Quia omnino destruuntur per peccatum, sicuti gratia destruitur, quae non reviviscit; unde *Ezech.* 18. dicitur: *Omnes iustitiae eius non recordabuntur. Resp.* Quod merita mortificata reviviscant, est opus misericordiae Divinae, quae poenitentem ultra condignum praemiat, et iustitiae praeteritae non recordatur, quousque peccator in peccato perseverat. II. Pactum, quo Deus promisit remunerari merita nostra, est conditionatum, scilicet, si non adsit obex ex patre hominis: ergo adveniente obice peccati, cessat. *Resp.* Conditio illius pacti non est, ut homo obicem non ponat; sed, si ponat obicem perpetuum, vel positum non tollat.

In qua perfectione merita reviviscant? *Schol.* 2. Quaeritur, in qua proportione et quantitate reviviscant merita mortificata. Cum Ecclesia nihil hic definiat, varias Theologorum sententias retulisse sufficiat. Nonnulli putant, bonorum operum merita per quamcumque veram Poenitentiam in eadem semper perfectione, in qua ante fuerunt, reviviscere; quia remoto impedimento, scilicet peccato, sequitur effectus, sicuti antea fuit. Alii volunt, non reviviscere merita ad gloriam essentialem seu visionem beatificam, sed solum ad gloriam accidentalem, quae consistit in gaudio speciali, quod poenitentes percipient ex bonis operibus, quae lapsum eorum

praecesserunt: quia merita illa per peccatum quoad praemium essentiale destructa fuerunt. Alii censent, merita reviviscere ad priorem gratiam et gloriam, non quidem in esse physico habitus et qualitatis; sed in esse morali seu iuris ad gratiam: id est, poenitentem non tantum recuperare ius ad illam gratiam et gloriam, quae correspondet praesenti dispositioni, sed etiam meritis praeteritis; ita tamen, ut physicum augmentum gratiae non infundatur prius, quam actu intensiori se ad illud recipiendum disposuerit: quod tunc dicunt fieri, quando homo in ingressu beatitudinis, vel Purgatorii prorumpet in actum amoris, habentem se non per modum meriti, sed dispositionis; cum enim S. Scriptura, Concilia et Patres astruant reviviscentiam meritorum sine restrictione ad gradum minorem et dispositionem poenitentis, nec nos debemus restringere. Alii denique docent, gratiam sanctificantem, virtutes et dona ac merita reviviscere pro maiori vel minori peccatoris Poenitentia, ita ut si haec valde intensa fuerit, recuperet quidquid gratiae et meriti per peccatum amiserat: si vero fuerit admodum remissa, parum vel forte nihil ex iis reparet. Hanc sententiam censent esse magis accomodam ad augendum studium Poenitentiae, et experientiae consonam, qua novimus, poenitentes intense priora sua opera et exercitia maiori fervore obire.

§ 1110. Quamvis vero merita per Poenitentiam reviviscant, peccata tamen semel remissa per subsequens peccatum non redeunt simpliciter, sed tantum secundum quid. Nam 1° non redeunt quoad esse physicum, quia idem numero actus, per quem peccata commissa sunt, ordinarie redire nequit, nec naturaliter, cum non detur regressus a privatione ad eamdem numero formam, nec Deus potest facere, ut redeat, quia alias foret auctor peccati. 2° Non redeunt quoad modum essendi moralem quoad culpam, vel poenam, quia *Ezech.* 18. dicitur: *Si impius egerit poenitentiam, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* In quae verba S. Hieronymus ait, *iustum, antea peccatorem, non praegravari antiquis suis peccatis.* Denique non videtur iustitiae Divinae conformo, idem bis punire: sed peccata remissa punita sunt in Christo, qui iniquitates nostras portavit: ergo iustum non videtur, ut quoad poenam redeant. Denique dona Dei sunt sine poenitentia, et peccata in Sacramento Poenitentiae absolute remittuntur, nec adest obligatio ea rursus confitendi: ergo quoad esse morale, culpam et poenam non redeunt. 3° Redeunt tamen secundum quid, quia culpam ob relapsum, sicuti morbus in recidivo, est periculosior, et gravior; homo est magis ingratus erga Deum, a quo antea veniam obtinuit; et Deus subtrahit illi specialia et copiosiora gratiae auxilia, ita ut in graviora deinde peccata prolabatur. Peccata remissa non redeunt.

Schol. Nonnulli antiqui Theologi putarunt, peccata dimissa per subsequens peccatum redire quoad modum essendi moralem. Et quidem Hugo Victorinus *l.* 2 *de Sacram.*, *c.* 9, *p.* 14 putat, ea redire per quodlibet peccatum sequens. Praepositivus vero tantum per haec Solvuntur obiectiones.

quatuor crimina; odium fraternum, apostasiam a fide, contemptum Confessionis, et retractationem Poenitentiae. I. Quia *Ps.* 108 dicitur: *In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini.* Et 3. *Reg.* 17. Mulier Sareptana ad Eliam ait: *Ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meae.* Et *Matth.* 18 servus remissionem debiti consecutus, nolens remittere conservo, missus est in carcerem, donec redderet universum debitum. *Resp.* Iniquitas patrum dicitur redire quoad poenam temporalem nondum remissam. Eodem modo intelligitur mulier Sareptana, quae forte etiam alia adhuc peccata needum remissa habuit. A servo illo exigitur totum debitum propter sequens peccatum, solum secundum quid, ratione crudelitatis in conservum commissae. II. S. Augustinus *de Serm. Dom. c.* 6 ait: *Si non dimiseris, revocabo te, et quidquid tibi dimiseram, replicabo.* Similia habent S. Ambrosius, et S. Gregorius. *Resp.* Patres eodem modo loquuntur de reditu peccatorum secundum quid. III. Merita per peccatum mortificata per Poenitentiam reviviscunt: ergo etiam peccata priora reviviscunt per peccatum sequens: imo si poena temporalis peccatis remissis debita, non fuerit soluta, et aliquis commisso novo peccato mortali statim moriatur, illam poenam in Inferno, ex quo nulla est redemptio, in aeternum luere debet: ergo saltem peccatum quoad poenam redit. *Resp.* Disparitas est, quia Deus pronior est ad benefaciendum, quam ad puniendum, et peccata absolute delentur; merita autem solum sub conditione, nisi quis agat poenitentiam. S. Thomas *in* 4. *d.* 22, *q.* 1, *a.* 1, *ad* 5. docet, quod poena illa temporalis in dato casu temporaliter in Inferno puniatur: neque ex hoc sequitur, quod ex Inferno sit aliqua redemptio, quia quod solvitur, non redimitur; nec est inconveniens, quod quantum ad aliquid accidentale poena Inferni minuatur usque ad diem Iudicii, sicuti etiam augetur ex consortio damnatorum.

Art. 3 *De casibus, in quibus Poenitentia suo caret effectu.*

Quando Poenitentia effectu careat? § 1111. Sacramentum Poenitentiae effectu suo carere, et invalidum esse potest, vel ex defectu poenitentis, si sine sufficienti examine, dolore, aut proposito ad illud accedat, vel in Confessione grave peccatum omittat: vel ex defectu confessarii, si non habeat debitam intentionem, vel iurisdictionem, vel formam Absolutionis corrumpat (§ 1095, 1091).

An detur Poenitentia valida et informis? *Schol.* Quaeritur, an Sacramentum Poenitentiae possit esse validum et informe, id est, carere suo effectu, scilicet remissione peccatorum, et tamen esse verum Sacramentum; quod tribus modis contingere potest. 1° Quando Confessio non est integra ex defectu examinis, quod poenitens ex ignorantia invincibili putat esse sufficiens. 2° Quando poenitens habet Attritionem excludentem quidem formale propositum amplius peccandi, non tamen implicitam voluntatem peccandi, licet poenitens hoc non cognoscat. 3° quando attritio non est generalis, quae se non extendit ad peccata ex oblivione inculpabili in Con-

fessione omissa. *Resp.* posse dari Sacramentum Poenitentiae validum; et tamen informe, in primo et tertio casu. Nam in primo casu Sacramentum tamquam causa, potest carere suo effectu ob indispositionem poenitentis, quia effectus hic extra eius essentiam est positus. In tertio casu Confessio est valida, quia non quidem materialiter est integra, est tamen integra formaliter (§ 1067): et sufficit Attritio, quae ad omnia peccata confessa se extendat. Ergo Sacramentum est validum; caret tamen suo effectu, quia unum peccatum mortale sine alio remitti non potest; et in casu posito illud peccatum poenitenti non remittitur, de quo formaliter et implicite non dolet, neque virtualiter et implicite, cum supponatur, dolorem eius ad peccata oblita se non extendere. In secundo vero casu, quando poenitens facit Confessionem non integram ex culpabili defectu examinis sufficientis, vel habet Attritionem excludentem quidem formale propositum peccandi, non tamen virtuale et implicitum, Sacramentum non est validum et informe; nam si poenitens in faciendo examine culpabiliter deficiat, Confessio non est valida, cum culpabiliter non sit integra: Attritio vero excludens omnem affectum peccati mortalis, est pars Sacramenti Poenitentiae, uti docet Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 4. Ergo qui eam non habet, non recipit Sacramentum validum et informe. Dices I. De ratione Sacramenti est, causare gratiam; et Sacerdos non vult absolvere, nisi rite dispositum: ergo non datur Poenitentia valida, et informis. *Resp.* De ratione Sacramenti non est, ut actualiter causet gratiam, sed ut habeat vim eam causandi, licet ob indispositionem subiecti eam subinde actu non causet. Deinde Sacerdos habet intentionem absolvendi rite dispositum, licet non habeat intentionem conferendi gratiam, nisi rite disposito. II. Attritio, quae est pars Poenitentiae, est etiam dispositio ad eius effectum, et forma super illam, tamquam materiam, verificari debet: ergo sine effectu seu gratia in Sacramento Poenitentiae esse non potest. *Resp.* Attritio quidem ordinarie est dispositio ad effectum Poenitentiae, subinde tamen, si non sit generalis, nec ad peccata oblita se extendat, contingere potest, quod ad eum non disponat: forma autem Sacramenti sufficienter verificatur, quia iuxta S. Thomam sonat: confero tibi Sacramentum Absolutionis a peccatis; sicuti verificatur forma Baptismi in illo, qui eum ficte suscipit. III. Peccata inculpabiliter oblita remittuntur in Sacramento Poenitentiae, etsi Confessio ad illa se non extendat, ergo etiam si attritio ad illa se non extendat, quia poenitens hoc modo gratiae obicem non ponit. *Resp.* Disparitas est, quod integritas Confessionis solum sit de praecepto; Poenitentia vero interna est de necessitate medii per se requisiti ad remissionem peccati, ad quod si se non extendat, illud non remittitur: hinc in nostro casu poenitens non quidem ponit obicem positivum, ponit tamen obicem negativum, non extendendo Attritionem; quem tamen invincibiliter ignorat se ponere.

Coroll. Pract. 1° Poenitens excommunicatus, et non prius ab ex- **Resolvor.**

tur casus. communicatione, quam peccatis absolutus mala fide procedens, invalide absolvitur, adeoque Confessionem repetere debet: si vero ex oblivione naturali, vel ignorantia invincibili, vel ad vitandum grave scandalum Sacramentum Poenitentiae suscipiat, validum est, cum non constet in hoc casu, Ecclesiam iurisdictionem ab absolvente sustulisse. 2° Confessio facta sine debito dolore, proposito, et quando grave peccatum culpabiliter omissum fuit, est invalida, et repetenda. Si quis tamen olim culpabiliter mortale peccatum reticuisset, et huius sacrilegii oblitus plures alias Confessiones bona fide fecisset, non est necessarium, has Confessiones bona fide factas repetere, sed illam solum, in qua defectus fuit. Sicuti etiam ille, qui aliquod peccatum mortale omisit, inculpabiliter putans esse tantum veniale, valide confitetur, et satisfacit accusando se de hoc peccato omisso. Unde excusantur pueri a repetenda Confessione, qui in ea mortale tacuerunt, ignorantes, quod sit peccatum grave, quod modo maiores facti agnoscunt: quod idem dicendum est de circumstantiis aut numero peccatorum ex ignorantia invincibili non expressis, quae post adeptam notitiam confiteri tenentur. 3° Ex defectu Confessarii invalidum est Sacramentum Poenitentiae, si Absolutionem non impendat, non habeat debitam intentionem, aut iurisdictionem. Item si ob surditatem, distractionem, vel somnum peccata non intellexerit. 4° Confessio bona fide facta Confessario nescienti discernere inter mortale et veniale, inter species peccatorum et numerum, valida est, quia omnia ad valorem requisita concurrunt; nec tenetur quis Confessionem talem bona fide factam repetere, nisi quis sciens Sacerdoti ignoranti confiteatur, et advertens eius ignorantiam sine ulteriori instructione pergat. 5° Si Confessio ob defectum poenitentis vel Confessarii invalida, coram eodem Confessario retinente adhuc memoria peccata confessa, vel eorum confuse reminiscente, et statum peccatoris pro congrua Poenitentia iniungenda agnoscente repetenda sit, non opus est, ut peccata secundum speciem et numerum illi iam exposita denuo repetantur, sed sufficit cum Contritione de commisso defectu, et aliis peccatis in genere se accusare; quia etiam valida est Confessio, quam poenitens una vice non potuit perficere, sed iteratis vicibus multorum dierum spatio perfecit, et in fine Absolutionem a Sacerdote obtinuit, cui tunc notus erat status conscientiae peccatoris, et cuius peccatorum saltem confuse recordatur, licet non omnium in particulari.

CAP. XII.

De necessitate Sacramenti Poenitentiae.

Sacramentum Poenitentiae est necessarium necessitate medii. § 1112. Sacramentum Poenitentiae in re, vel in voto est necessarium necessitate medii ad delenda peccata post Baptismum commissa. Nam 1° iuxta S. Scripturam in Sacramento Poenitentiae iudiciaria potestate a Sacerdotibus peccata remittuntur: *Ioan.* 20. *Quorum remiseritis peccata.* Sed sine hac remissione nemo post Baptismum

lapsus salutem consequi potest. Ergo Sacramentum Poenitentiae est necessarium necessitate medii ad salutem. 2° Inter caeteros Patres S. Leo *ep.* 82. ait: *Sic Divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri.* Et Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 2. *Est autem hoc Sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.*

Schol. 1. Protestantes negant necessitatem Sacramenti Poenitentiae. I. Quia S. Scriptura conversionem Contritioni tribuit, *Ps.* 50. *Resp.* Non excluditur hic necessitas Sacramenti Poenitentiae, sicut nec necessitas Baptismi. II. Christus sine Sacramento peccatricem *Luc.* 7. et adulteram *Ioan.* 8. dimisit. Et *Act.* 8. S. Petrus Simonem magum pro agenda poenitentia ad nullum Sacramentum remisit. *Resp.* Christus ante institutum Sacramentum Poenitentiae peccata remittens, usus est potestate excellentiae. Et S. Petrus per illa verba: *Poenitentiam age*, ad Sacramentum remisisse merito censetur. III. In veteri Lege sola virtus Poenitentiae et Fides ad consequendam veniam peccatorum sufficiebat sine Sacramento: ergo etiam in nova Lege; alias via ad salutem modo foret arctior. *Resp.* Per Sacramentum Poenitentiae nihil detractum fuit de virtute Fidei, aliarumque virtutum, sed tantum novum praeceptum additum est, subiiciendi se clavibus Ecclesiae; et via salutis fuit alleviata, cum in veteri Lege requisita fuerit perfecta Contritio, et tamen modo Attritio cum Sacramento ad remissionem peccatorum sufficiat. Solvuntur obiectiones.

Schol. 2. Quomodo votum Sacramenti Poenitentiae in perfecta Contritione includatur, non eodem modo omnes explicant. Aliqui putant, per Contritionem non remitti peccatum, nisi sub conditione recipiendi Sacramentum, ita ut remissio suspensa maneat, donec Sacramentum susceptum fuerit. Verum cum Contritio perfecta, sit dispositio ultima ad gratiam, quae eam necessario comitatur, et gratia sit incompossibilis cum peccato, Contritio non expectat Absolutionem Sacerdotis, ut peccata remittat. Alii putant, ideo in Contritione includi votum Sacramenti Poenitentiae, quia Contritio includit propositum virtuale servandi omnia praecepta, inter quae est praeceptum Sacramenti Poenitentiae. Verum non videtur adesse potior ratio, cur Contritio includat magis votum Poenitentiae, quam aliorum Sacramentorum. Dicendum ergo videtur, Contritionem importare votum Sacramenti Poenitentiae, quatenus formaliter per alium actum, vel virtualiter per seipsam respicit Sacramentum Poenitentiae sub ratione unici medii ad salutem necessarii: quia Votum Poenitentiae a Contritione importatum, per ordinem ad ipsam, prout habet rationem medicinae necessariae peccatorum, a voto aliorum Sacramentorum distinguitur. Quomodo Contritio includat votum Poenitentiae?

Schol. 3. Ab obtinendam remissionem peccati post Baptismum commissi, sufficit votum implicitum Poenitentiae. Nam ad obtinendam hanc remissionem sufficit perfecta Contritio, quae sit ultima di- Quale votum requiratur?

41

spositio ad gratiam: sed haec Contritio sine voto explicito Sacramenti esse potest, si poenitens vel ex oblivione, vel ignorantia invincibili de Sacramento nihil cogitet, adeoque habeat tantum votum implicitum Saramenti: ergo hoc sufficit. Dices. I. cum Cano *de poen. p.* 5. *conclus.* 3. Concilium Complutense damnavit hanc propositionem Petri Oxomensis: *Peccata mortalia delentur quantum ad culpam et poenam alterius saeculi per solam cordis Contritionem, sine ordine ad claves:* sed sola Contritio habet tantum votum implicitum Sacramenti: ergo hoc non sufficit. *Resp.* Haec propositio ideo damnata fuit, quia Petrus Oxomensis excludebat subordinationem tam formalem, quam virtualem ad claves Ecclesiae, quarum potestati derogabat; et negabat, necessarium esse, manifestari Sacerdoti peccata occulta. II. Tridentinum *Sess.* 6. *cap.* 14. Contritionem distinguit a voto Poenitentiae: ergo votum explicitum requiritur. *Resp.* Tridentinum ea, quae docuit de iustificatione *Sess.* 6. exposuit *Sess.* 14. de voto incluso in Contritione; votum autem inclusum non est expressum, sed virtuale. III. Nulli haeretico remittitur culpa, nisi expresse ab Ecclesia veniam petere velit: ergo sola Contritio sine voto explicito non sufficit. *Resp.* Disparitas est, quod haereticus clare fidem negat, adeoque formale desiderium redeundi ad Ecclesiam, a qua discessit, habere debet; quod non tenet in aliis peccatoribus ab unitate Ecclesiae non recedentibus: imo etiam in casu subitaneo, quando haereticus veram contritionem elicit, implicite votum Poenitentiae in ea includitur, adeoque desiderium Ecclesiae se uniendi.

ART. UN. *De praecepto Ecclesiastico Confessionis annuae.*

Confessio est de necessitate praecepti Ecclesiastici.

§ 1113. Non solum autem necessitate medii Sacramentum Poenitentiae est necessarium ad salutem, sed Confessio Sacramentalis cadit etiam sub praecepto Ecclesiastico. Ita statuit Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. in *cap. Omnis utriusque, de poen. et remiss. Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata semel saltem in anno confiteatur proprio Sacerdoti, et iniunctam sibi Poenitentiam studeat pro viribus adimplere.* Et Tridentinum *can.* 8. inquit: *Si quis dixerit, ad eam Confessionem Sacramentalem non teneri omnes et singulos utriusque sexus fideles, iuxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno.... anathema sit.*

An Ecclesia Confessionem praecipere posset, si Christus non praecepisset?

Schol. 1. Quaeritur, an, si Confessio non esset de praecepto Divino, posset cadere sub praecepto Ecclesiastico. *Resp.* Negative: tum quia Ecclesia nequit praecipere rem difficillimam, quam Deus non praecepit, qualis est Confessio: tum quia Ecclesia nequit praecipere illa, quae solum ut consilia Christus proposuit, cum gubernationem Christi alterare non possit. Dices I. Etsi Christus non praeceperit annuam Confessionem, Ecclesia tamen potuit praecipere, licet sit res difficillima: ergo licet Christus Confessionem, non praecepisset, eam tamen Ecclesia posset praecipere. *Resp.* Disparitas est, quia suppo-

sito praecepto Divino Confessionis, non est notabilis difficultas ratione temporis ab Ecclesia determinati. II. Christus non praecepit Confessionem venialium, quam tamen praecipit Ecclesia in Clement. *Ne in agro*, dum statuit, ut Benedictini singulis mensibus confiterentur, qui certe mortalia non semper confitebantur: ergo a pari. *Resp.* Ecclesia praecipit Confessionem aliquorum tantum venialium indeterminate, quod nimis durum non est; non vero omnium, quod nimis durum foret.

Schol. 2. Quaeritur ulterius, quisnam ex mente Concilii Lateranensis sit proprius Sacerdos, cui semel in anno Confessio facienda est. Tres sunt in hac controversia sententiae. Prima est eorum. qui volebant, proprium Sacerdotem tam stricte esse Parochum, ut excludatur Episcopus et ipse Summus Pontifex, et ne divinitus quidem fieri posse, ut stante Concilii Lateranensis decreto, valide quis Episcopo suo aut Papae confiteatur. Altera docet, per proprium Sacerdotem omnem illum intelligi, qui habet iurisdictionem ordinariam, qualem habent Papa, Episcopi et Parochi, qui eam illis, quibus voluerint, delegare possunt; hinc Regulares possunt excipere fidelium Confessiones etiam tempore Paschali, invitis Parochis et Episcopis, modo habeant consensum Summi Pontificis. Tertia est Launoii in libro: *Explicata Ecclesiae Traditio circa Canonem: Omnis utriusque*: Bonaventurae Basscan in suo *Theophilo Parochiali p.* 4. *a.* 15. Iuenin *de Sacr. diss.* 6. *q.* 5. *a.* 3. Van-Espen *Iur. Eccl. p.* 2. *t.* 6. *c.* 5. qui nomine proprii Sacerdotis ita intelligunt Parochum, ut huic tantum, et non alteri, licet ab Episcopo approbato, fas sit tempore Paschali confiteri. Dicendum est 1° nomine Sacerdotis proprii in *cap. Omnis utriusque*, intelligi Parochum. Ita intellexit Martinus IV. Const. *Ad uberes*: Benedictus XI. Const. *Inter cunctas:* Sixtus IV. in Extravag. *Vices illius : de tregua et pace*: Idem constat ex Concilio Arelatensi. a. 1275. *can.* 19. Coloniensi a. 1280. *c.* 8. Lingonensi a. 1452. Rhemensi a. 1583. etc. 2° Nomine proprii Sacerdotis non ita intelligitur Parochus, ut excludatur Summus Pontifex, et Episcopus, et ab iis delegati vel pro tempore Paschatis, vel ab illis sine temporis aut loci restrictione approbati. Nam Concilium Lateranense IV. *c.* 21. statuit: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, et obtineat a proprio Sacerdote; cum aliter ille ipse solvere non possit aut ligare*: sed Papa in tota Ecclesia, et Episcopus in sua dioecesi non sunt alieni Sacerdotes, qui ab inferioribus Parochis licentiam petere et obtinere debeant: ergo vel per seipsos, vel per alios a se delegatos annuam subditorum suorum Confessionem excipere possunt, ita ut a confitentibus Canoni, *Omnis utriusque sexus*, satisfiat. Eodem modo Canonem hunc intellexit Synodus Claromontana a. 1263. *Proprium Sacerdotem dicimus duobus modis: ex officio, utpote Papam, Episcopos, et Curatos: vel ex commissione, sicut Fratres Praedicatores et Minores, quibus Episcopus commiserit vices suas.* Item Synodus Lingo-

Quis sit Sacerdos proprius?

niensis a. 1452. Atrebatensis a. 1490. Et Clerus Gallicanus luculenter mentem suam aperuit, dum a. 1683. die 25. Aprilis librum approbavit, quem pro Confessione tempore Paschali facta cuilibet Sacerdoti ab Episcopo approbato, scripserat P. Bagottus S. I. et alium librum contra Bagotti doctrinam evulgatum proscripsit. 3° Ex hoc sequitur, quod, qui confitetur Regulari ab Ordinario approbato, satisfaciat praecepto annuae Confessionis: quippe Ioannes XXII. a. 1321. sequentem propositionem damnavit: *Stante edicto: Omnis utriusque sexus in Concilio generali, Romanus Pontifex non potest facere, quod Parochiani non teneantur peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti confiteri*; quam damnationem Alexander VIII. a. 1409. confirmavit: et Clemens VIII. in litteris Apostolicis ad Belgas datis a. 1592. omnibus fidelibus licitum esse pronunciavit, Quadragesimae, Paschatis et alio quovis tempore Religiosis mendicantibus, Presbyteris S. J. et aliis privilegiatis confiteri, dummodo ab Ordinariis fuerint approbati, praecepitque Archiepiscopo Cameracensi, et Episcopo Atrebatensi, ut Parochos in officio continerent, ne prohiberent plebem sibi subditam, quominus Regularibus tempore Paschali confiteretur. Eadem controversia excitata est inter Archiepiscopum Burdigalensem et Regulares; sed Innocentius X. in Constit. *Exponi nobis*, a. 1645. definivit: *Non potest Archiepiscopus Burdigalensis prohibere Regularibus habentibus privilegia Apostolica, ne a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusive administrare valeant personis saecularibus Sacramentum Confessionis*. Quod autem satisfiat hoc modo praecepto annuae Confessionis, probat Benedictus XIV. *de Synod. l.* 7. c. 64. quod Clemens VIII. in suo decreto hoc solum de praecepto Paschalis Communionis in Parochia sumendae, non vero de praecepto annuae Confessionis declaraverit: Imo Clemens X. in Const. *Superna*, expresse declaravit a. 1670. *Qui Paschali tempore Regularibus ab Episcopo approbatis sua peccata aperit, satisfacit Canoni: Omnis utriusque*. Et in eadem Constitutione definit, fas esse fidelibus aegrotantibus absque alia Episcopi aut Parochi licentia Sacramentalem Confessionem peragere apud Regularem ab Episcopo approbatum; ita tamen, ut Regularis Confessionem infirmi excipiens teneatur de illa certiorem facere eiusdem infirmi Parochum. Dices I. Parochi sunt iuris Divini, et Episcopi eorum iura contra decretum Concilii generalis infringere non possunt; ergo non possunt facere, ut sine eorum consensu valeat Confessio annua apud Regulares. *Resp.* Parochi sunt iuris Divini, ita tamen, ut sint subordinati Episcopis, et Episcopus sit proprius Sacerdos modo excellentiori in sua dioecesi: hinc Episcopi non violant iura Parochorum, sed sua defendunt, quando Regularibus licentiam excipiendi annuam fidelium Confessionem concedunt; maximo cum in Canone: *Omnis utriusque*, Papa et Episcopus non excluduntur. II. Concilium statuit, ab eodem Sacerdote esse recipiendam SS. Eucharistiam et Absolutionem: sed a Parocho recipienda est SS. Eucharistia: ergo etiam Absolutio, vel ab alio de eius licentia. *Resp.*

Etiam cum licentia Episcopi aliquis in aliena Parochia S. Communionem sumere potest, adeoque etiam confiteri. III. Martinus IV. in Constit. *Ad fructus uberes*, et plures Synodi statuerunt, teneri fideles semel in anno Parochis suis confiteri. Et facultas Parisiensis damnavit quamdam propositionem Claudii Cusii, in qua ait, satisfieri praecepto annuao Confessionis, confitendo Fratribus. Et privilegia Regularibus concessa a Tridentino revocata sunt: imo Benedictus XI. et alii, dum facultatem Confessiones excipiendi Regularibus concedunt, excipiunt tempus Paschale. *Resp.* Martinus IV. loquitur de Regularibus ab Episcopo non approbatis, et de iisdem damnata est Cusii propositio. Tridentinum solum revocavit privilegia Regularium, quoad approbationem Episcoporum: imo si Papa vel Episcopus delegatis hanc licentiam pro annua Confessione excipienda expresse neget, nemo dubitat, quod eam excipere non possint.

Schol. 3. Quaeritur ulterius, quo tempore praeceptum Contritionis obliget. S. Bonaventura putat, peccatorem teneri ad eliciendum actum Contritionis, quoties peccata sua menti occurrunt. Verum hoc praeceptum ex S. Scriptura et Traditione non colligitur; et obligatio reliquorum praeceptorum etiam Charitatis Dei ex necessitate rei sumitur, non vero ex memoria et intelligentia nostra. Alii putant, praeceptum Contritionis obligare, mox ut peccatum commissum fuerit. Sed hoc praeceptum est affirmativum, quod non obligat semper pro semper, sed tantum in quibusdam circumstantiis, quarum nulla saltem ordinarie statim post commissum peccatum assignari potest. Alii putant, diebus Festis, quibus tenemur Missam audire, teneri peccatorem ad eliciendam Contritionem. Verum ex praxi fidelium satisfit praecepto de sanctificandis diebus Festis, si ab operibus servilibus cessetur, et Missa audiatur, quorum neutrum exigit Contritionem. Obligat igitur praeceptum Contritionis in quibusdam casibus per se, scilicet in articulo mortis vero, vel praesumpto, ob urgens praeceptum charitatis. Item in morali periculo vitae, bello, peste, periculosa navigatione, quod articulo mortis aequivalet. Deinde obligat subinde per accidens, scilicet, quando quis tenetur recipere Sacramenta vivorum: quando administranda sunt Sacramenta: quando urget gravis tentatio sine Contritione non vincibilis: in casu publicae necessitatis, quando probabiliter timetur, Deum punire populum ob peccata particularia. Dices I. Si peccatum memoriae occurrat, non possum hunc actum elicere: nolo poenitere, quia sic interpretative vellet quis peccatum. Ergo tenetur etiam statim Contritionem elicere, si peccata memoriae occurrant. *Resp.* Non potest quis hunc actum elicere: nolo absolute, nullo tempore poenitere; potest tamen hunc elicere: nolo modo, hoc determinato tempore, quo determinate non obligor poenitere; quia sic non vult peccatum interpretative, sed illud tantum permittit. Praeceptum Charitatis in primo instanti rationis, et praeceptum Fidei mox cognitis eius mysteriis obligat. Ergo etiam praeceptum Contritionis, mox commisso peccato. *Resp.* In primo in-

Quando obliget praeceptum Contritionis?

stanti rationis urget necessitas se convertendi ad Deum ut ultimum finem, quia tunc homo incipit vivere vita rationali; post commissum vero peccatum non supponimus, adesse urgentem necessitatem. Idem dicendum de praecepto Fidei. III. Finis praecepti colendi dies Festos est sanctificatio animae nostrae: ergo Contritionem in illis elicere tenemur. *Resp.* Finis praecepti non semper cadit sub praecepto.

F solvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Praeceptum Confessionis et Contritionis licet non statim obliget post commissum peccatum, obligat tamen, ne nimis diu differatur. Praeceptum Divinum Poenitentiae obligat in certo, vel probabili mortis periculo, instante praelio, morbo gravi, primo, periculoso et difficili partu: et si infirmus post Confessionem iterum in grave peccatum labatur, tenetur iterum confiteri, ne sine Confessione decedat; sicut et ille, qui nunc habet copiam Confessarii, quam probabiliter timet, sibi deinceps per totam vitam defuturam. 2° praecepto Ecclesiastico annuae Confessionis tenentur omnes baptizati habentes conscientiam peccati mortalis, non vero, qui habeat sola venialia; tum quia in Can. *Omnis utriusque*, iubemur confiteri tantum mortalia; nam Canon loquitur de omnibus peccatis, quod de venialibus vix potest intelligi; et praeceptum Ecclesiasticum est determinatio praecepti Divini, quod ad venialia se non extendit. 3° Praeceptum hoc Ecclesiasticum determinate, et per se non obligat in Paschate, sed illi satisfieri potest Confessione in qualibet anni parte facta, quia Canon nullum tempus anni determinat; communiter tamen iuxta consuetudinem Ecclesiae computatur hic annus a Paschate usque in Pascha. 4° Qui toto anni tempore ex iusta vel iniusta causa praeceptum Confessionis non implevit, tenetur postea, cum primum poterit, confiteri; tempus enim non est appositum, ut expiret praeceptum, sed ne diutius Confessio differatur: adeoque qui praevidet, tempore Paschali, vel toto anno sequenti sibi defuturam occasionem confitendi, tenetur anticipate huic praecepto satisfacere. 5° Qui in anno semel confessus est venialia, si postea ante finem anni committat aliquod mortale, tenetur vi praecepti annuae Confessionis adhuc intra illum annum hoc mortale confiteri; sicuti et ille, qui in Confessione aliquod mortale oblitus fuit, confitens sola venialia. qui tamen confessus fuit mortalia, si ante anni finem iterum mortaliter peccet, illo anno ad satisfaciendum praecepto non tenetur amplius confiteri: 6° Praecepto annuae confessionis non satisfit per confessionem voluntarie nullam iuxta prop. 14 ab Alexandro VII damnatam: si vero ex defectu Confessarii Confessio nulla sit, si hic defectus non sit notus poenitenti, satisfacit, quia inculpabiliter Confessionem nullam fecit; tenetur tamen Confessionem repetere, quando nullitatem agnoscit; 7° Qui confitetur Regulari ab Ordinario approbato satisfacit praecepto annuae Confessionis, qui vero confitetur Regulari Episcopo praesentato, sed ab eo iniuste reprobato, non satisfacit praecepto annuae Confessionis, iuxta prop. 20 ab Alexandro VIII damnatam. 8° Ab hoc praecepto excusat tum impotentia Physica, quando Confes-

sarius haberi non potest; tum moralis, quando Confessio sine gravi incommodo fieri nequit.

TRACTATUS XVIII.

De Extrema Unctione.

CAP. I.

De nomine, et Sacramento Extremae Unctionis.

§ 1114. Quintum novae Legis Sacramentum est *Extrema Unctio*, quae est Sacramentum a Christo Domino institutum, quo per unctionem olei benedicti, et orationem seu formam praescriptam, baptizatis aegrotantibus confertur gratia sanctificans, eosque confortans, ut aequo animo ferant morbi molestias, frangantque daemonis insidias et impetus, necnon, si illis expediat, liberentur ab infirmitate, corporisque langnore. Extrema Unctio quid?

Schol. Sacramentum hoc dicitur a Latinis *Extrema Unctio*; tum quia nonnisi in extremo vitae periculo constitutis administrari solet; unde etiam *Sacramentum exeuntium* appellatur: tum quia inter alias unctiones in Ecclesia usitatas ordine postrema est. A subiecto dicitur *Unctio infirmorum* A materia dicitur *Unctio sacrati olei*. A graecis vocatur *ἅγιον ἔλυνον S. Oleum: ἐυ'χέλαιον oratio unctioni olei coniuncta: ὑςεραχρίσις postrema Unctio*. Varia eius nomina.

§ 1115. Extrema Unctio est vere et proprie dictum novae legis Sacramentum. Probatur 1° ex S. Scriptura *Iac. 5, v. 14 et 15. Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.* Habetur hic materia sensibilis, scilicet unctio olei: forma, seu verba, scilicet oratio Presbyterorum: promissio gratiae: *Alleviabit eum Dominus:* id est, uti interpretatur Tridentinum, ut infirmus morbi incommoda, ac labores levius ferat, et contra timorem mortis, et conscientiae stimulos fiduciam in misericordia Dei collocet: denique si in peccatis fuerit, remittentur ei. Institutionem Divinam denotat Apostolus, cum tam fidenter promittat, per sacram illam Unctionem alleviandum esse infirmum, et peccata eius dimittenda; virtus enim humana tantam efficaciam signo externo tribuere non potuit. Denique mandatum Divinum retinendi in Ecclesia sanctae Unctionis ritum, elucet ex verbis Apostoli, qui eo loci totus est in eo, ut doceat fideles, quid in variis vitae casibus agere debeant. 2° Probatur ex Traditione. Origenes *hom. 2 in Lev.* ait: *Est adhuc septima licet dura et laboriosa per Poenitentiam remissio, cum lavat peccator in lachrymis stratum suum . . . In quo et impletur illud, quod et Apostolus dixit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiae, et imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini, et si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Hic Origenes duo Sacra- Est verum Sacramentum.

menta, Poenitentiam et Extremam Unctionem coniungit, quia haec est perfectio Poenitentiae; unde mos apud Graecos fluxit, absolutos in supplementum satisfactionis inungendi. S. Chrysostomus *l.* 3. *de Sacerd.* ait: *Neque enim Sacerdotes solum cum nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent; nam infirmatur quis in vobis? accersat Presbyteros Ecclesiae* etc. Innocentius I. an. 416. a Decentio Eugubino Episcopo interrogatus supponit ex communi Ecclesiae sensu, Extremam Unctionem esse Sacramentum, et respondet: eam solis aegrotantibus esse administrandam; oleum ab Episcopo esse benedicendum; non implicare, ut eodem oleo etiam laici utantur in infirmitatibus, non quasi Sacramento, sed sicuti fideles illorum temporum ad morbos curandos aquam Baptismalem adhibebant, ita et oleo ab Episcopo benedicto se inungant; Unctionem Sacramentalem ab Episcopo, vel Presbytero esse faciendam. Denique ait: *Poenitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti: nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Denique S. Augustinus in *specu.* ex verbis S. Iacobi allatis Extremam Unctionem commemorat. Plura recentiorum saeculorum testimonia recenset Launoius in opere *de Extr. Unct. c.* 1. quibus accedit omnium Ecclesiarum consuetudo. De Romana testatur Liber *Sacramentorum* S. Greg. M. ac Rituale Romanum. De Graeca *Euchologium* Goarii, *Epitome* Gregorii Protosyncelli, *Censura* Ieremiae Patriarchae Constantinop. contra Wittembergenses, *Confessio fidei* Ioannis Palaeologi. 3° Patet ex Conciliis. Synodus Cabillonensis an. 813. *c.* 48. ait: *Secundum B. Iacobi documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopo benedicitur, a Presbyteris ungi debent: non est itaque parvipendenda huiusmodi medicina, quae animae, corporisque medetur languoribus.* Similia habentur in Concilio Aquisgranensi an. 836. *can.* 5. Regiaticino an. 850. Nannetensi an. 896. *c.* 4. Et Constantiense iubet, redeuntes ad Ecclesiam interrogari, an credant, quod Christianus contemnens Sacramentum Confirmationis, vel Extremae Unctionis peccet mortaliter. Florentinum in Decreto Extremam Unctionem inter Sacramenta recenset; et Tridentinum *Sess.* 14. c. 1. definit: *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum, a Christo D. N. institutum, et a Beato Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.* Idem habetur in Canonibus sequentibus.

Solvuntur obiectiones.

Schol. Protestantes negant, Extremam Unctionem esse verum Sacramentum. I. Quia unctio illa a S. Iacobo relata, est solum ad sanandum corpus, quia dicitur: *Oratio fidei salvabit infirmum, σώσει τὸν κάμνοντα, excitabit ἐγερεῖ eum Dominus:* salvare autem et excitare, corporis aegritudinem sanare significat. Hinc Apostolus expresse meminit morbi; quod non faceret, si loqueretur de salute spirituali, et utitur verbo ἐγερεῖ, quod corporis sanitatem restitutam significat:

Matth. 8. *v.* 15. Deinde in illis verbis : *Si in peccatis sit*, *remittentur ei*, solum innuitur, illam unctionem remittere peccata, non quantum ad animae sanctificationem, sed quantum ad certum effectum, ne scilicet a morbo aegrotus absorbeatur, si ob peccatum forte morbum contraxit; nam si unctio esset Sacramentum pro remissione peccatorum, non diceret hypothetice: *Si in peccatis sit*, sed absolute: *remittentur ei. Resp.* S. Iacobus loquitur et de sanitate corporali, et de spirituali, quia utraque est effectus Extremae Unctionis: prius autem memorat sanitatem corporis, quia series orationis postulabat, ut post memoratam infirmitatem corporis poneretur eius curatio. Deinde verbum ἐγερεῖ, non solum ad corporis, sed animae sanitatem refertur; nam si in verbis praecedentibus: *Oratio fidei salvabit infirmum*, denotatur, cur in illis verbis: *et alleviabit eum Dominus*, idem effectus repeteretur? Item Christus plerumque prius animam, quam corpus sanavit. Peccata saepe sunt morborum causa; adeoque Christus Sacramentum instituit, quod et animae, et corpori mederetur. Locutio hypothetica: *Si in peccatis sit*, non obstat, quia particula *si* in S. Scriptura saepe significat appositionem rei certae: uti *Mal.* 1. *Si Pater ego sum, ubi est honor meus?* imo ly *si* in citato textu afficit verbum *sit;* et ideo quantum ad remissionem peccatorum non infertur ambiguitas. II. Sacramentum hoc non memoratur ab antiquis. nec in Constit. Apost. nec a S. Dionysio, nec a S. Cyrillo Ierosolol. qui data opera de SS. Ritibus scripserunt. Origenes *hom.* 2. *in Lev.* verba S. Iacobi de Poenitentia explicat: et Ven. Beda in *Comment.* de Confessione peccatorum : et ipse Innocentius I. de hoc Sacramento consultus non fuisset. Si Decentius esse Sacramentum credidisset. *Resp.* Multi antiqui hoc Sacramentum ex dictis laudarunt. In Const. Apost. pro benedictione olei legitur haec oratio*: Da vim effectricem sanitatis, morborum expultricem, daemonum fugatricem, omnium insidiarum profligatricem*. S. Dionysius solum de Officiis Hierarchicis agit, non vero de singulis Sacramentis. S. Cyrillus in Catechesibus ea solum explicat, quae spectant ad Neophitos. Origenes vult, per Extremam Unctionem deleri venialia, et eam esse quamdam partem Poenitentiae. Ven. Beda hoc Sacramentum aperte asserit *in Marc.* 6. et *in ep. S. Iacobi* commendat consuetudinem Ecclesiae, ut infirmi oleo ungantur a Presbyteris; ait tamen, peccata gravia non dimitti per se in hoc Saramento, sed per Confessionem esse delenda. Decentius consulens Innocentium, non de existentia huius Sacramenti, sed de nonnullis ad eius administrationem necessariis, Papam consulit. III. S. Epiphanius *haer.* 36, et S. Augustinus *haer.* 16. infirmorum unctionem inter Heracleonitarum deliramenta numerat; et illa unctio primis septem saeculis usitata, non erat Sacramentalis, sed caeremonia quaedam a laicis etiam foeminis adhibita, per fidem obtinens sanitatem. *Resp* Heracleonitae teste S. Epiphanio se inungebant hac Marci praestigiatoris unctione : *μέσια οὔφαρ ἐγναμέμψα μενχάλδια νοσσομὴ δαέχ ἀχφαρὰν ἐψεύονα Ἰ'ησοῦ ναζάρία*, quae ver-

ba ultimis exceptis nil noti significant. S. Iraeneus *l.* 1. *c.* 18. ea ita interpretatur: Non divido spiritum, nec cor, nec supercoelestem virtutem misericordem, fruar nomine tuo, Salvator veritatis. His verbis putabant Heracleonitae, suos morientes novo quasi modo redimi. Deinde distinguenda est Unctio Sacramentalis iam olim a Presbyteris facta, a Caeremoniali, sicuti lavacrum Baptismi ab aqua lustrali.

CAP. II.

De institutore Sacramenti Extremae Unctionis.

Christus hoc Sacramentum instituit. § 1116. Sacramentum Extremae Unctionis a Christo institutum fuit. Ita Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 1. dicens: *Instituta est autem sacra haec Unctio infirmorum tamquam vere et proprie Sacramentum novi Testamenti a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolum et Domini Fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum.* Quod deinde definit *can.* 1. Vid. § 912. cum Schol.

An immediate? *Schol.* 1. Magister Sententiarum, Hugo Victorinus, et S. Bonaventura docent, Extremam Unctionem non esse immediate a Christo institutam, sed mediate solum per Apostolos, non propria, sed commissa sibi a Domino potestate. Verum communior est Theologorum sententia, Sacramentum Extremae Unctionis immediate esse a Christo institutum; nam iuxta Tridentinum Christus hoc Sacramentum instituit: sed nomine Institutoris ille venit, qui immediate aliquid instituit: ergo Christus immediate hoc Sacramentum instituit. Deinde si hoc Sacramentum ab aliquo Apostolo institutum fuisset, esset is S. Iacobus, qui solus in sua Epistola illius meminit: sed S. Iacobus iuxta Tridentinum illud non instituit, sed tantum promulgavit: ergo nec reliqui Apostoli illud instituerunt. Dictum est, hanc esse communiorem sententiam; sed nondum est de fide, uti probatum fuit (§ 912. cum Schol.).

Quo tempore sit institutum? *Schol.* 2. Quaeritur, quo tempore Sacramentum Extremae Unctionis institutum sit. Magister Sententiarum, Hugo Victorinus, et S. Bonaventura putant, Sacramentum hoc post Ascensionem Christi in coelum institutum esse ab Apostolis ex speciali Spiritus S. revelatione. Sed haec sententia ex modo dictis refutatur, quia sic Christus non immediate hoc Sacramentum instituisset. Du-Hamel et Juenin contendunt, hoc Sacramentum institutum esse *Marc.* 6. *v.* 13. cum Apostoli a Christo acceperunt facultatem unguendi et sanandi infirmos. Verum Tridentinum loc. cit definit, hoc Sacramentum apud Marcum insinuatum esse: sed insinuatum dicitur, quod adumbratur tantum, non vero quod instituitur. Putat quidem Suavis in *hist Trident.* in priori decretorum delineatione Patres Tridentinos posuisse: *Apud Marcum institutum*, et postea modo hoc verbum permutasse: sed aperti mendacii arguitur a Pallavicino *l.* 12. *c.* 12. quia Iodocus Ravenstein, et Sigismundus Fedrius Theologi Tridentini, priusquam

hoc decretum formaretur, iam asseruerunt, apud S. Marcum tantum adumbratum, non vero institutum esse hoc Sacramentum. Deinde unctio illa *Marc.* 6. non erat Sacramentalis, tum quia erat sola gratia sanitatum: tum quia illo tempore Apostoli necdum erant Sacerdotes, a quibus solis hoc Sacramentum ministrari potest: tum quia baptizatos et non baptizatos Sacramenti non capaces promiscue ungebant. Alii volunt, Extremam Unctionem institutam esse in nocte Coenae, quando Christus Apostolos Sacerdotes ordinavit huius Sacramenti ministros. Sed nulla huius sententiae ratio afferri potest; nam Christus ordinando Apostolos Sacerdotes, Sacrificii quidem, non vero Extremae Unctionis mentionem fecit. Verosimilius ergo dicitur, quod Christus Extremam Unctionem post Resurrectionem suam instituerit, et quidem tunc, quando Apostolis dedit ligandi, atque solvendi potestatem: quia Extrema Unctio est quoddam Poenitentiae complementum; et Patres agentes de remissione peccatorum, recensita Confessione, laudant verba S. Iacobi, et aegrotorum unctionem. Non obstat I. Multi antiqui, Scotus, et S. Thomas, *Marc.* 6. Extremam Unctionem institutam putant. *Resp.* Loquuntur de ea adumbrata, non vero instituta. II. Illa unctio *Marc.* 6. erat instituta a Christo, habebat suam materiam, scilicet oleum, et formam seu orationem; et iuxta Catechismum Romanum *p.* 2. *c.* 6. sanabat animos, et corpora; ergo erat Sacramentum. *Resp.* Institutio Christi perpetuo mansura, et collatio gratiae vix probari possunt; et Catechismus Romanus aperte asserit, Unctionis Sacramentalis specimen quoddam exhibitum apud S. Marcum, scilicet symbolica quadam praesignatione.

CAP. III.

De materia Extremae Unctionis.

§ 1147. Materia remota Sacramenti Extremae Unctionis est oleum ab Episcopo benedictum. Nam *Iac.* 5 oleum expresse assignatur: *Ungentes eum oleo in nomine Domini*. Idem statuit Concilium Florentinum in Decreto: *Cuius materia est oleum olivae per Episcopum benedictum*. Et Tridentinum *Sess.* 14 *cap.* 1. *Quibus verbis, ut ex Apostolica Traditione per manus accepta, intellexit Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum*. Porro hoc oleum ab Episcopo rite benedici, patet ex praxi antiquissima Ecclesiae, utpote cuius benedictionis meminit Liber *Sacramentorum* S. Gregorii. Rituale Lirinense 700 et Rhemense 600 annorum; eius mentio fit in Vita S. Udalrici apud Mabillon saeculo quinto benedictino. Eamdem designant Graeci et Latini Scriptores, dum aiunt, ungendos aegros oleo *exorcizato*, per Episcopum confecto, Pontificali benedictione consecrato: quae vocabula passim occurrunt in Graecorum *Acoluthia*, in *Mystagogia* secunda S. Cyrilli, in *ep.* Innocentii I. *ad Dec.* in *Comment.* Ven. Bedae. Materia Extremae Unctionis.

Materia proxima Extremae Unctionis est ipsa unctio. Usus enim

Materiae remotae est materia proxima Sacramenti. Ergo unctio, quae est usus olei, est materia proxima Extremae Unctionis: unde *Iac* 5 dicitur: *Ungentes eum oleo.*

An benedictio olei sit de necessitate Sacramenti?

Schol. 1. Quaeritur in Scholis, an benedictio olei sit de necessitate et valore Sacramenti Extremae Unctionis. *Respondetur* contra Iuvenin, Natalem Alexandrum et recentiores Gallos, probabilius esse de necessitate et valore Sacramenti. I. Quia Florentinum et Tridentinum expresse dicunt, materiam huius Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum: quo modo loquendi non videntur intelligere solam necessitatem praecepti, quia materiam huius Sacramenti contra haereticos definiunt, et dicunt in recto, oleum ab Episcopo benedictum; cum e contra, quando necessitatem solius praecepti indicant, v. g. mixtionem aquae in calice, non dicunt, vinum aqua mixtum, sed cui modicissima aqua misceri debet: imo Tridentinum *Sess.* 22, *c.* 7 expresse ait, mixtionem aquae esse tantum praeceptum Ecclesiae; quod tamen de benedictione olei non dicit. II. Huius benedictionis semper meminerunt Antiqui: ergo videntur eam ad valorem requisivisse, maxime quia aliter loquuntur de materia Baptismi, et oleo; pro Baptismo enim frequenter assignant aquam, nulla facta mentione Benedictionis, quam tamen semper in oleo memorant. Dices I. In Sacramento Confirmationis consecratio Chrismatis non est de necessitate Sacramenti: ergo nec in Sacramento Extremae Unctionis benedictio olei. *Resp.* Quia iuxta multos unctio Chrismatis est tantum de necessitate praecepti, et iuxta nos (§ 966. Schol. 3.) unctio Chrismatis est quidem essentialis, sed una cum impositione manuum; hinc non videtur esse tanta necessitas Consecrationis Chrismatis, sicuti olei, quod solum est materia Extremae Unctionis. II. Graeci utuntur oleo non ab Episcopo, sed Presbytero benedicto: ergo cum haec benedictio in Ecclesia varia sit, non est de necessitate Sacramenti. *Resp.* Etiam iuxta nostram Sententiam benedictio non est necessario ab Episcopo facienda, uti mox probabitur, sed ex dispensatione Papae etiam a simplici Presbytero fieri potest; unde haec diversitas Graecorum et Latinorum substantiam Sacramenti non attingit.

An benedictio olei Presbytero committi possit?

Schol. 2. Quaeritur ulterius, an benedictio olei infirmorum ex dispensatione Papae simplici Sacerdoti committi possit. *Resp.* Affirmative: quia etiam Graeci Presbyteri oleum infirmorum benedicunt, teste Arcudio *l.* 5, *Concord.* et aliis apud Martene *l.* 1 *de ant. rit. c.* 7. Et Clemens VIII Constit. 34, ait: *Non sunt cogendi Presbyteri Graeci Olea Sancta praeter Chrisma ab Episcopis Latinis dioecesanis accipere, cum huiusmodi olea ab eis in ipsa oleorum et Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur.* Quod etiam confirmavit Benedictus XIV in Constit. *Etsi pastoralis*, anno 1742.

An unctio 5 sensuum sit de necessitate

Schol. 3. Ioannes Maior, Durandus etc. putant, unctionem quinque sensuum esse omnino de necessitate Sacramenti Extremae Unctionis. Verum probabilius est, quod ad veritatem Sacramenti unica unctio

sufficiat; nam S. Scriptura eodem modo loquitur de unctione infirmorum, quam de Baptismo Cathecumenorum. Sed ad Baptismum unica ablutio sufficit (§ 938). Ergo et unica unctio ad Sacramentum Extremae unctionis. Hinc Libri Rituales passim praescribunt, ut, si mors instet, vel morbus contagiosus exponat ministrum periculo vitae, una fiat unctio in capite, ubi vigent omnes sensus, si minus in alia parte corporis, et in forma omnes sensus externi simul exprimantur. Ex praecepto tamen Ecclesiae multiplex unctio est adhibenda pro ritu cuiusque dioecesis, maxime unctio quinque sensuum. Diversa enim iam olim circa partes corporis inungendas fuit disciplina. Iuxta Codicem Sacramentorum S. Eligii, Tillianum et Rhemensem, praeter oculos, aures, nares, os, manus, pedes ac renes, etiam collum, guttur et scapulae ungebantur. Antiquum Manuscriptum Ecclesiae Cameracensis, unctionem verticis, frontis, genarum, temporum ac pectoris commemorat. Complura Ritualia, uti Baianense, Abrincense, Constantiense unctionem umbilici praesertim in foeminis praescribunt. Codex Tillianus, Turonensis etc. illam corporis partem ungendam esse decernunt, quae acerbius dolet. Perantiquus *Sacramentorum* Liber S. Gregorio adscriptus apud Launoium *tom.* 1. unicam tantum unctionem capitis recenset. Apud Graecos Simeon Thessalonicensis *l. de Sacr.* refert, infirmorum oleo liniri frontem, faciem ac manus: Arcudius vero testatur, communius ungi frontem, mentum, genas ambas, pectus, manus, pedes. Copti nonnisi frontem inungere solent. Iuxta Rituale Romanum Sacerdotibus manus inunguntur exterius ex praxi antiquissima in Codice S. Remigii laudata, etc. cuius ratio est, quia Sacerdotes in vola consecrato oleo ab Episcopis sunt delibuti; hinc non convenit, ut ibi a simplici Sacerdote inungantur. Ita vet. Anonym. a Martene citatus *t.* 2. *de ant. rit.* In Decreto Eugenii IV. praescribitur: Infirmus ungendus est in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum et locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum; unctio renum pudoris causa hodie ex Conc. Mediolanensi IV. omittitur. Multae autem hac unctiones ad unicum Sacramentum constituendum referuntur. Dices I. S. Thomas *q.* 32. *in suppl.* ait: *Illa unctio ab omnibus observatur, quae fit ad quinque sensus, quasi de necessitate Sacramenti.* Et Florentinum has unctiones expresse praescribit. *Resp.* S. Thomas studiose dicit: *quasi de necessitate*, ubi ostendit, non esse de absoluta necessitate. Florentinum explicat solum partes, quae ordinarie de praecepto sunt inungendae. II. Sacramentum hoc institutum est ad tollendas reliquias peccatorum, quorum radix est in quinque corporis sensibus: ergo hi necessario sunt inungendi. *Resp.* Ex congruentia sunt inungendi, non vero ex necessitate Sacramenti; nam non opus est, omnem effectum Sacramenti per applicationem materiae designari. Sacramenti?

Coroll. Pract. 1° Oleum pro Extrema Unctione debet esse oleum olivarum, quod simpliciter dicitur oleum; alia enim olea ex nucibus Resolvuntur casus.

etc. solum cum addito sunt oleum: debetque esse benedictum ab Episcopo, vel alio habente ex dispensatione Papae facultatem. Et ex praecepto Ecclesiae debet hoc oleum eo anno esse benedictum, qui annus a die Iovis sancto usque ad diem Iovis sanctum alterius anni computatur; adeoque graviter peccatur, si extra casum necessitatis adhibeatur oleum antiquum, quo tamen in necessitate uti licet. Quod si Parochus per annum advertat, non sufficere oleum infirmorum usque ad tempus, quo recens benedictum accepturus est, et aliud ab Episcopo facile habere non possit; licet affundere in minori quantitate oleum non benedictum: *c. Cum in dubiis, de consecr. Eccl.* Rituali Rom. et declar. S. Congreg. an. 1682. 2° An Chrisma sit materia valida Extremae Unctionis, dubium est. In praxi, si ad manum non habeatur oleum infirmorum, non licet uti Chrismate, quia consuetudo universalis Ecclesiae repugnat. In casu tamen extremae necessitatis hoc licitum esse putat Leonardelli *tr.* 5. *c.* 1. dummodo ob reverentiam Sacramentum sub conditione administretur, quia aegrotus non est privandus hoc salutis remedio. Multo magis in hoc casu licet adhibere oleum pro infirmis benedictum, cui balsamum, vel alius liquor in tam modica quantitate admixtus est, ut in communi aestimatione censeatur adhuc esse oleum. Si autem Sacerdos infirmum unxit Chrismate, putat Layman, ob scandalum nil esse repetendum; alii autem censent, tunc saltem unctionem sub conditione esse repetendam, quando infirmus nec suscepit, nec suscipere potest aliud Sacramentum. 3° Ordinarie non una, sed plures unctiones fieri debent, iuxta consuetudinem dioecesis, scilicet in oculis, auribus, naribus, ore, manibus, et pedibus: unctio renum iuxta multa Ritualia omittitur. Unam autem unctionem omittere, est grave peccatum: Benedictus XIV. *de Syn. l.* 7. *c.* 18. 4° Si urgeat necessitas, et mora non patiatur, Sacerdos inungendo unum oculum, unam aurem etc. dicat: Per istas sanctas Unctiones indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum et tactum. Si periculum magis urgeat, et in morbis contagiosis, ut periculum evitetur, sufficit inungere organum sensus magis ad S. Unctionem expositum, dicendo: Per istam S. Unctionem et piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum et tactum. Ita Benedictus XIV. loco citato ex Pastorali Mechliniensi: vel iuxta Rituale Parisiense: Per istam S. Unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per sensus. 5° Unctio facienda est pollice manus dexterae Sacerdotis: tempore autem pestis fieri etiam posset mediante instrumento, v. g. virga oblonga S. Oleo tincta, et debet fieri in formam Crucis, saltem sub peccato veniali. 6° Si caecus a nativitate, vel carens manibus aut pedibus inungendus sit, unctio debet fieri in parte vicina; quia licet non potuerit talis peccare quoad effectum in illo sensu, potuit tamen peccare quoad affectum. Unctio autem debet incipi ab oculo dextro ad sinistrum, ab aure dextra ad sinistram iuxta

Rituale, sub veniali: et Presbyteri infirmi manus exterius inungi debet. 7° Sacerdos abrumpens unctionem, quia putat aegrotum sub ea mortuum, dum advertit, moribundum denuo dare signa vitae, si mora brevis intercesserit, sine repetitione addat reliquas unctiones ob moralem unionem: si longior mora intercesserit, v. g. quadrans horae, repetat unctiones iam factas. Si dum inungitur infirmus, moriatur, Sacerdos ultra non procedat: si dubitet, an adhuc vivat, unctionem prosequatur, sub conditione pronunciando formam, dicens saltem mente: *Si vivis*, et ore: *Per istam, etc.*

CAP. IV.

De forma Extremae Unctionis.

Forma Extremae Unctionis.

§ 1118. 1. In Sacramento Extremae Unctionis aliqua verborum forma est adhibenda. Nam 1° S. Iacobus expresse ait: *Orent super eum*. Et: *Oratio fidei salvabit infirmum*. 2° Patres non solum unctionem, sed et orationem inungentium Presbyterorum commemorant. Item Euchologia Graecorum et Latina Ritualia aegrotos ungendi ritum semper cum certa verborum pronunciatione describunt. Et Concilium Florentinum ac Tridentinum formam verbis expressam recensent.

2. Haec forma apud Latinos est deprecatoria, his verbis convenienter concepta: *Per istam Sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum deliquisti.* Quae tota forma repetitur in singulis unctionibus singulorum sensuum, mutato solo cuiuslibet sensus vocabulo, scilicet: *Quidquid per auditum: per odoratum: per gustum et locutionem: per tactum: per gressum deliquisti.* Nam 1° per illa verba: *Iac.* 5. *Orent super eum,* oratio et forma deprecativa designatur. Eamdem formam Florentinum in Decreto, Tridentinum, et Catechismus Romanus approbant. 2° Illa in Ecclesia Latina est antiquissima et universalis, uti patet ex Rituali Romano, Pontificali vetustissimo Laudunensi, Sacerdotali Romano, et omnibus modernis Ritualibus. Accedunt Euchologia Graecorum, quae praeter invocationem plurium Sanctorum, formam ita describunt: *Pater sancte, medice animarum et corporum, sana servum tuum hunc ab illa, quae eum detinet, corporis et animi infirmitate.* Denique Tridentinum *Sess.* 14. *can.* 3. definit: *Si quis dixerit, Extremae Unctionis ritum, et usum, quem observat S. Romana Ecclesia, repugnare sententiae B. Iacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni; anathema sit.*

An forma indicativa valeat?

Schol. 1. Cum Christus non determinaverit, quibus verbis forma Extremae Unctionis constare debeat, sed Ecclesiae hoc determinandum reliquerit; hinc quaeritur in Scholis, an forma constans verbis deprecatoriis sit de essentia huius Sacramenti, an vero forma indicativa, v. g. ungo te in remissionem peccatorum, etiam sit valida. Hanc controversiam non definivit Concilium Tridentinum, quod ita laudat

formam deprecatoriam, ut formam indicativam non declaraverit esse invalidam; cum enim libri Martene, Menardi et aliorum Theologorum utiliter legantur, qui pro valore formae indicativae pugnant; quis audeat dicere, contrarium esse definitum? Hinc P. Berti putat, sententiam stantem pro valore formae indicativae magna probabilitate defendi: tum quia forma indicativa olim in usu fuit: sic tempore S. Bonaventurae in Ecclesia Ambrosiana haec forma obtinebat: *Ungo te Oleo sanctificato, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S., ut more militis uncti praeparatus ad certamen, aereas possis superare potestates.* Similis forma legitur in Codice Tilliano, Rhemensi, Ratholdi, et in Ritnali Suessionensi, Catalaunensi, Ambianensi apud Martene *de ant. rit. l. 1. c. 7.* Arcudius etiam *l. 3. de Extr. Unct. c. 5.* laudat Sacramentarium Venetum a Leone X. approbatum, ubi haec forma legitur: *Ungo te Oleo sancto, ut hac unctione protectus, fortiter stare valeas adversus varias catervas, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.* Et B. Albertus M. *in 3. d. 23.* refert, se perlustrasse antiquissimos Germaniae Ritnales Libros, et in in illis invenisse formam Extremae Unctionis indicativam: tum quia discrimen inter formam deprecativam et indicativam est tantum accidentale; ergo indicativa erit valida. Dices I. S. Iacobus expresse requirit orationem. Et S. Thomas *d. 29. in suppl. a. 8.* ait: *In Sacramento non potest esse forma indicativi modi. Resp.* Etiam forma indicativa est oratio, adeoque accidentaliter a deprecativa differt. S. Thomas non expressit, an forma deprecativa sit de necessitate Sacramenti. II. Hoc Sacramentum confertur moribundis propriis viribus destitutis, adeoque alienis orationibus adiuvandis. *Resp.* Haec ratio congruentiae salvatur etiam in forma indicativa, per quam Deus etiam rogatur.

Forma Graecorum est valida.

Schol. 2. Forma Graecorum: *Pater sancte, animarum et corporum medice, sana servum tuum hunc ab illa, quae ipsum detinet, corporis et animi infirmitate*, est valida: tum quia Benedictus XIV in Const. *Etsi Pastoralis*, eam non reprobat: tum quia Graeci, etsi actum unctionis non exprimant in pronunciatione formae: illum tamen innuunt in Tropariis S. Unctioni praemissis; ubi orant: *Ita fac, ut nos quoque ministri simus novi Testamenti tui super oleum istud.*

Resolvuntur casus.

Coroll. Pract. 1° Forma Extremae Unctionis non est ordinarie tota pronuncianda, antequam uterque oculus, utraque manus, etc. sit iuncta, sed unctio cum verbis finiatur. Sufficit autem inungere palpebras, labia etc. 2° Verba illa: *Per istam Unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum*, et expressio sensuum sunt de necessitate Sacramenti. Ast ly *sanctam*: et ly *suam piissimam misericordiam*, sunt de necessitate gravis praecepti. 3° Forma indicativa est illicita; et quia tutius in Sacramentis sequendum, Sacramentum cum ea collatum sub conditione iterari posset, et deberet.

CAP. V.

De Ministro Extremae Unctionis.

§ 1119. Minister Sacramenti extremae Unctionis est solus Sacerdos. Quippe *Iac.* 5 dicitur: *Inducat Presbyteros Ecclesiae.* Quod autem nomine Presbyterorum Sacerdotes intelligantur, patet tum ex eo, quia, ubi in S. Scriptura de ministeriis Ecclesiae agitur, Presbyteri nomen pro Sacerdotibus usurpatur, *Act.* 14, *v.* 22, *ad Tit.* 1, *v.* 14 tum quia dicitur: *Presbyteros Ecclesiae*, id est, qui regunt Ecclesiam: tum quia requiruntur Presbyteri, ut orent super infirmum, eum ungant, ut per eorum ministerium tribuatur animi levamen, et peccatorum remissio; ad quae omnia impertinens est aetas senilis, quam perperam per Presbyteros adversarii intelligunt, contra communem Ecclesiae Traditionem: quos proinde iuste perstringit Tridentinum *Sess.* 14. *can.* 4. *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiae, quos B. Iacobus adducendos esse ad infirmum iniungendum hortatur, non esse Sacerdotes, ab Episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremae Unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem; anathema sit.* 2° Hoc Sacramentum est Poenitentiae consummativum: ergo sicuti ad Sacerdotes Poenitentiae, ita Extremae Unctionis administratio spectat. Minister Extremae Unctionis.

Schol. Protestantes docent, nomine Presbyterorum a S. Iacobo seniores aetate, vel Primates et Magistratus communitatis intelligi. I. Quia Presbyter provectiorem aetate significat. Et Innocentius I. ait in *ep. ad Decent.* oleo ab Episcopo benedicto omnes Christianos uti posse in sua, aut suorum necessitate iniungendo. Et Ven. Beda *in ep. S. Iacobi* ait: *Monet infirmos, ut seniorum adiutorio se curari meminerint, neque ad iuniores. minusque doctos causam suae imbecillitatis deferant. Resp.* Presbyter in sensu grammaticali Seniorem significat; in sensu Scripturistico, Sacerdotem. Innocentius permittit cuilibet Christiano, in necessitate se et alios inungere Oleo benedicto, pio devotionis affectu erga rem sacram cum spe medelam consequendi, sicuti fideles utuntur aqua benedicta; ita tamen, ut nullum conficiat Sacramentum. Ven. Beda non tantum agit de Extrema Unctione, sed etiam de Sacramento Poenitentiae; et vult, ut poenitens docto Sacerdoti peccata sua confiteatur. II. Launoius probat, olim etiam Diaconis administrationem huius Sacramenti commissam fuisse, ex S. Cypriano *ep.* 12 Concilio Eliberitano *can* 32. vet. Pontificali Rom. et Alcuino. *Resp.* Omnia illa exempla a Launoio relata non sunt de Extrema Unctione, sed de reconciliatione poenitentium non Sacramentali (§ 970 Schol.). Solvuntur objectiones.

Art. cx. *De numero Sacerdotum ad Extr. Unctionem requisito.*

§ 1120 Ad administrandum Sacramentum Extremae Unctionis absolute unus Sacerdos sufficit. 1° Enim necessitas plurium Sacerdotum non colligitur ex S. Scriptura; nam S. Iacobus Presbyteros in Unus Sacerdos sufficit.

plurali per analogen, singularem intelligendo posuit, more S. Scripturae usitato; uti *Matt.* 2. *v.* 20. ***Defuncti sunt, qui quaerebant animam pueri***: quod de solo Herode Glassius Lutheranus exponit: imo licet plures Presbyteros S. Iacobus intellexerit, non tamen asserit, eam pluralitatem esse de necessitate Sacramenti, sed unus ex Presbyteris sufficit. 2° Constat ex Traditione. Innocentius I. *ep. ad Decent.* Docet, Episcopum posse esse Ministrum huius Sacramenti; qui tamen nonnisi unus est in sua dioecesi. Item ab uno Sacerdote inungendos esse infirmos praescribunt Canones collecti ab Africo, et Decreta pro Ordine Benedictino saeculo XI collecta a Lanfranco *c.* 23. Idem probant vetustissima Ritualia, Codex Dominicanorum Parisiensium, Baptismale Ecclesiae Viennensis, Manuale Laudunense etc. Vid. Martene *de ant. rit.* 3° Accedunt definitiones Summorum Pontificium. Alexander III. c. *Quaesivit, de verb. signif.* ait: ***Sacerdos, uno praesente Clerico, et etiam solus, potest infirmum ungere.*** Et Benedictus XIV. Const. *Etsi Pastoralis, de rit. Graec.* ait: ***Nec refert, utrum eadem Exrema Unctio per unum, vel plures Presbyteros fiat, ubi huiusmodi viget consuetudo, dummodo credant, et asserant, illud Sacramentum servata debita materia et forma ab uno Presbytero valide et licite confici.***

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Si unus Sacerdos inchoatas unctiones ob subitam infirmitatem absolvere non possit, alter reliquas nil repetendo complere debet. 2° Sacerdos, ut debite Extremam Unctionem administret, debet esse indutus Superpelliceo et Stola sub gravi peccato: deinde recitandae sunt preces in Rituali praescriptae. Et quidem Psalmi Poenitentiales non sunt de praecepto: aliae vero orationes: ***Adiutorium etc.*** usque ad primam unctionem absque casu necessitatis urgentis mortis sine peccato gravi omitti non possunt. Paretur etiam apud infirmum mensa, mappa candida cooperta, et vas, in quo sit bombaceum, aut quid simile in septem globulos distinctum ad abstergendas partes iniunctas, medulla panis cum sale, et aqua ad abluendas manus Sacerdotis, candela cerea, quae ungenti Sacerdoti lumen praebeat: opera autem detur, ut quanta fieri potest munditia hoc Sacramentum ministretur: adsit etiam aqua benedicta ad benedicendum cubiculum, et infirmum, et Imago Crucifixi. Bombaceum cum pane post usum comburi debet. 3° Solus Parochus, et qui delegatam ab eo curam habet, licite hoc Sacramentum administrat, quia est actus pastoralis; et si quis sine eius licentia administret, peccat graviter, et si sit Religiosus. Excommunicationem Papae reservatam ipso facto incurrit, *Clem.* 1. *de priv.* excepto casu extremae necessitatis. 4° Regulares deputati a suis Superioribus ad hoc Sacramentum administrandum aegrotantibus in Monasterio, illud dare possunt servientibus toti Monasterio, si habitent continuo intra septa Monasterii, vel si morbo lethali in Monasterio corripiantur, licet alias soliti sint pernoctare in propria domo. Idem dicendum de aliis, qui amicitiae, sacrorum exercitiorum, vel alterius negotii causa subitaneo morbo in Mo-

nasterio corripiuntur. Item Regulares praesidentes Seminariis vel Collegiis studentium, convictoribus et famulis suis hoc Sacramentum administrare possunt, si Regulares ipsi hoc Seminarium erexerint, vel ut domini illud possideant; secus, si ipsi Regulares sint convictores, vel famulantes convictoribus. Necessitas autem sufficiens, ut Regularis hoc Sacramentum administrare possit, est, si Parochus sit absens, aut irrationabiliter deneget; quia tunc sufficit tacitus consensus Papae vel Episcopi. 5° Parochus ex iustitia sub gravi peccato tenetur per se, vel per alium subditis suis graviter aegrotantibus hoc Sacramentum ministrare: imo etiam tempore pestis, si aegrotus non possit confiteri cum periculo vitae, ut eo mediante, si habeat forte solam Attritionem, salvetur: secus foret, si paullo ante confessus fuerit, et suspicio alicuius mortalis non subsit. 6° Si unus ungat, et alter formam in Extrema Unctione proferat, Sacramentum est invalidum. Plures autem ministri esse possunt in Extrema Unctione, ita ut unus hunc sensum cum prolatione formae iniungat, alius alterum sensum cum prolatione formae: hoc tamen non licet, excepto si infirmus antea moriturus credatur, quam unus omnes unctiones perficiat.

CAP. VI.

De subiecto Extremae Unctionis.

§ 1121. Solus baptizatus, qui rationis usum adeptus est, et ex morbo vita periclitatur, est subiectum capax Extremae Unctionis. Quantum ad Baptismum requisitum, patet ex eo, quia Baptismus est ianua omnium Sacramentorum. Quantum ad rationis usum requisitum, constat ex perpetua praxi Ecclesiae; nam, uti ostendit P. Martene *l. de ant. rit. c.* 7. nunquam hoc Sacramentum infantibus administratum fuit. Et licet Nicolaus Cusanus *ep. ad Bohem.* ac Maldonatus *de Sacr. t.* 2. dicant, olim infantes infirmorum oleo unctos fuisse, eos tamen sine fundamento locutos fuisse, ait Cornelius a Lap. *in ep. S. Iac.* et intelligi possunt de unctione sine forma Sacramentali. Deinde hoc Sacramentum primario institutum est ad remissionem peccatorum. Sed usu rationis destituti non habent peccata. Ergo nec egent hoc Sacramento. Denique vita periclitantes huius Sacramenti solum esse capaces, patet ex cit. Ep. S. Iac. *Infirmatur quis in vobis?* Florentino, quod in *Instruct. Armen.* ait: *Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet.* Tridentino, quod *Sess.* 14, *c.* 3. hanc unctionem infirmis esse adhibendam ait. Innocentius I. *ep. ad Decent.* docet, verba S. Iacobi intelligi debere de fidelibus aegrotantibus. Conc. Aquisgranense anno 836. statuit, fideles iniungendos, cum infirmitate depressi fuerint: quibus accedunt Libri Rituales, inter quos Rituale Rom. ita habet: *Debet hoc Sacramentum infirmis praeberi.* Item forma Graecorum: *Pater Sancte etc.* (§ 1118. Schol. 2.) insinuat, hoc Sacra-

Subiectum Extremae Unctionis.

mentum solis infirmis administratum esse. Et ad confirmandam hanc Graecorum doctrinam Arcudius *Conc. p.* 383. plura eorum testimonia congerit. Emmanuel Calecas ait, illud infirmitate decumbentibus adhiberi. Nathanael in ultima hominis hora concedi. Hinc Benedictus XIV. in Const. *Etsi Pastoralis: Infirmis vero iuxta verbum Apostoli Iacobi Unctio exhibeatur Extrema.*

An soli infirmi sint subiectum capax Extremae Unctionis?

Schol. 1. Baptizatos et rationis compotes esse subiectum capax Extremae Unctionis, est de fide: quod vero soli infirmi sint subiectum capax, iuxta Benedictum XIV. *de Syn. l.* 7. *c.* 20. non quidem clare et expresse in Conciliis definitum est; ex eorum tamen definitionibus legitime infertur. Unde Graecorum mos, sanos inungentium, gravis erroris insimulatur, et damnatur a Theophilo Raynaudo *de heterodox. Sect.* 1. *puncto* 12. maxime quia communis Theologorum consensus efficax est argumentum ad Catholicum dogma stabiliendum.

Solvuntur obiectiones.

Schol. 2. Graeci igitur sanos etiam et valentes solent Oleo sacro inungere in remissionem peccatorum, uti liquet ex eorum *Euchologio*, et Ieremia Patriarcha Constantinop. in sua *Censura contra Augustan. Confess.* Hinc Episcopus, postquam Fer. V. Maioris Hebdomadae S. Oleum consecravit, non iubet illud asservari pro infirmis, sed totum statim insumit, omnes astantes inungendo, uti testatur Goarius in *not. ad Euchol.* Et Magnus OEconomus Cretensis apud Arcudium *l.* 5. *c.* 4. narrat, Graecos Sacerdotes loco satisfactionis Sacramentalis solere subinde non exigua mercede accepta poenitentes S. Oleo inungere, ut hoc pacto a peccatorum reliquiis, poenisque pro iis subeundis absolvantur: quem abusum Arcudius acriter reprehendit, et damnat. Graeci ergo censent, etiam sanos esse capaces Sacramenti Extremae Unctionis: quibus ex Catholicis accesserunt Iuenin *diss.* 7. *q.* 7. et Saintebeuve *de Extr. Unct.* I. Quia de more inungendi sanos Graecis nulla lis fuit intentata in Concilio Florentino, quod non dicit, hoc Sacramentum infirmis tantum dari posse, sed solum ait: *Nisi infirmo dari non debet:* et Tridentinum statuit quidem, infirmis illud esse exhibendum, sed non solis infirmis. Et S. Iacobus memorando infirmos, sanos non excludit. *Resp.* Florentinum persuasum habuit, unctionem sanis a Graecis non adhiberi ut Sacramentum, sed ut meram caeremoniam, et Sacramentalem quamdam benedictionem; alias certe ad rationem reddendam vocati et correcti fuissent, uti Goarius contra Arcudium observat. Verbum *non debet* in decretis dogmaticis, in quibus Sacramentorum doctrina ab Ecclesia explicatur, ut plurimum denotat necessitatem non solum praecepti, sed Sacramenti. Idem voluit Tridentinum; integram enim huius Sacramenti credendam et tenendam doctrinam nobis non tradidisset; quod tamen in fine illius capitis se fecisse testatur, si etiam non infirmis illud administrari posset. Cumque communis Theologorum verba S. Iacobi ita interpretetur, ut solum infirmum subiectum capax huius Sacramenti esse doceat, efficax est argumentum ad Catho-

licum dogma stabiliendum, uti docet Canus *de loc. Theol.* II. Variae historiae a Martene *l.* 1. *c.* 7. *de ant. rit.* allatae probant, etiam sanos olim hoc Sacramentum suscepisse. Sic Odilia a Richardo Abbate de futura altera die morte praemonita; licet corpore sana, liquore S. Olei iniuncta fuit, teste Hugone Flaviniac. in *Chron. Virdun.* Monachus quidam apud Mabillon *saec. VI. Benedict. part.* 2. monitus de instanti obitu, cum licentia Abbatis S. Oleo inunctus, sanus et incolumis altera die obiit. S. Hedwigis, teste Scriptore Vitae eius, prinsquam aegrotare coeperit, voluit Extremae Unctionis Sacramento muniri. *Resp.* Historiae hae sunt quid extraordinarium ex speciali S. Spiritus afflatu, quae in exemplum ordinarium trahi non possunt. Deinde prudenter credere possumus in praedictis rerum circumstantiis, eos, qui sunt divinitus admoniti de morte instante, iam tunc coepisse lethali morbo interius laborare, quo cito perducerentur ad mortem, licet exterius sani viderentur.

Art. 1. *De tempore, quo Extrema Unctio conferri debet.*

§ 1122. Extrema Unctio iuxta mentem Ecclesiae impertienda est infirmis cum vitae periculo decumbentibus, et non expectanda est extrema vitae periodus. Ita statuit Florentinum in Decreto: *Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet.* Et Tridentinum ait: ***Declaratur etiam, esse hanc Unctionem infirmis adhibendam; illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti esse videantur.*** Ubi particula *praesertim* innuit, aliis etiam infirmis, qui nondum sunt in exitu, adhiberi posse. Concilium Mediolanense I. statuit: *Extremae Unctionis Sacramentum curet Parochus, ut aegroto, dum integris est sensibus, adhibeatur* Catechismus Rom. *p.* 2. ait, *eos gravissime peccare, qui illud tempus aegroti unguendi observare solent, cum iam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat.* Dein unus ex effectibus Extremae Unctionis est sanitas corporis. Ergo non solis iam iam morituris conferri debet.

Extrema Unctio ad extremam vitae periodum non est differenda.

Schol. Simeon Thessalonicensis Graecus Schismaticus *l. de Sacr.* criminatur, Latinos docere, Extremam Unctionem conferri non debere, nisi mox discessuris, et omni sensu destitutis. Similem calumniam Lutherus *l. de capt. Bab.* Catholicis impingit. Et Calvinus *l.* 4. *Inst. c.* 19. ait: ***Iacobus omnes infirmos vult inungi: isti non infirmos, sed semimortua cadavera sua pinguedine inficiunt, cum iam iam anima in primoribus labris laborat, vel, ut ipsi loquuntur, in extremis.*** Hae calumniae ex dictis refutantur.

Calumniae Haereticorum

Coroll. Pract. 1° Extrema Unctio non est ministranda infantibus, et perpetuo amentibus: si autem aliquando usum rationis habuerint, et peccare potuerint, et antequam insanirent Sacramentum hoc saltem interpretative petierint, scilicet, si christiane vixerint, et salutis suae memores fuerint, quod praesumendum est, nisi contrarium constet; hoc Sacramentum illis conferendum est. 2° Pueris rationis

Resolvuntur casus.

usum habentibus, et doli capacibus, si in gravem morbum incidant, Extrema Unctio danda est; ubi ordinarie aetas septem annorum, vel si malitia aetatem supplcat, minor actas sufficit, dummodo Sacramenti Poenitentiae capaces sint, etsi necdum communicaveriut. 3° Puerperis ob commune periculum ex partu non confertur S. Unctio: ungenda tamen est puerpera, quando foetus violenter est extrahendus, vel si proxima sit partui, iu quo eius mors ob speciales morbi concurrentis circumstantias timetur. 4° Senibus, qui notabiliter deficiunt, et in mortis periculo etiam ob solam senectutem constituti prudenter iudicantur, non est negandum hoc Sacramentum; quia senectus ipsa est morbus. 5° Omnibus in periculo mortis constitutis non est dandum hoc Sacramentum, nisi periculum ex morbo oriatur: unde non datur periculose navigantibus seu navigaturis, nec praeliaturis, nec reis ad mortem condemnatis, nisi forte talis reus iu die executionis gravissimo morbo obruatur, vel fractis ossibus rotae implexus per plures dies vivat, quia talis re vera gravissime est infirmus; ubi sine irreverentia etiam in loco supplicii inungi poterit. 6° Hoc Sacramentum nec statim infirmis est conferendum, si periculum mortis non adsit: nec nimis sero expectandum, donec aeger omnibus sensibus sit destitutus, ita ut sine fructu et devotione illud percipiat; sed tunc conferendum est, quando prudenter periculum mortis adesse iudicatur. 7° Falsum est, actum esse de illius vita, qui hoc Sacramentum suscipit; imo sanitas virtute huius Sacramenti obtineri potest. Falsum etiam est, inunctos hoc Sacramento non posse testamentum facere, nudis pedibus incedere, non saltare, etc. de quibus omnibus rudes monendi sunt.

Art. 2. *De dispositionibus ad eam rite suscipiendam.*

Dispositio ad Extremam Unctionem requisita.

§ 1123. Ad suscipiendum licite Sacramentum Extremae Unctionis requiritur status gratiae; unde convenienter post susceptum Sacramentum Poenitentiae, et SS. Eucharistiae administratur. Nam hoc Sacramentum est vivorum, adeoque statum gratiae supponit. Et licet olim ante S. Viaticum susceptum administratum fuerit, uti pluribus exemplis demonstrat Launoius *t.* 1. *pag.* 608. non tamen fuit hic mos universalis, uti Martene *de ant. rit. l.* 1. *c.* 7. ostendit; et consuetudo ministrandi Extremam Unctionem post susceptum Viaticum adeo invaluit, ut Catechismus Conc. Trident. S. Carolus Borromaeus, et multa Ritualia Extremam Unctionem post dandam praescripserint. Unde Benedictus XIV. *de Syn.* licet non putet, hoc esse sub peccato mortali praeceptum, ait tamen, tutius et utilius esse, Ecclesiae Romanae ritui se accomodare.

Resolvuntur casus.

Coroll. Pract. 1° In homine iusto sufficit voluntas vel actualis, vel virtualis suscipiendi hoc Sacramentum; imo videtur sufficere interpretativa, vel generalis illa voluntas, qua quivis poenitens vult uti omnibus remediis ad salutem necessariis, vel utilibus. Unde ex praxi Ecclesiae confertur hoc Sacramentum subito morbo oppressis, et

sensibus destitutis. 2° Homo peccati mortalis sibi conscius tenetur, si possit, praemittere Confessionem, vel si nequeat, perfectam Contritionem de peccatis; licet P. Suarez putet, per accidens sufficere Attritionem, si invincibiliter putetur contritio, vel si invincibiliter putetur, Attritionem sufficere, vel si Extrema Unctio detur ei, qui iam est destitutus sensibus, et ante amentiam Attritionem elicuit, quam non revocavit; quia sic hoc Sacramentum de attrito faceret contritum. 3° Si Sacerdos privata scientia sciat, sensibus subito destitutum, paullo ante mortale commisisse, vel esse excommunicatum; si peccatum et annexa excommunicatio sit occulta, ordinarie moribundo administrari debet Extrema Unctio, praemissa ad cautelam Absolutione a censuris, quia talis ita se habet, ac si Sacramenta exeuntium peteret publice (§ 925. Coroll.). Si vero negatio Sacramenti, et causa negandi, occulta manerent sine diffamatione, tenetur quis ab administratione huius Sacramenti abstinere. Quod si notorium sit, ante infirmitatem infirmum mortaliter peccasse, aut excommunicatum fuisse, hoc Sacramentum non meretur, nisi aliquibus coniecturis, vel saltem unius hominis testimonio probetur absolutum fuisse, vel poenitentiae signa dedisse.

Art. 3. *De iteratione Extremae Unctionis.*

§ 1124. Sacramentum Extremae Unctionis iterari potest, quotiescumque fidelis in novum morbum incidit, vel in diversum vitae discrimen adducitur. Ita docet 1° Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 3. ***Quod si infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum Sacramenti huius subsidio iuvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint.*** Cuius rationem dat S. Thomas *l.* 4. *contr. gent. c.* 73. ***Quia huius Sacramenti Unctio ordinatur ad sanandum: medicina autem sanativa toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur.*** 2° Idem probat continua Traditio, et praxis Ecclesiae, uti patet ex Statutis Synodalibus Danielis Nannetensis, Stephani Parisiensis, Manuali Lugdunensi, Cameracensi, Viennensi etc. apud Launoium *t.* 1. *pag.* 552. **Extrema Unctio iterari potest.**

Schol. Labente saeculo 11^mo^ nonnulli illicitum esse putabant, fidelem S. Oleo semel inunctum, unquam deinceps eodem liniri. Et Ciacconius et Ughellus referunt in Vita Pii II. disputatum fuisse, an huic Pontifici graviter aegrotanti administrari possit Extrema Unctio, eo quod plures ante annos eam peste laborans Basileae recepisset. Quam tamen narrationem Benedictus XIV. *l. de Syn.* inter fabulas amandat, quia nec Ioannes Campanus, nec Cardinalis Papiensis minutissima de Pio II. in eius Vita referentes, huius rei meminerunt. Monachi Hirsaugienses, referente Auctore *vet. discipl. mon. in praef.* putabant, Extremam Unctionem tunc solum iterari posse, si a die Unctionis tres anni elapsi fuerint. Denique nonnulli apud Durandum *l.* 1. *rat. Div. off. c.* 8. censuerunt, intra eiusdem anni spatium S. Unctionem repeti non posse. I. Quia publica Poenitentia etiam **Solvuntur obiectiones.**

tantum semel imponebatur: ergo et Extrema Unctio, quae est publica Poenitentia exeuntium. *Resp.* Quod publica Poenitentia non iteraretur, res merae disciplinae fuit, cuius modum Ecclesia pro libitu determinare potuit. Circa Extremam Unctionem vero nihil sancire potuit, cum ex Christi instituto iterari possit. II. Confirmatio non est iterabilis: ergo nec Extrema Unctio, quae etiam Unctione peragitur. *Resp.* Confirmatio imprimit Characterem, non vero Extrema Unctio, quae est ad sanandum, non ad consecrandum; adeoque toties repetenda, quoties morbus recurrit.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Extrema Unctio pluries in diversis infirmitatibus ab eodem infirmo rite suscipi potest; in eadem autem infirmitate non est iteranda, nisi forte infirmitas remissa iterum ingravescat, et novum vitae periculum succedat. 2° Parochi non sint in hoc scrupulosi; sed si dubitent, an re vera status morbi sit immutatus, vel an nunc idem, an diversum adsit vitae periculum, ad Sacramenti iterationem propendeant; quia haec iteratio conformior est veteri Ecclesiae consuetudini, et per eam novum spirituale subsidium infirmo provenit. Ita Benedictus XIV *de Synod. l.* 7, *c.* 23. 3° Dum idem status morbi, etsi diu, durat, hoc Sacramentum non est repetendum; secus, si uno periculo remoto, diversus morbi status incidat; tunc enim infirmus iterum ungi potest, licet non longum temporis intervallum, sed paucarum hebdomadarum intercesserit, dummodo prudenter diversa pericula esse censeantur.

CAP. VII.

De effectibus Extremae Unctionis.

Effectus Extremae Unctionis. Alleviatio, et Abstersio reliquiarum peccati. § 1125. Effectus Sacramenti Extremae Unctionis sunt: Primo Alleviatio animae per abstersionem reliquiarum peccati, qui est effectus eius primarius. Nam Patres hoc Sacramentum vocant Poenitentiae perfectivum, et uti loquitur Tridentinum in *proem. de Extr. Unct.* consummativum: sed Poenitentiam non potest perficere, nisi quatenus reliquias peccati abstergit, et animam adversus infirmitatem ex peccatis relictam confirmat, ac roborat. Ergo Sacramentum Extremae Unctionis est revera primario institutum ad alleviandam animam, et abstergendas peccati reliquias.

Quid Alleviatio, et Reliquiae peccati. *Schol. Alleviatio* animae infirmi facit, ut confirmetur, magnam Misericordiae Divinae fiduciam excitando, qua et incommoda morbi levius ferat, et in spem melioris vitae quadam interna consolatione perfusus erigatur, et diaboli calcaneo insidiantis tentationibus facilius resistat. Nomine vero *Reliquiarum peccati* intelliguntur pravae dispositiones ad peccatum, animi torpor, debilitas ex peccato proveniens, qua fit, ut homo non sit ita promptus ad intuenda et meditanda coelestia. Hae autem reliquiae non omnino absterguntur, sed hoc efficit gratia Sacramenti, ut debilitatae, ac depressae aegrotum minus impediant illarum rerum cogitatione, quae ad eius salutem pertinent.

2dus. Remissio peccatorum.

§ 1126. Alter effectus secundarius est remissio peccatorum: ***Iac. 5. Si in peccatis sit, remittentur ei.*** **Cum vero Extrema Unctio sit** Sacramentum vivorum, supponatque animam a morte peccati suscitatam, et curatione duntaxat indigere, patet, illud non esse primario institutum ad delendam peccatorum maculam: ergo solum est effectus secundarius. Deinde Sacramentum Poenitentiae est necessarium necessitate medii lapsis post Baptismum (§ 1112). Sed non esset ita necessarium, si Extrema Unctio ad delenda peccata primario foret instituta. Ergo non est primario ad hoc instituta.

An Sacramentum Extremae Unctionis per se peccata remittat?

Schol. Quaeritur, an Sacramentum Extremae Unctionis per se et directe, et non solummodo per accidens (§ 908, Schol. 2). peccata remittat, licet solummodo secundario. Respondetur, Extremam Unctionem per se licet secundario remittere peccata tam mortalia, quam venialia: tum quia S. Iacobus ait: *Si in peccatis sit, remittentur ei.* Haec verba non possunt restringi ad peccatorum reliquias et peccata venialia; quia de his non diceret Apostolus: *Si in peccatis sit*, cum certum sit, infirmum habere semper eiusmodi reliquias, et habere venialia: ergo conditio haec cadit in peccata mortalia; tum quia forma Sacramenti Extremae Unctionis: *Indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti*, significat remissionem quorumcumque peccatorum: ergo illa per se remittit saltem secundario, licet his, qui sibi peccati mortalis est conscius, teneatur clavibus Ecclesiae se subiicere, aut si non possit, saltem conari, quantum in se est, ad perfectam Contritionem cum voto Sacramentalis Confessionis: tum denique, quia S. Thomas *l. 4, contr. Gent. c. 73,* ait: *Contingit, quod homo omnium peccatorum, quae commisit, notitiam vel memoriam non habet, ut possit per poenitentiam singula expurgare; sicut etiam quotidiana peccata, sine quibus praesens vita non agitur, a quibus oportet, hominem in suo exitu per hoc Sacramentum emundari.* Et S. Carolus Borromaeus in *Instruct. de Extr. Unct. Prima utilitas, et effectus huius Sacramenti est, quod peccati reliquias tollit, tamquam complementum Sacramenti Poenitentiae. Quae reliquiae peccata esse intelliguntur sive mortalia, sive venialia, quae post alia Sacramenta remanent; potest enim fieri, ut ignorante eo, qui commisit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat, in quo delendo ita hoc Sacramento iuvatur, ut fieri possit, eum per hoc Sacramentum salvari, qui alioquin fuisset damnandus.* Dices I. Duo tantum sunt Sacramenta mortuorum, Baptismus et Poenitentia; Extrema Unctio vero est Sacramentum vivorum: ergo per se peccata non remittit. *Resp.* Ex hoc solum sequitur, quod per se primario non conferat remissionem; non vero, quod non conferat per se secundario. II. Hoc Sacramentum institutum est per modum curationis, quae vitam in subiecto supponit. *Resp.* Institutum est per modum curationis, secundario vero etiam ad vitam restituendam in casu, quando quis grave habet peccatum, et hoc ignorat, vel sciens, confiteri non potest, si conetur quantum potest, Contritionem elicere cum voto Sacramentalis Confessionis.

3tius effectus est Sanitas corporis.

§ 1127. Tertius effectus secundarius Extremae Unctionis est Sanitas corporis, ex hypothesi, quod animae saluti expediat. Probatur 1° *Iac.* 5. *Oratio fidei salvabit infirmum.* Quae verba Hugo Victorinus, Magister Sententiarum, S. Thomas et alii Theologi communiter intelligunt de sanitate corporis; quia alias verba non cohaererent cum praecedentibus: *Infirmatur quis in vobis?* 2° Ex Traditione; nam in ritu administrandae Extremae Unctionis habebantur semper preces pro sanitate corporea infirmi: uti patet ex *Sacramentario* S. Gregorii: ex Conc. Cabillonensi II. *can.* 48. ex Decreto Eugenii IV. *Effectus est mentis sanatio; in quantum autem expedit, etiam corporis.* Et Tridentino: *Sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit*, aegrotus *consequitur.* 3° Hic effectus est tantum secundarius, quia Sacramenta per se primario instituta sunt ad animae sanctificationem, uti patet ex eorum definitione. 4° Extrema Unctio conditionate tantum corporis sanitatem restituit, si animae saluti expedierit, quia operans, ait S. Thomas *in* 4. *d.* 23 *q.* 1. *a.* 2. *nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem: ideo ex hoc Sacramento non sequitur corporalis sanatio semper; sed quando expedit ad spiritualem sanationem, tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.*

An ex opere operato consetur sanitas corporis?

Schol. Quoties virtute Extremae Unctionis recuperatur sanitas corporalis, toties ex opere operato producitur. Nec tamen ex hoc sequitur, eam semper ab hoc Sacramento produci; cum enim hic effectus sit conditionatus et secundarius, non requiritur, ut semper ex Sacramento sequatur, sed sufficit, quod quando ponitur, ex opere operato ponatur. Licet enim subinde sanitas per remedia naturalia obtineatur, non ideo deprimenda est virtus Sacramenti, quae remedia naturalia adiuvat, et ad felicem exitum perducit. Quare in hoc Sacramento res tantum est gratia: Sacramentum tantum, Unctio cum forma: res et Sacramentum simul, spiritualis animi hilaritas per modum unctionis spiritualis causata.

CAP. VIII.

De necessitate Extremae Unctionis.

An Extrema Unctio sit necessaria?

§ 1128. Sacramentum Extremae Unctionis non est per se necessarium sub gravi praecepto Divino aut Ecclesiastico. Nam 1° Innocentius I. *ep. ad Decent.* ait: *Fideles aegroti S. Oleo perungi possunt, et omnibus Christianis uti licet.* Quae verba praeceptum non indicant. Et Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 3. ait: *Nec vero tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, et ipsius Spiritus S. iniuria esse posset.* Ubi damnantur contemnentes, non vero non suscipientes. Et *can.* 1. ait, hoc Sacramentum fuisse per S. Jacobum fidelibus *commendatum, et promulgatum*, non vero mandatum, 2°. Ita docet S. Thomas 3° *p. q.* 65. *art.* 4.

Solvuntur

Schol. D. Tournely et Habert docent, Extremam Unctionem esse

necessariam necessitate praecepti Divini et Ecclesiastici. I. Quia S. Jacobus dicit: *Inducat Presbyteros Ecclesiae*, quod praeceptum indicat. Et Tridentinum damnat eos, qui dicunt, hoc Sacramentum nec mandatum Dei, nec promissionem gratiae habere. *Resp.* Eatenus hoc Sacramentum mandatum Dei habet, quatenus a Christo institutum, et petentibus administrandum est. II. Concilium Cabillonense ait: *Secundum B. Iacobi Apostoli documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi oleo, quod ab Episcopo benedicitur, a Presbyteris ungi debent.* Et Concilium Coloniense sepultura Ecclesiastica illos privat, qui hoc Sacramentum aut respuerint, aut contempserint. *Resp.* Concilium Cabillonense loquitur de Presbyteris, qui tenentur hoc Sacramentum petentibus ministrare. Coloniense vero punit eos, qui ex contemptu hoc Sacramentum respuunt. Obiectiones.

Coroll. Pract. 1° Graviter peccat; qui hoc Sacramentum suscipere omittit ex contemptu, illud parvifaciens. 2° Graviter etiam peccat, qui ex omissione huius Sacramenti aliis dat scandalum, et suspicionem movet, quod Extremam Unctionem non esse verum Sacramentum credat, et ad contemptum illius astantes provocat. 3° Denique graviter peccat infirmus, si sit in peccato mortali, quod confiteri non potest, nec certus est, se habere veram Contritionem, si hoc Sacramentum omittat; quia sic voluntarie respueret medium salutis, quo salvari posset. Resolvuntur casus.

TRACTATUS XIX.

De Ordine.

CAPUT I.

De natura, et varia acceptione Ordinis.

§ 1129. Sextum Novae Legis Sacramentum est *Ordo*, qui est Sacramentum novae Legis, quo spiritualis quaedam potestas traditur, et gratia confertur ad Sacrosanctum Christi Corpus consecrandum, et alia Ecclesiastica ministeria rite obeunda. Ordo quid?

Schol. Ordinis nomen tripliciter sumitur a Scriptoribus Ecclesiasticis. I. *Amplissime*, prout significat quemlibet statum personarum, quae speciali titulo ac distincta quadam vivendi ratione Deo inserviunt: quo sensu dicuntur in Ecclesia esse plures Monachorum et Monialium Ordines. II. *Minus ample*, prout includit iurisdictionem aliquam Ecclesiasticam, sine ulla ex intrinseca ratione potestate conficiendi, et administrandi Sacramenta; quo sensu Decanatus, Abbatia etc. possunt dici Ordines. III. *Stricte*, pro sacro quodam ritu, quo confertur potestas ad ministerium Sacrificio Altaris exhibendum, aut Encharistiam consecrandi: quo sensu accuratius Ordinationis, quam Ordinis Sacramentum dicitur; quia hoc Sacramentum in actione transeunte Ordinantis positum est, non vero in re fixa et permanente. Varia eius acceptio.

A Graecis Ordo vocatur χειροτονία, id est, *manus extensio*; de quo vocabulo pluribus agunt Arcudius *l.* 6. *Conc. c.* 1. Morinus et Hallier *de sacr. Ordinat.* Utuntur etiam Graeci nomine χρίσεως *unctio;* unde καθίερωσις *consecratio*, quae cum fiat manus impositione, subinde etiam Ordo χειροθεσία a Patribus vocatur.

CAP. II.

De institutione Sacramenti Ordinis.

Est Sacramentum. § 1130, Ordo est verum et proprium Novae Legis Sacramentum. Probatur 1° 1. *Ad Tim.* 4. *v.* 14. *Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Et 2. *ad Tim.* 1. *v.* 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.* Quae autem sit illa gratia, Apostolus exponit versu sequenti: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis, et sobrietatis:* adeoque loquitur de gratia sanctificante. Ex quibus ita arguitur: habetur hic signum externum, scilicet impositio manuum: Divina institutio; quia vis producendi gratiam hanc supponit, de qua mox plura: habetur gratia, cuius expressa fit mentio: Divinum mandatum; quia Apostoli potestatem conferendi gratiam per impositionem manuum sibi non arrogassent. Ergo habentur omnia ad Sacramentum requisita; consequenter Ordo est Sacramentum. 2° Probatur ex Traditione S. Ambrosius *l. de sac. dign. c.* 5. ait: *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam.* S. Innocentius I. *ep.* 18. de haereticis ait: *Nec dare Spiritus S. plenitudinem possunt, quae maxime in Ordinationibus operatur.* S. Hieronymus *l. contr. Vigilant.* ait, Episcopum Diaconos ordinantem *Christi Sacramenta* tribuere. S. Augustinus *l.* 2. *contr. ep. Parmen. c.* 13. *Explicent, quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, et Sacramentum ordinati possit amitti? Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, et illud amittitur? Neutri Sacramento iniuria facienda est.* Et S. Gregorius M. *in* 1. *Reg.* 5. qui promovetur ad Sacerdotium, *bene foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur.* 3° Patet ex Conciliis Conc. Chalcedonense *can.* 2. iussit de gradu deiici eos, qui non venalem gratiam in venditionem deduxerunt. Florentinum, Ordinem inter Sacramenta recenset. Tridentinum *Sess.* 23. *can.* 3. definit: *Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse verum et proprium Sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, et Sacramentorum; anathema sit.*

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Lutherus in *l. de capt. Babyl.* negat, Ordinem inter Sacramenta esse recensendum; quod etiam negat Calvinus *l.* 4. *Instit. c.* 19. I. Quia impositio manuum 1. *ad Tim.* 4 dicitur conferre χάρισμα, quo nomine 1. *ad Cor.* 12. *v.* 4. designatur tantum gratia sanitatum,

discretio spirituum etc. non vero gratia sanctificans: et Apostolus dicit, datam Timotheo hanc gratiam per prophetiam, quae inter charismata refertur. *Resp.* χάρισμα et χάρις omnia gratiarum dona, consequenter etiam gratiam sanctificantem significat, uti patet 1. *ad Cor.* 12. *Æmulamini autem charismata meliora*, id est, gratiam sanctificantem, utpote sine qua alia dona ibi commemorata expeti non debent. Deinde nihil contra nos agunt haeretici, si etiam concedamus, Timotheo una cum gratia et charactere Ordinis, donum prophetiae esse concessum. Denique per prophetiam non intelligitur causa instrumentalis gratiae conferendae, nec effectus per impositionem manuum productus, sed causa impellens ac movens, ita ut sensus sit: Noli negligere gratiam, quae data est tibi, cum te ordinavi Episcopum, secundum praecedentes prophetias, hoc est, iuxta revelationem mihi factam, ut te in Episcopum consecrarem. II. Illa impositio manuum non fuit Sacramentalis; nam Christus ordinans Apostolos ea usus non fuit: et olim impositio manuum ad benedictiones, sanandos infirmos etc. adhibebatur. *Resp.* Christus propria virtute gratiam conferre potuit; homines nonnisi instrumentis a Christo institutis eam conferre possunt. Impositio vero manuum de se indifferens, per formam sufficienter ad esse Sacramentale determinatur. III. S. Chrysostomus *de anathem.* ait: *Ordinatio non effert, non in sublime extollit, non potentiam praestat*. Et S. Gregorius Nyssen. in vita S. Gregorii Thaumaturgi refert; eum absentem consecratum esse Episcopum. Ergo Ordinatio est mera deputatio. *Resp.* S. Chrysostomus humilitatem, et commiserationem erga peccatores in Sacerdotibus commendat. S. Gregorius Nyssenus solum innuit, S. Gregorium Thaumaturgum Episcopatum fugientem, precibus tandem ad consensum inductum fuisse, ut *observatis solemnibus*, ait idem S. Gregorius Nyssenus, id est, servato debito ritu, consecraretur.

§ 1131. Sacramentum Ordinis a Christo Domino institutum fuit. Nam Christus re ipsa Apostolis potestatem et gratiam Ordinationis concessit in ultima Coena, quando post datum SS. Corpus suum et Sanguinem, *Luc.* 22. dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*: ubi Apostolos Sacerdotes instituit. Et *Ioan.* 20. *v.* 13. potestatem remittendi peccata contulit, dicens: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Unde Tridentinum *Sess.* 7. *can.* 1. *Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum... anathema sit*. **Ordo a Christo est institutus.**

CAP. III.

De Ordinum pluralitate.

§ 1132. Plures autem in Ecclesia esse Ordines, fide divina credendum statuit Concilium Tridentinum ***Sess. 23. can. 2. Si quis dixerit, praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines et maiores, et minores, per quos velut per gradus quosdam in Sa-*** **Plures sunt in Ecclesia Ordines.**

cerdotium tendatur; anathema sit. Et *cap.* 2. *Cum autem divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius, et maiori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent.*

Quot sint? *Schol.* 1. Ordines generatim dividuntur in *Maiores*, seu *Sacros*, et *Minores*. Maiores dicuntur Sacri, quia propius ad Eucharistiam accedunt. Speciatim septem Ordines apud Latinos recensentur: scilicet Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, Ostiariatus. Ita Tridentinum *Sess.* 23. *cap.* 2. quod tamen septenarium hunc numerum de fide credendum non definivit, ne vel Graecos, qui pauciores, vel nonnullos Scholasticos, qui plures, quam septem admittunt, damnaret. Inter hos Ordines, maiores et sacri sunt: Presbyteratus, Diaconatus, et Subdiaconatus: reliqui vocantur minores et non sacri, non quasi sacri nullo modo essent, sed quod non ita proxime ad SS. Eucharistiam accedant. Porro septem horum Ordinum mentio iam antiquissimis temporibus occurrit: sic S. Cornelius P. in *ep.* apud Eusebium *l.* 6. *c,* 43. ait, tempore Schismatis Novatiani fuisse in Ecclesia Romana *Presbyteros quatuor et quadraginta*, *Diaconos septem*, *totidem Subdiaconos*, *Acolythos quadraginta duos*, *Exorcistas cum lectoribus, et Ostiariis duos et quinquaginta* S. Caius P. statuit, ut his gradibus ad Episcopatum ascenderetur: *Ostiarii*, *Lectoris*, *Exorcistae*, *Subdiaconi*, *Diaconi*, *Presbyteri*. Concilium Carthaginense IV. an. 398. singillatim septem Ordines laudat a Canone 3 usque ad 10. Concilium Toletanum I. an. 400 meminit *can.* 1 *Presbyterorum*, *et Diaconorum: can.* 2 *et* 4 agit de *Lectoribus*, *et Ostiariis: can.* 4 *et* 5 memorat *Subdiaconos*, *Ostiarios*; *et Lectores* recenset Synodus Taraconensis an. 516. Praeter hos Ordines recensitos, Caietanus etiam inter eos numerat Episcopatum. Multi Canonistae addunt primam Tonsuram. Martene *l.* 1 *de ant. rit.* c. 8 novem numerat, addendo septem assignatis, *Episcopos*, *Psalmistas*, seu *Cantores*. Nam I. Cantorum meminit Conc. Carthaginense IV. *can.* 10. Laodicenum *can.* 23. Chalcedonense *can.* 14. et Rabanus *l.* 3 *Iustit. Cleric. Resp.* Cantores peculiari Ordine non inaugurantur, sed vel prima Tonsura initiati, et ad psallendum in Choro admissi intelliguntur, uti eos sumit Durandus *l.* 2 *rat. c.* 3. vel illi, qui sine Clericali initiatione Cantorum officio funguntur. II. *Fossariorum*, seu, *Vespillonum*, vel *Laborantium*, mortuos sepelientium, meminit S. Ignatius *ep. ad Antiochen.* S. Epiphanius in *Comp. Doctr. Cath.* et S. Hieronymus *de muliere septies icta: Resp.* Fossarii non fuerunt Clerici, ut constat *l.* 12 *Cod. Theod. de Episc.* ubi dicitur, occupatos defunctorum obsequiis Clericorum vocabula sibimet usurpare: vocabantur autem subinde Clericorum nomine, quia Clericis mandabatur, ut defunctorum, maxime Martyrum, corpora sepelirent. III. si septem sunt Ordines, erunt plura quam septem Sacramenta. *Resp.* Septem hi Ordines sub uno genere Ordinis conti-

nentur. Et S. Thomas ait, distinctionem Ordinum esse totius potestativi, cuius haec est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno; in aliis autem est aliqua participatio illius. Sic tota plenitudo huius Sacramenti est in uno Ordine, seu Sacerdotio; sed in aliis est quaedam participatio Ordinis, et ideo omnes Ordines sunt unum Sacramentum.

Schol. 2. Hos septem Ordines olim etiam Graeci admiserunt: tum quia recensentur in *ep.* S. Ignatii *ad Antiochen.* tum quia Concilium Laodicenum *can.* 24. meminit Presbyterorum, Diaconorum, Ministrorum, Lectorum, Cantorum, Exorcistarum, Ostiariorum: et Canon quartus Trullanus, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Lectorum, Cantorum, Ostiariorum; et Synodus Antiochena *can.* 10. Subdiaconorum, Lectorum et Exorcistarum: et Ioannes Episcopus Citri *l.* 3. *Iuris Orient.* apud Goarium memorat deputatos cum luminibus praecedentes, scilicet Acolythos. Verum iam a mille annis et amplius Graeci nonnisi quatuor Ordines admittunt: scilicet Presbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum et Lectoratum: tum quia hodie in nullis Graecorum Ritualibus fit mentio Acolythatus, exorcistatus et Ostiariatus: tum quia Concilium VIII. generale an. 869. quatuor illos Ordinum gradus pro ascensu ad Episcopatum recenset, *act.* 19, *e. an.* 5. cui Ioannes P. VIII. in *ep. ad Basilium Imp. an.* 879. subscripsit: tum quia Innocentius IV. in *ep. ad Othonem Cardinalem Tusculanum* an. 1254. data, volens reducere ad usum Romanae Ecclesiae Graecos, ait, tres Ordines ab iis non servari de Minoribus. Et Benedictus XIV. in Const. *Etsi Pastoralis*, constituit, quod si Clericus Graecus Lector tantum initiatus ex benignitatis Sedis Apostolicae obtinuerit, ut maiores Ordines Latinis caeremoniis sibi conferantur; is, antequam Subdiaconus ordinetur, tres minores ordines omissos debet ritu Latino suscipere. Quot Ordines sint apud Graecos?

CAP. IV.

De tonsura, eiusque origine.

§ 1133. Antequam autem singulos Ordines in specie consideremus, agendum est de prima Tonsura, per quam Ecclesia initiandos ad Ordines praeparat. Est autem *prima Tonsura* caeremonia ab Ecclesia instituta, per quam laicus baptizatus, et Sacramento Confirmationis consignatus, sacro ritu in Clerum adscribitur. Prima Tonsura quid?

Schol. Tonsura dicitur a ritu, quo homo per abscissionem capillorum e statu laicorum extrahitur: quae iuxta Pontificale Romanum hoc ritu confertur. Dicta oratione ab Episcopo: *Oremus fratres etc.* Pontifex in fronte, in occipitio, ad utramque aurem, et in medio capitis praescindit capillos, et eum Tonsurando tarde dicit: *Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei: tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.* Deinde dicitur ab Episcopo oratio: *Praesta, quaesumus etc.* et a Ministris Antiphona: *Hic accipiet etc.* cum Psalmo: Quomodo conferatur?

Domini est terra, etc. Et rursus ab Episcopo oratio: *Adesto, Domine, etc.* Deinde Episcopus accepta mitra Tonsum superpelliceo induit, dicens: *Induat te, etc.* et dicta oratione, Clericum alloquitur: *Fili charissime, etc.* et iniungit illi septem Psalmos Poenitentiales cum Litaniis.

Non est institutionis Divinae. § 1134. Tonsura Clericalis non est institutionis Divinae, sed Ecclesiasticae. 1° Enim Ecclesia Graeca eam non observat, et in Ecclesia Latina nullum eius vestigium tribus primis saeculis apparet; sic S. Cornelius in *ep. ad Fabium* diversos Clericorum gradus in Ecclesia Romana describens, Tonsurae Clericalis non meminit. Et S. Cyprianus *ep.* 61. non agnoscit alios Clericos, praeter eos, qui Altari, et Sacrificiis deserviunt: imo si haec Tonsura per tria illa saecula in usu fuisset, hoc signo clerici a persecutoribus deprehensi, et necati fuissent. 2° Olim alienum fuit a Clericorum moribus, ut raderentur, uti patet ex S. Optato Milevitano contra Donatistas scribente: *Docete, ubi vobis mandatum, sic radere capita Sacerdotibus, cum e contra tot sint exempla proposita, fieri non debere.* Ergo olim prima Tonsura in usu non fuit.

Tonsurae origo. *Schol.* 1. Primis igitur quatuor aut quinque saeculis Clericis tantum praecipiebatur, ut breviori essent capillo; nec S. Petrus, nec S. Paulus, nec S. Anicetus amplius quid constituerunt, licet illud 1. *ad Cor.* 11, *v.* 14. *Quod vir, si comam nutriat, ignominia est illi,* nonnullis ansam dederit, ad S. Paulum institutionem Tonsurae Clericalis referendi. Vid. Thomass. *p.* 1. *l.* 2. *c.* 37. Proinde saeculo V. ad imitationem Tonsurae Monasticae inter Clericos Tonsura introducta fuit. Haec Tonsura in Hispania erat in Clericis, detonso superius toto capite, relicta inferius sola circuli corona; cum e contra Monachi toto capite detonderentur: quod etiam in Gallia et Italia in more erat. Saeculo IX. Clerici Latini summum solummodo verticem radebant in modum coronae; quod deinde subsequentibus saeculis statutum fuit, addito decreto, ut Clerici barbam raderent. Haec Tonsura iuxta Ven. Bedam significat Coronam spineam Christi. Et iuxta S. Isidorum *l.* 2. *de off. c.* 4. vitia esse resecanda, et ignominias pro Christo patienter esse tolerandas.

Vestes Clericorum. *Schol.* 2. Circa vestes Clericorum notandum, per prima quinque saecula eos specialem vestem a laicis distinctam non habuisse, uti probat Thomassinus *de discipl. vet. Eccl. p.* 1. *c.* 43. Saeculo VI. habitus Clericorum ab illo laicorum distinctus fuit, utpote modestior et semper oblongus. Saeculo IX. nigra erat Clericorum vestis. Saeculo XI. et XII. in pluribus Conciliis vestes breviores, ante et a lateribus apertae ex serico, vel pellibus pretiosis viridis aut rubri coloris cum manicis puris, aut arte phrygia elaboratis, Clericis prohibebantur. Saeculo XIII. nigra vestis Clericis universalis facta fuit cum collariis. Superpelliceum Clericorum olim vestis pellicea ad talos defluens erat.

An Ton- *Schol.* 3. Quaeritur, an Tonsura Clericalis sit verus Ordo. ***Resp.***

Negative contra Fagnanum et alios Canonistas: tum quia Tridentinum *Sess.* 23. *cap.* 2. ait, *esse plures ac diversos Ordines ita distributos, ut qui iam Clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad maiores ascenderent*: ergo supponit, Tonsuram ad Ordines esse praeviam: et Catechismus Romanus *p.* 2. *cap.* 7. vocat Tonsuram *praeparationem ad Ordines*: tum quia haec Tonsura non habetur apud Graecos, et in Graecis ad Latinos transeuntibus non suppletur, licet Ordines minores a Graecis omissi suppleri debeant. Dices I. *Cap. Cum contingat, de aetate, etc. Ordinand.* dicitur: *Per primam Tonsuram iuxta formam Ecclesiae datam Clericalis Ordo confertur.* Item Tonsurati degradari possunt. Ergo Tonsura est ordo. *Resp.* Nomine Ordinis status Clericalis intelligitur. Et degradatio non ab Ordine, prout Sacramentum est, sed ab officio solum, habitu et privilegiis removet, et ad communionem laicam redigit; nam Characterem non delet. II. In Const. Sixti V. *Sanctum et salutare*, Tonsuratis tribuitur Clericalis Character; et Tonsura habet suam materiam remotam, capillos; proximam, eorum abscissionem; et formam: *Dominus pars haereditatis meae etc.* Ergo est Ordo et Sacramentum. *Resp.* Nomine Characteris Clericalis Sixtus intelligit notam externam, scilicet capillorum detonsionem. Illi quasi materiae et formae deficit Divina institutio, et appromissio gratiae.

ART. UN. *De Tonsurae effectibus.*

§ 1135. Effectus primae Tonsurae sunt: 1. Translatio a statu laicali ad Clericalem: ex Pontificali Romano: *De foro Ecclesiae facti estis, et privilegia Clericalia sortiti estis.* 2. Capacitas iurium, et privilegiorum Ecclesiasticorum. 3. Habilitas ad suscipiendos Ordines. 4. Privilegium Fori (t. 2. § 866.), et Canonis (t. 2. § 867.), et Immunitas Ecclesiastica (t. 2. § 868. et seq.). Effectus Tonsurae.

Coroll. Pract. 1° Tonsurandus debet esse immunis a Censuris et Irregularitate; confirmatus; scire legere et scribere, et rudimenta fidei; ac habere animum clericandi: ita Trid. *Sess.* 23. *cap.* 4. *de ref.* 2° Calvus etiam potest suscipere primam Tonsuram; quia cum haec non habeat propriam materiam, sufficit caeremoniam adhibere, in quantum fieri potest. 3° Ætas pro prima Tonsura in iure non est determinata; plerumque tamen requiritur septennium completum. 4° Officium Tonsurati est, Psalmos in choro canere. 5° Probabilius est peccatum grave, Tonsuram suscipere, cum animo nunquam suscipiendi Ordines maiores ex sola cupiditate consequendi commoda temporalia ex redditibus Ecclesiae, quia est contra finem Ecclesiae, nisi quis aliunde excusetur. 6° Peccat saltem venialiter, qui in statu peccati mortalis primam Tonsuram suscipit, quia fallit professionem suam se Deo consecrandi, a quo per peccatum aversus est. 7° Clericus, qui habet animum deserendi statum Clericalem, et acceptat, vel retinet Beneficium, probabilius peccat graviter, et tenetur ad restitutionem fructuum mala fide perceptorum, pro quibus operas suas Resolvuntur casus.

43

non praestitit. 8° Ut Clericus gaudeat privilegiis Clericalibus, et quidem privilegio Fori, debet habere Beneficium Ecclesiasticum, deferre Clericalem habitum, et Tonsuram, et suae, aut alteri Ecclesiae ex Episcopi mandato inservire, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate cum licentia Episcopi, quasi in via ad maiores Ordines suscipiendos, versari: Trid. *Sess.* 23. *cap.* 6. *de Ref.* Deinde ut gaudeat privilegio Immunitatis, non debet negotiari. Denique ut gaudeat privilegio Canonis, debet deferre habitum et Tonsuram. 9° Tonsura debet esse per modum coronae in vertice; et in Minoristis sufficit, si sit tanta, quanta est particula communicantium ; quae postea augeri debet cum proportione gradus Ordinis, et rescindi debent capilli, quae vanitati tantum deserviunt. 10° Habitus Clericalis debet esse talaris usque ad talos pertingens, et quoad colorem servanda est regionis consuetudo. 11° Clericus in Minoribus constitutus Beneficium non habens, non peccat mortaliter, si Tonsuram et habitum Clericalem non deferat: Clericus vero in Sacris constitutus, vel etiam tantum in Minoribus, si pingue Beneficium, aut dignitatem Ecclesiasticam habeat, peccat graviter, si per longum tempus non portet Tonsuram, aut habitum Clericalem; quia in *cap. Ioannes, de Cler. coniug.* et in Tridentino *Sess.* 14. *c.* 6. et *Sess.* 23. c. 6. *et* 17. gravissimis verbis praecipitur, ne Clerici comam nutriant et ut Tonsuram, et habitum Clericalem deferant: excusantur tamen, si per breve tempus habitum deponant, et signum saltem aliquod distinctivum gerant. 12° Clericis prohibetur mercatura, negotiatio, et ne intersint, quando de sententia sanguinis agitur; ne aleis ludant, nec intersint iocis mimicis, et choreis, nec arma ferant. Reliqua de privilegio Fori et Canonis dicta sunt Tom. 2. § 866. et seq.

CAP. V.

De Ordinibus Minoribus.

Ordines minores non sunt Sacramenta

§ 1136. Post collatam primam Tonsuram, sequuntur Ordines minores, qui in Ecclesia Latina sunt quatuor: scilicet *Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus,* et *Acolythatus,* quique iuxta communiorem Theologorum sententiam non sunt vera et propria Sacramenta. 1° Quia non sunt divinitus instituti, et Graeci solum Lectoratum conferunt (§ 1132. Schol, 2.). Ubi sane credendum non est, eos tres Ordines praetermittere, si illos a Christo institutos, et Sacramenta esse crederent. 2° Subinde nonnulli ad maiores Ordines promoti fuerunt, minoribus omissis, uti de S. Chrysostomo, Nazianzeno, et Theodoreto narratur; et Paulinianus frater S. Hieronymi primum Diaconus mox Presbyter ordinatus fuit, teste S. Epiphanio *ep.* 60. ac multa exempla de aliis profert Morinus *de S. Ordinat. diss.* 11. c. 2. 3° Officia Ordinum minorum etiam laicis committuntur, non vero illorum Ordinum, qui sunt vera Sacramenta, Ergo Ordines minores non sunt Sacramenta.

Schol. S. Thomas in *suppl. q.* 35. S. Bonaventura cum Scoto *dist.* 24. docent, Ordines minores esse vera Sacramenta. Quia Concilium Carthagineuse IV. c. 2. 3. *et* 4. dicit, Ordines minores conferri per *Ordinationem*. Et Concilium Florentinum ait: *Sextum Sacramentum est Ordo:* et recensita materia Ordinum maiorum subdit: *Et sic de aliorum Ordinum formis.* Et Tridentinum in eamdem sententiam propendet, dum *Sess.* 23. *c.* 3. docet, Ordinem in genere esse verum Sacramentum: et *can.* 6. definit, esse *in Ecclesia Hierarchiam Divina Ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris:* ad quos ministros refert reliquos Ordines *cap.* 2. et 4. et *can.* 2. docet, Ordines minores ab initio Ecclesiae in usu fuisse. *Resp.* Nomen Ordinationis a Conciliis usurpatum denotat, Ordines minores esse veros Ordines; non vero esse Sacramenta. Florentinum solum docet, Ordinem esse Sacramentum, et non dicit, Ordines minores esse Sacramenta; et cum generatim dixisset, materiam Ordinis esse id, per cuius traditionem confertur, hoc exemplo singulorum Ordinum declarat, non definiens, an singuli sint Sacramenta. Eodem modo Tridentinum solum dicit, Ordinem in genere esse Sacramentum. Hierarchia Ecclesiastica salvatur in Episcopis, Presbyteris, et Ministris. Ordines ab initio Ecclesiae in usu fuisse, non probat esse Sacramenta, sed Ordines. II. S. Cyprianus dicit, Lectores plebi universae pro honoris sui claritate esse conspicuos; et de Ordinibus minoribus veluti Sacramentis loquitur S. Augustinus *de bon. coni. c.* 24. et S. Hieronymus *adv. Vigilant. Resp.* SS. PP. loquuntur de eminentia Ordinum supra statum Clericalem non vero de eminentia Sacramentali. III. Ex Constitutione Benedicti XIV. Graecus iam Presbyter ordinatus veniens ad ritum Latinorum, debet Exorcistatum suscipere. Ergo hic habet eminentiam Sacramenti, ob quam omitti nequit. *Resp.* Exorcistatus suppletur, ne quid salubriter institutum omittatur; sed ex hoc non sequitur, esse Sacramentum. Solvuntur obiectiones.

Art. 1. *De Ostiariatu.*

§ 1137. Inter Ordines minores primo confertur *Ostiariatus*, qui est Ordo minor, in quo per traditionem clavium Ecclesiae, sub certa verborum forma a legitimo Ministro prolata, confertur potestas aperiendi, et claudendi Ecclesiam, pulsandi campanas ad Officium Divinum, et ad illud admittendi dignos, et indignos repellendi. Ostiariatus quid.

Schol. Ritus conferendi apud Latinos Ostiariatum, est, quod Episcopus Ordinando tradat claves Ecclesiae cum forma: *Sic age, etc.* Deinde ab Archidiacono ducitur ad fores Ecclesiae, quas Ostiarius claudit, et aperit: item tradit illi campanulam, quam pulsat. Ordinis huius meminit S. Gregorius Nazianzenus or. 18. S. Augustinus *l.* 6. *Conf.* c. 2. et Conc. Carthaginense *can.* 9. Ritus eum conferendi.

§ 1138. 1. Materia Ostiariatus remota, sunt claves Ecclesiae: proxima, eorum traditio. Forma est: *Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur.* Ex Pontif. Rom. Materia et forma Ostiariatus.

Officia. 2. Officia Ostiarii ex eodem Pontificali, sunt: 1. Ecclesiae ianuas dignis aperire, indignis, infidelibus, excommunicatis, et interdictis claudere. 2. Custodire vasa sacra, et Ecclesiae suppellectilem. 3. Pulsare campanas statis horis, et convocare populum ad cultum Dei, et sub SS. Sacrificio pulsare cymbalum ad devotionem et attentionem excitandam.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Si loco clavium Ecclesiae, alicui traderentur claves culinae, invalida foret Ordinatio Ostiarii, quia forma falsificaretur: si vero unica solum clavis Ecclesiae traderetur, valida esset Ordinatio, quia potestas huius Ordinis sufficienter exprimeretur. 2° Traditio cymbali, eiusque pulsatio non est materia Ostiariatus, quia non fit ab Episcopo, sed ab Archidiacono, nec formam habet, sed tantum officium eius declarat. 3° Virtutes Ostiarii esse debent, zelus domus Dei, et vigilantia, ut omnia in Ecclesia munda sint.

Art. 2. *De Lectoratu.*

Lectoratus quid? § 1139. Secundus Ordo minor est *Lectoratus*, in quo per traditionem Libri Lectionum sub certa verborum forma a Ministro prolata, confertur potestas legendi publice Scripturam sacram veteris et novi Testamenti, et Scripta SS. Patrum.

Ritus eum conferendi. *Schol.* Lectoratus confertur, dum Ordinans tradit Librum Lectionum, cum forma: *Accipe, et esto, etc.* Huius Ordinis meminit Tertullianus *de Praescript. c.* 41. S. Cyprianus *ep.* 24. S. Augustinus *serm.* 17.

Materia et forma Lectoratus. § 1140. 1. Materia Lectoratus remota, est Liber Lectionum, continens Prophetias, Epistolas, Acta Apostolorum, Homilias et Sermones Patrum in Ecclesia legi solitos: proxima, est Libri huius traditio. Forma est: *Accipe, et esto verbi Dei relator; habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium tuum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.*

Officia. 2. Officia Lectoris sunt: 1. Legere publice in Ecclesia Prophetias, et cantare in Missarum solemniis Introitum, Graduale, Alleluia, et Lectiones Horarum Canonicarum. 2. Libros sacros et canonicos fideliter, et diligenter custodire. 3. Catechizare, et rudimenta fidei exponere. 4. Denique olim Lector panem, et fructus benedicebat.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Valida est Lectoris Ordinatio, si illi S. Scriptura, vel Breviarium tradatur: secus, si alius liber, in quo Prophetiae non habentur. 2° Virtutes Lectoris esse debent, notitia mysteriorum fidei, quae aliis explicat: firma et viva fides: zelus animarum in verbo et exemplo relucens.

Art. 3. *De Exorcistatu.*

Exorcistatus quid? § 1141. Tertius Ordo minor est *Exorcistatus*, quo per traditionem Libri Exorcismorum sub certa verborum forma a Ministro prolata, confertur potestas manus imponendi super Energumenos, seu obsessos a daemone, sive baptizatos, sive Catechumenos, legendique Exorcismos ad daemones fugandos.

Schol. Exorcistatus confertur traditione Libri Exorcismorum, cum verbis: *Accipe, et commenda etc.* Huius Ordinis meminit Tertullianus *ad Scap.* S. Cyprianus *ep.* 2. *et* 7. S. Hilarius *de Synod.* S. Hieronymus *in ep. ad Tit.* Ritus cum conferendi.

§ 1142. 1. Materia Exorcistatus remota, est Liber Exorcismorum; proxima, eius traditio. Forma: *Accipe, et commenda memoriae, et habe potestatem imponendi manus super Energumenos, sive baptizatos, sive Catechumenos.* Materia et forma Exorcistatus.

2. Officium Exorcistae est, expellere daemones de humanis corporibus per Exorcismos ab Ecclesia approbatos. Olim etiam monebat, ut non communicaturi locum darent communicaturis, et Energumenos post Evangelium et praedicationem a Missa dimittebat: studere autem debet singulari conscientiae puritati, passionum et vitiorum mortificationi, orationi, ieiunio et humilitati. Officium.

Art. 4. *De Acolythatu.*

§ 1143. Quartus Ordo minor est *Acolythatus*, in quo per traditionem Candelabri cum cereo extincto, et Urceoli vacui sub certis verborum formis a Ministro prolatis, confertur potestas accendendi cereos in Ecclesia, eosque ad Altare deferendi, et vinum et aquam porrigendi ad SS. Eucharistiam. Acolythatus quid?

Schol. Acolythatus confertur traditione candelabri cum candela extincta, et urceoli vacui, quae Ordinandus dextra tangit, dum Ordinans formas profert. Ordinis huius meminit S. Cyprianus *ep.* 28. S. Hieronymus *ep. ad Nepot.* etc. Ritus, quo confertur.

§ 1144. 1. Materia Acolythatus remota, est candelabrum cum cereo extincto, et urceoli vacui: proxima, horum traditio. Forma primae materiae respondens, est: *Accipe Ceroferarium cum cereo, et scias, te ad accendenda Ecclesiae luminaria mancipari: in nomine Domini.* Forma pro altera materia, est: *Accipe urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi: in nomine Domini.* Materia et forma.

2. Officia Acolythi sunt: 1. Praeparare, et accendere luminaria ad Sacrificium. 2. Sequi Diaconum cum cereo accenso, quando accedit ad cantandum Evangelium. 3. In Sacrificio vinum et aquam ministrare. Officia

Coroll. Pract. 1° Candelabrum cum cereo extincto, et urceoli vacui cum formis suis sunt de essentia Ordinis Acolythatus, utpote ab antiquissimis temporibus, adhiberi solita. 2° Virtutes Acolythi sunt, exemplum bonorum operum, et singularis modestia in Ecclesia. Resolvuntur casus.

CAP. VI.

De Ordinibus maioribus, ac primum de Subdiaconatu.

§ 1145. A minoribus Ordinibus progredimur ad maiores et sacros, inter quos primo occurrit *Subdiaconatus*, qui est Ordo sacer, Subdiaconatus quid?

per quem datur potestas proxime inserviendi Diacono solemniter in Missa ministranti.

Nomen eorum. *Schol.* 1. Subdiaconi apud Graecos Hypodiaconi, vel Hyperitae, id est Administri, vocantur. Apud Latinos prima Subdiaconorum mentio occurrit apud S. Cyprianum *ep.* 22. et S. Cornelium *ep. ad Fab. Antioch.* teste *Euseb. l.* 6. *c.* 43. Apud Graecos serius nomen Hypodiaconorum auditur, scilicet in Concilio Laodiceno *can.* 21. et apud S. Athanasium *Epistolae ad Solit.* quae ex antiquioribus citantur, sunt sublestae fidei.

An Subdiaconatus semper Ordo sacer fuerit? *Schol.* 2. Certum est, Subdiaconatum esse ordinem sacrum, ex Trid. *Sess.* 22, *cap.* 2. Sed quaeritur, an Subdiaconatus semper inter Ordines sacros relatus fuerit. Menardus in *not. ad Sacr. S. Greg.* Thomassinus *l.* 1. *vet. et nov. discipl.* Morinus *Exercit.* 12. *c.* 5. *de sacr. Ordin.* putant, Subdiaconatum per duodecim priora saecula plus minus in classe Ordinum minorum locatum fuisse, et tunc Sacrum effectum esse, quando lex continentiae illi fuit imposita. Sed melius ope alicuius distinctionis haec controversia dirimi potest, dicendo: 1. Si ratio S. Ordinis petatur vel a solemni Coelibatus professione, vel quatenus confert in Ecclesia aliquam iurisdictionem et principatum, Subdiaconatus non semper fuit in Ecclesia Latina Ordo sacer; tum quia Subdiaconatus non semper habuit annexam legem Coelibatus, uti inferius ostendetur; tum quia Patres Subdiaconatum inter Ordines Hierarchicos non recensent, nec uspiam fit mentio, quod Subdiaconis regimen plebis; administratio Sacramentorum, et praedicatio verbi Divini commissa fuerit. 2. Si vero ordo sacer ex eo dicatur, quod tribuat spiritualem facultatem propius, quam Ordines minores, serviendi in ministerio Sacrificii Altaris, Subdiaconatus a sui institutione Ordo sacer, et ex maioribus fuit: tum quia Tridentinum ait, Subdiaconatum ad maiores Ordines a Patribus et Conciliis relatum esse: tum quia Subdiaconatus confert potestatem tangendi Vasa sacra, et proximius ministrandi ad Eucharistiam.

An Subdiaconatus sit Sacramentum? § 1146. Probabilius Subdiaconatus non est verum Sacramentum. 1° Quia in Subdiaconatu non habetur institutio Christi; nam Amalarius *l.* 2. *de off. Eccl. c.* 6. recensens Presbyteratum et Diaconatum a Christo institutos, subdit: *Caeteri Ordines his adiecti sunt.* Magister Sentent. *l.* 4. *d.* 24. ait: *Subdiaconos et Acolythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit.* Certe nulla de Subdiaconis mentio in S. Scriptura occurrit. 2° Subdiaconatus non confert gratiam ex opere operato, cuius nec in Ordinatione, nec alibi promissio innotescit.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 1. Bellarminus, Berti, etc. docent, Subdiaconatum esse verum Sacramentum. I. Quia S. Clemens in *l.* 8. *Constit.* hanc formam vel orationem in Ordinatione Subdiaconi refert: *Tribue eis, Domine, Spiritum S. ut digne vasa Domini attrectare valeant.* ***Resp.*** Ex contactu Vasorum sacrorum et oratione, ut digne tractentur, non sequitur, Subdiaconatum esse Sacramentum; nam S. Clemens

idem dicit de Diaconissis, quae tamen Sacramenti huius non sunt capaces. II. Concilium Florentinum statuens, Ordinem esse Sacramentum, Subdiaconatum ad eum refert, et materiae ac formae illius meminit. Et Tridentinum, cum ad maiores Ordines a Patribus et Conciliis referri, asserit. *Resp.* Nec Florentinum, nec Tridentinum definit, omnes Ordines etiam maiores esse Sacramentum. III. Subdiaconatus imprimit Characterem, quia repeti non potest: Ergo est Sacramentum. *Resp.* Quod Subiaconatus repeti non possit, non est a Charactere, sed ab institutione Ecclesiae, quia res semel Deo consecrata, semper consecrata manet.

Schol. 2. Ritus Ordinationis Subdiaconi in Ecclesia Latina hic est: 1. Episcopus Subdiacono Amictum imponit, et tunica induit cum praescriptis orationibus. 2. Librum Epistolarum tangendum porrigit, dicens: *Accipe librum Epistolarum, et habe potestatem legendi eas in Ecclesia S. Dei tam pro vivis, quam pro defunctis.* 3. Tradit illi Calicem vacuum cum patena vacua superposita, dicens: *Vide, cuius ministerium tibi traditur: ideo te admoneo, ut ita te exhibeas, ut Deo placere possis.* 4. Archidiaconus tradit urceolos cum vino, aqua, bacili et manutergio tangenda. Apud Graecos sola manus impositione et oratione ordinantur Hypodiaconi. *Ritus Ordinationis Subdiaconi.*

Art. 1. *De materia, forma, et officiis Subdiaconi.*

§ 1147. Materia Subdiaconatus remota primaria, est Calix vacuus cum patena vacua. Forma: *Vide, cuius etc.* (Schol. praec.). Materia vero remota secundaria, est liber Epistolarum. Forma: *Accipe Librum etc.* (loc. cit.). Materia vero proxima, harum rerum traditio. In omnibus autem ritibus his, et verbis probabiliter consistit materia essentialis Subdiaconatus; de quo tamen scrupulose non est inquirendum, cum Subdiaconatus non sit verum Sacramentum. Improbabile tamen videtur, quod in sola traditione Libri Epistolarum materia essentialis consistat; cum huius ritus non meminerit Concilium Carthaginense IV. nec antiqua Ritualia, vel libri Liturgici: quin et olim Subdiaconi ex officio non legerunt Epistolam in publicis Ecclesiae conventibus, uti testantur Amalarius *l.* 1. *de off. c.* 11. Micrologus *c.* 8. etc. *Materia et forma Subdiaconatus.*

Coroll. Pract. 1° Ut Subdiaconus valide ordinetur, debet esse mas, baptizatus, habere debitam intentionem, et sub debita materia et forma a legitimo Ministro ordinari. 2° Ut vero licito ordinetur, debet esse confirmatus, non irretitus Censura, et Irregularitate, habere primam Tonsuram et Ordines minores, et legitimam aetatem, scilicet annum vigesimum secundum saltem inchoatum, non esse coniugatus, et habere titulum, et sufficientem scientiam circa officia et obligationes huic Ordini annexas, vitae sanctitatem, vocationem Divinam, et congruo tempore ordinari, de quibus plura inferius. Vid. Trident. *Sess.* 23. *c.* 11. 3° Vasa sacra, scilicet Calix et patena Subdiacono tradenda, debent esse consecrata de praecepto sub mor- *Resolvuntur casus.*

tali obligante; imo Salmanticenses putant, hoc requiri ad essentiam Ordinationis Subdiaconi, quia totum eius ministerium circa Vasa sacra exercetur. 4° Valet Ordinatio, si Episcopus per errorem tradit Calicem cum vino, quia utile per inutile non vitiatur. Traditio etiam Libri Epistolarum videtur hodie essentialiter apud Latinos requiri ad Ordinationem Subdiaconi. 5° Subdiaconus in peccato mortali exercens suum Ordinem, non peccat mortaliter, quia nullum Sacramentum conficit; peccat tamen venialiter ob indecentiam. Item Subdiaconum in mortali suscipientem hunc Ordinem non audet sacrilegii arguere Benedictus XIV. quia probabilius non est Sacramentum.

Officia Subdiaconi. § 1148. Officia Subdiaconi, iuxta Pontificale Romanum, sunt: 1. Aquam ad ministerium Altaris praeparare, affundendo paullulum vino ante oblationem, dicendo: *Benedicite, Pater Reverende*. 2. Diacono ministrare. 3. Pallas Altaris, et Corporalia abluere. 4. Calicem et Patenam in usum Sacrificii Diacono offerre. 5. Solemniter, hoc est cum Manipulo, et ex officio, cantare Epistolam in Missa. 6. Panem consecrandum pro populo in Altari ponere. 7. Crucem in Supplicationibus portare. Olim etiam Subdiaconi stabant ad ianuas, per quas mulieres ingrediebantur, ne aperiretur ianua tempore oblationis: *l.* 8. *Const. Apost.* et iuxta *ep.* 1. S. Fabiani, Subdiaconi olim gesta Martyrum colligebant, et conscribebant.

Art. 2. *De Diaconatu.*

Diaconatus quid? § 1149. Alter Ordo maior et sacer est *Diaconatus*, per quem datur potestas inserviendi Episcopis vel Presbyteris Sacra solemniter perficientibus.

An Ordinatio Diaconorum Act 6 fuerit sacra? *Schol.* De fide est, Diaconatum esse Ordinem sacrum; et falsum est, quod asserunt Novatores, Diaconatum esse simplicem deputationem ad officium pure humanum, et profanum, scilicet administrationem bonorum temporalium Ecclesiae, eleemosynarum, curam viduarum etc. ita ut Diaconi non debeant esse perpetui, sed solum annui. Quaeritur tamen adhuc, an Diaconi septem, de quibus *Act.* 6. non ad profanum, sed sacrum ministerium Sacramentali Ordinatione initiati fuerint. Respondetur affirmative: tum quia in illa Ordinatione nihil defuit ad rationem Sacramenti, de quo mox plura; tum quia Patres communiter asserunt, Ordinationem illam sacram fuisse *ad ministerium Altaris*, uti loquitur S. Cyprianus *ep.* 68. aut *ad ministerium Ecclesiae*, uti ait Eusebius *l.* 2. *hist. c.* 1. vel ut *proximi essent* Diaconi *circa aram*, uti dicit Ven. Beda. Non obest I. quod *Act.* 6. Diaconi dicantur esse ordinati, ut ministrarent mensis, et eleemosynas ex aequo distribuerent. *Resp.* Olim mensae communi Mensa sacra coniugebantur: mensae communi servierunt Diaconi eleemosynas distribuendo; sacrae, SS. Eucharistiam dispensando, uti colligitur ex 1. *ad Cor.* 11. II. S. Hieronymus *ep. ad Evangelum*, Diaconos mensarum et viduarum ministros appellat. Et Canon 16. Trullanus ait: *Nos quoque praedicamus, ut praedicti septem Diaconi*

non de iis accipiantur, qui mysteriis serviunt... sed eos esse, quibus fuit concredita ac tradita dispensatio communi eorum usui, qui tunc collecti fuerant. Resp. S. Hieronymus in fine citatae epistolae ministerium sacrum Diaconorum asserit, dum eos antiquis Levitis comparat: et solum ad reprimendam eorum audaciam, qui se Presbyteris comparabant, infimum eorum officium illis obiicit. Canon Trullanus, qui magnam auctoritatem in Ecclesia Romana non habet, exponi potest, quod primi Diaconi occasione ministerii mensae communi exhibendi ordinati sint, licet finis primarius ad sacrum ministerium tenderet.

§ 1150. Diaconatus est verum ac proprium Sacramentum. 1. Quia in Diaconatu habetur signum sensibile, materia et forma, scilicet impositio manuum et oratio: *Act.* 6. *Orantes imposuerunt eis manus.* 2. Habetur Divina institutio, quia sine hac Apostoli hunc ritum non adhibuissent: et S. Ignatius *ep. ad Trall.* vult, honorari Diaconos, ut *mandatum Dei:* ac S. Hieronymus eos antiquis Levitis similes facit, qui sunt a Deo instituti. 3. Est ritus perpetuus, semper in Ecclesia usurpatus. 4. Habet Annexam gratiam; nam S. Stephanus post Ordinationem dicitur *plenus gratia*: et Trident. *Sess.* 14. *can.* 4. docet, *Episcopum in Ordinatione non frustra dicere*; *Accipe Spiritum S.* quod in Ordinatione Diaconi dicit. 5. Officia Diaconorum sacra sunt, ut infra patebit. 6. Iuxta Tridentinum *Sess.* 23. *can.* 6. est *in Ecclesia Hierarchia, Divina ordinatione instituta quae constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris:* sed ad Ministros in Hierarchia, quae fundatur in Ordinatione Sacramentali, non spectat Subdiaconatus (§ 1146.), nec Ordines minores (§ 1136.): ergo Diaconatus, qui proinde est Sacramentum. Diaconatus est Sacramentum.

Schol. 1. Durandus *in* 4. *d.* 24. vult, Diaconatum non esse verum Sacramentum: notat D. Tournely, salva fide posse Diaconatum a ratione et efficacia veri Sacramenti excludi, quod idem observat Bellarminus *de Sacram. Ord. c.* 6. Rationes Durandi sunt: I. S. Cyprianus *ep.* 65. ait, Apostolos post ascensum Domini in coelum sibi constituisse Diaconos: ergo non sunt a Christo instituti. Et Vigilius P. *ep. ad Rustic.* dicit, Diaconos aliquos ad tempus constitui, sicut Sebastianus a Papa Diaconus constitutus fuit, absentibus Diaconis Stephano et Anatolio. Ergo Diaconatus non est quid permanens. *Resp.* S. Cyprianus vult, Christum immediate Diaconos non elegisse, sicuti Apostolos; sed ex hoc non sequitur, Diaconatum non esse a Christo institutum, relicta Apostolis libertate dignos ad hoc munus eligendi. Vigilius non de Ordinis Charactere, sed de officio loquitur; Sebastianum enim, quem, ut in obsequio contineret, Diaconum creaverat, novas turbas in Concilio Constantinopolitano excitantem ab officio et honore Diaconorum deiecit. II. In Diaconatu non datur potestas ad aliquid faciendum simpliciter, sed tantum, ut bene fiat; quae enim a Diacono fiunt, etiam a laico valido fieri possunt. *Resp.* Ad Sacramentum sufficit, ut detur ad bene vel melius faciendum, si- Solvuntur obiectiones

cuti datur in Confirmatione gratia et Character, ad fidem coram Tyranno facilius profitendam; quod simpliciter licet aegrius sine illa fieri potest.

Ritus ordinandi Diaconum. *Schol.* 2. Ordinatio Diaconi in Ecclesia Latina fit ritu sequenti: 1. Post longam orationem solus Episcopus manum dexteram extendens ponit super caput Ordinandi, dicens: *Accipe Spiritum S. ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus eius: in nomine Domini.* Putat autem Morinus *de SS. Ordin. p.* 3. *Exerc.* 9. *c.* 2. illa verba: *Accipe Spiritum S.* maioris securitatis causa modo post saeculum 12^{um} inserta esse, quando opinio invaluit, formas Sacramentorum modo imperativo esse enuntiandas, quia in antiquis Ritualibus non leguntur. 2. Manum extensam super Ordinandum tenens, prosequitur Orationem: *Emitte, in eum, quaesumus, etc.* 3. Stolam imponit super humerum eius siuistrum, dicens: *Accipe Stolam candidam etc.* 4. Induit eum Dalmatica, dicens: *Induat te Dominus etc.* 5. Tradit illi Evangeliorum Librum tangendum, dicens: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis: in nomine Domini.* Apud Graecos Diaconi ita ordinantur: 1. Postquam Episcopus caput Ordinandi ter signavit signo Crucis, tenens manum impositam super eum, dicit: *Divina gratia, quae semper infirma curat, et imperfecta perficit, promovet N. Reverendum Subdiaconum in Diaconum. Oremus igitur pro ipso, ut veniat super eum gratia Spiritus S.* 2. Episcopus ter eius caput signat, ac ei imposita manu, orat: *Domine Deus noster, qui praecognitione tua etc.* Et postea dicit aliam Orationem: *Dominus Deus noster etc.* 3. Circumdat ei Stolam, et flabellum illi porrigit, dicens: *Dignus etc.* et salutant eum omnes Diaconi, et Diaconus recens ordinatus stat a dextris S. Mensae aerem ciens super S. Mysteria.

Art. 3. *De materia, forma, et officiis Diaconi.*

Materia et forma Diaconatus. § 1151. 1. Materia Diaconatus essentialis, est impositio manus Episcopi; et forma essentialis, illa oratio: *Accipe Spiritum S. ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus eius: in nomine Domini.* Nam. 1° impositionis manus et orationis expresse meminit S. Scriptura in Ordinatione septem Diaconorum: *Act.* 6. *Orantes imposuerunt eis manus.* Et Concilium Carthaginense IV. accurate referens Ordinationem Diaconi, solam manus impositionem recenset *can.* 4. 2° Ex antiquissimis Ritualibus apparet, manus impositionem semper in Ordinatione Diaconi fuisse adhibitam: ergo est materia essentialis.

2. Traditio vero libri Evangeliorum cum forma: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis: in nomine Domini:* est materia et forma integralis. 1° Quia traditionis Libri Evangeliorum nec S. Scriptura meminit, nec per decem priora saecula eius usus in Ecclesia Latina fuit, nec hodie in Ecclesia Graeca obtinet. Ergo non est materia essentialis; alias olim

sine ea invalida fuisset Ordinatio. Est tamen materia integralis. 2° Quia Florentinum in Decreto ait: *Diaconatus vero traditur per libri Evangeliorum dationem.* Et in Pontificali Romano a. 1582. iussu Gregorii XIII. edito, dum tradit Episcopus Diacono Librum Evangeliorum, in margine notatur: *In hoc actu imprimitur Character huius Ordinis.* 3° Verba cum hac traditione coniuncta exprimunt ministerium, et potestatem huius Ordinis. Ergo erit materia integralis, saltem in Ecclesia Latina ex illius determinatione; siquidem Christus impositionem manus non ita instituit, ut Ecclesiae potestatem non reliquerit, aliam materiam integralem adiiciendi.

Schol. Circa materiam et formam Diaconatus variae sunt Theologorum sententiae. Aliqui pro materia solam manus impositionem assignant. Alii Stolae et manus impositionem, ac traditionem Libri Evangeliorum. Alii solam traditionem Libri Evangeliorum. Verum hae sententiae ope nostrae distinctionis conciliari possunt.

§ 1152. Officia Diaconi sunt: 1. Inservire Sacerdoti sacrificanti, ministrando hostiam cum patena, et vinum in calice cum Sacerdote, sustentato brachio dextro illius, offerendo cum Oratione: *Offerimus tibi etc.* Huius officii meminit S. Ambrosius *l. 1. off. c. 41.* ubi S. Laurentius ita S. Sixtum alloquitur: *Numquam sacrificium sine ministro offerre consueveras.* 2. Cantare solemniter Evangelium in Missa, hoc est, cum veste propria Diaconi, scilicet Stola transversa; uti patet ex S. Hieronymo *ep. 48. ad Sabinian. Evangelium Christi quasi Diaconus lectitabas.* 3. Dispensare SS. Eucharistiam ex commissione Sacerdotis, iuxta Conc. Arelatense *III. c. 15.* 4. Baptizare solemniter cum licentia proprii Sacerdotis, ex rationabili causa concessa, sine qua baptizans incurrit Irregularitatem: *c. 1. de Cler. non ord. minist.* 5. Praedicare, id est, per modum Catechismi exponere articulos fidei: ex pulpito vero per modum concionis praedicare verbum Dei, Diacono solum ex commissione Parochi licet. Quando vero Diaconus ministrat solemniter SS. Eucharistiam, praedicat, vel baptizat, debet esse indutus Alba et Stola transversa. Officia Diaconi.

Praedico, Baptizo, Dispenso, Canto, Ministro.

Schol. Olim etiam Diaconi urgente necessitate poenitentes reconciliabant, non Absolutione Sacramentali, sed Caeremoniali et Canonica. Item curam habebant afflictorum, et dispensationis aerarii Ecclesiastici. Cumque aliquando Presbyteris se praeferrent, et sine iussu Episcopi aut Presbyteri SS. Eucharistiam et Baptismum administrarent, et Romae ad testimonium Diaconi Presbyteri ordinarentur, ac quia magna auctoritate, gratia et frequentissimo accessu apud Episcopos gaudebant, eorum iurisdictionem exercerent: eorum audacia repressa fuit in Concilio Carthaginensi IV. et Nicaeno I. et Arelatensi II. ubi ministri Presbyterorum declarati sunt.

Coroll. Pract. 1° Ut quis valide ordinetur Diaconus, debet esse mas, baptizatus, habere intentionem suscipiendi Ordinem, et debita materia et forma a legitimo Ministro adhiberi. 2° Ut quis licite Dia- Resolvuntur casus.

conatum suscipiat, debet esse confirmatus, nulla Censura vel Irregularitate irretitus, habere Ordines praecedentes, legitimam aetatem, scilicet annum 23^{um} inchoatum, et competentem scientiam circa ea, quae sunt sui officii, nec esse coniugatus.

Art. 4. *De Presbyteratu, variisque Presbyterorum gradibus.*

Presbyteratus quid? § 1153. Tertius Ordo sacer et maior est *Presbyteratus*, per quem datur potestas consecrandi Corpus Christi, et peccata dimittendi.

Gradus Presbyterorum. *Schol.* 1. Presbyter comparativum est vocabuli πρέσβυς *Senex*, et Seniorem significat, non aetate, sed propter honorem et dignitatem, ait S. Isidorus *l.* 7. *orig. c.* 12. In veteri testamento nomen Presbyteri pro Magistratu plebis accipitur: apud nos proprie significat praefecturam Ecclesiasticam in Ordine ad specialem potestatem spiritualem consecrandi, et peccata dimittendi. Presbyterorum varii gradus sunt. Primus est *Cardinalium*, quorum nomen in Ecclesia antiquissimum est, sed a moderno quoad rem significatam diversum. Olim quippe Cardinalis dictus fuit certae Ecclesiae Cathedrali incardinatus: item omnis Presbyter vel Diaconus in certa Ecclesia institutus, ad differentiam aliorum Clericorum non fixorum, et solum Subsidiariorum. Cum vero Roma successu temporis in Fide Catholica crevisset, divisa fuit in certas regiones et Ecclesias, quae tituli dicebantur, et Presbyteri earum curam habentes vocabantur Presbyteri Cardinales; in Diaconis vero, quae erant loca, in quibus per Diaconos, pauperes, viduae etc. alebantur, erant Diaconi Cardinales: dirutis vero his hospitalibus, solis eorum sacellis Diaconiae nomen permansit, a quibus Diaconi Urbis Romae dicti sunt. Porro praedicti Presbyteri et Diaconi Cardinales constituebant Pesbyterium Romani Pontificis, qui eorum consilio et opera utebatur, adeo ut eorum dignitas successive semper creverit: donec tandem electio Papae ad Cardinales privative forte circa saeculum undecimum devenerit. Innocentius IV. ipsis rubeum pileum tradidit, cum ad regendas terras Status Ecclesiastici mitterentur; qui deinde omnibus Cardinalibus communis factus fuit. Paulus III. Birretum coccineum indulsit: Urbanus VIII. titulum Eminentissimi concessit. His privilegiis deprimebatur Episcopalis dignitas, adeo ut Cardinales in conventu coram Papa sederent tectis capitibus, Archiepiscopis et Episcopis stantibus: contra quem morem dum Bartholomaeus de Martyribus Archiepiscopus Braccarensis in Concilio Tridentino querelas movisset, etiam Episcopis more Cardinalium tectis capitibus sedere permissum fuit: Cardinales sunt triplicis generis: Cardinales Episcopi; Cardinales Presbyteri, Cardinales Diaconi. Cardinales Episcopi olim incogniti fuerunt, quia nullus Romae praeter Episcopum Romanum Ecclesiae Romanae Cardinalis Episcopus dici poterat. Ast saeculo undecimo et duodecimo Ecclesiae Lateranensi ob suam et Romani Episcopi excellentiam septem Episcopi ex vicinis civitatibus assignati sunt, qui statis solemnibus diebus singuli coram Romano Pontifice in eadem Basilica divina Mysteria celebrarent, vel

Papae celebranti assisterent; unde Episcopi Cardinales nominari coeperunt. Paulus IV. numerum Cardinalium ad 70. reduxit; quem numerum respondentem ad 70. Christi discipulos Sixtus V. retinendum esse decrevit. Quare hodie sunt 6. Episcopi, 50. Presbyteri, 14. Diaconi Cardinales. Vid. *Ius. Eccl.* Van-Espen. Vide meas *Inst. I. E. tom.* 1. § 153. *et seq.*

Schol. 2. Alius gradus Presbyterorum est *Archipresbyteratus*. Officium Archipresbyteri est functio internae iurisdictionis circa administrationem Sacramentorum: assistebat Episcopo in Missa, eoque impedito, ipse Missam solemniter celebrabat. In multis dioecesibus non amplius habetur, sed eorum loco instituti sunt *Decani Rurales*, quorum iam saeculo IX. Riculfus Seuonensis meminit, qui moribus Parochorum sui Capituli invigilare, eosque singulis annis visitare debent. Vide *Instit. I. E. tom.* 1. § 239. *et seq.* **Archipresbyter.**

Schol. 3. Archidiaconi potestas olim potissimum spectabat forum externum, quoad res iudiciales contentiosas. Cum vero Archidiaconi potestate sibi concessa independenter ab Episcopis uti vellent, Episcopi alios constituerunt Vicarios ad nutum revocabiles, qui dicuntur *Vicarii Generales*. Vide *Inst. I. E. tom.* 1. § 236. *et seq.* **Vicarius Generalis.**

Schol. 4. *Poenitentiarius* olim Episcopum in audiendis Confessionibus adiuvabat. Apud Graecos antiqua est Poenitentiarii institutio, teste Socrate *l.* 5. *c.* 19. Apud Latinos non semper in Ecclesia Cathedrali Poenitentiarius fuit; nam publicae Poenitentiae administratio penes Episcopum erat, uti constat ex Conc. Carthaginensi III. *can.* 31. Concilium Lateranense IV. a. 1215. *can.* 10. praecipit, in Cathedralibus Ecclesiis viros idoneos ordinari, quos Episcopi coadiutores habeant in Confessionibus audiendis, et Poenitentiis iniungendis. Et Tridentinum de eodem Poenitentiario *Sess.* 24. *c.* 8. statuit: *In omnibus etiam Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, Poenitentiarius aliquis cum unione Praebendae proxime vacaturae ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel Doctor, vel Licentiatus in Theologia vel iure Canonico, et annorum quadraginta. seu alius, qui aptior pro l. • qualitate reperiatur, qui dum Confessiones in Ecclesia audiet, interim praesens in Choro censeatur.* Hinc Poenitentiarii officium est, loco Episcopi Confessiones audire, a casibus Episcopo reservatis absolvere, et congruam Poenitentiam imponere. Vide *Inst. I. E. tom.* 1. § 284. **Poenitentiarius.**

Schol. 5. Concilium Lateranense citatum etiam statuit, ut Metropolis *Theologum* habeat, qui Sacerdotes in S. Scriptura, et necessariis ad curam animarum instruat. Quod decretum per Synodum Basileensem *Sess.* 31. ad Ecclesias Cathedrales extensum fuit, ita ut Collator debeat Praebendam Magistro, Licentiato, vel Baccalaureo Theologiae conferre, qui bis aut semel S. Scripturam vel Theologiam Scholasticam praelegat, et ut liberius studio vacare possit, nihil perdat, cum absens fuerit a Divinis. Quod decretum novo edito Tridentinum ad Ecclesias Collegiatas in insigni oppido existentes, et ad **Theologus.**

Monasteria ampliavit, *Sess.* 5. *c.* 1. *de ref.* Vide *Inst. I. E. tom.* 1. § 282.

Decanus. *Schol.* 6. *Decanus* dicitur, qui decem viris praeest. Dignitas Decanatus a regimine Monastico ad Capitula Canonicorum fluxit, qui cum olim vitam communem agerent, primum post Episcopum sedentem, Praepositum vel Decanum vocabant. *Canonici* vero dicuntur a Canone vel regula, sive quod in Canonem seu Matriculam Ecclesiae sint relati; vel a Canone frumentario seu sportulis Ecclesiasticis, quia stipendiis annuis vel menstruis ex redditibus Ecclesiae alebantur. Vide *Instit. I. E. Tom.* 1. § 267. *et seq.*

Canonicus.

Parochus. *Schol.* 7. *Parochia* subinde generaliter pro tota dioecesi sumebatur: uti apud Eusebium *l.* 1. *c.* 1. subinde pro particulari Ecclesia, certo Territorio definita, cui Presbyter praeest, *Parochus*, Pastor, vel Rector dictus. Parochos ab initio Ecclesiae extitisse, dictum est (t. 1. § 33. Sch. 3.).

Abbas. *Schol.* 8. In statu etiam Regulari inter Presbyteros gradus dantur. Coenobii Praefectus, iam olim *Abbas*, Maior, Praelatus, Praesul et Pater dicebatur, uti constat ex Regula S. Benedicti. Abbates saeculo undecimo a Ioanne XVIII. P. vel iuxta alios XX. acceperunt usum ornamentorum Pontificalium. Usus baculi iam ante alia ornamenta illis concessus fuit. *Sudariolum* autem olim baculo Abbatiali appendebatur, tum ad distinctionem baculi Episcopalis; tum in signum subiectionis Episcopo. Saeculo VIII solemnis Abbatum benedictio nondum in usu fuit, quae videtur cum usu Pontificalium incepisse. Vid. *Inst. I. E. tom* 1. § 311. *et seq.*

Prior. *Schol.* 9. Qui olim dicebatur Praepositus, hodie in Monasteriis *Prior* dicitur. Priores, alii sunt *Claustrales*, qui curam Monasterii sub Abbate gerunt: alii *Obedientiarii*, qui in obedientiis sive Cellis a principali Monasterio dependentibus, quas Prioratus vocamus, curam Monachorum ibi degentium sub obedientia principalis Monasterii gerunt. *Obedientiae* hae, *Cellae, Praepositurae*, seu *Grangiae*, inde ortae sunt, quod cum Monachi in variis locis praedia possiderent, eo interdum aliquos e suis mittebant, qui fruges colligerent, et redditus reciperent: subinde etiam erant Cellae, ubi Monachi vitam solitariam agebant, et quo aliqui mittebantur, ut petentibus in Monasterio locum darent. Cum vero subinde plures Monachi in eiusmodi cellas mitterentur, Ecclesiolas ibi construebant, ut Officia Divina, et Monastica munia obirent, quibus talis Prior Foraneus et ruralis praeficiebatur. Hi claustrales et obedientiarii Priores subsunt Abbati, et sunt ad eius nutum Amovibiles. *Priores Conventuales* sunt primarii Monasteriorum Rectores a Congregatione electi: *Provinciales* a Capitulo Provinciali: *Generales* a Capitulo generali eliguntur. Vide *Inst. I. E. tom.* 1. § 330.

Art. 5. *De Sacramento Presbyteratus.*

Presbyte- § 1154. Presbyteratus est verum ac proprium novae Legis Sacra-

mentum, quo confertur non solum ministerium verbi Dei, sed potestas SS. Eucharistiam conficiendi et offerendi; et a peccatis absolvendi. Probatur 1° iis rationibus, quae (§ 1130.) sunt allatae. Quippe in Ordinatione Sacerdotum adest materia, sive sit impositio manuum, sive traditio instrumentorum, sive utrumque, de quo postea: adest verborum forma: per eam confertur spiritualis potestas: est a Christo instituta in ultima Coena quoad potestatem consecrandi, quando Christus Apostolis dixit. *Luc.* 22. *Hoc facite in meam commemorationem:* et quoad potestatem absolvendi, *Ioan.* 20. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (§ 1131.): est annexa illi gratia sanctificans (§ 1130.). Ergo est verum Sacramentum. Unde Tridentinum *Sess.* 23. *can.* 1. *Si quis dixerit, non esse in novo Testamento Sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi, et offerendi verum Corpus et Sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi; sed officium tantum, et nudum ministerium praedicandi Evangelium; vel eos, qui non praedicant, prorsus non esse Sacerdotes; anathema sit.* ratus est verum Sacramentum.

Schol. 1. Ritus ordinandi Presbyteros apud Latinos, est: 1. Facta adhortatione ad Ordinandos, Episcopus ambas manus super uniuscuiusque caput imponit, quod idem faciunt Sacerdotes Ordinationi praesentes. Deinde Episcopus, et alii Sacerdotes tenent manus extensas super Ordinandos, et Episcopus orat: *Oremus, fratres etc.* 2. Episcopus Stolam ab humero sinistro super dextrum ante pectus in formam Crucis adaptat singulis, dicens: *Accipe iugum Domini etc.* 3. Imponit Casulam ad scapulas, dicens: *Accipe vestem Sacerdotalem etc.* 4. Ambas manus inungit oleo Catechumenorum, dicens: *Consecrare et sanctificare digneris etc.* 5. Tradit cuilibet Calicem cum vino et aqua, et Patenam superpositam cum hostia, et ipsi illam accipiunt inter indices, et medios digitos, et cuppam calicis, et patenam cum hostia simul tangunt, et Episcopus singulis dicit: *Accipe potestatem offerre Sacrificium etc.* 6. Sub finem Missae Episcopus ambas manus super capita singulorum imponit singulis, dicens: *Accipe Spiritum S. quorum remiseris peccata, etc.* 7. Explicans Casulam singulis, ait: *Stola innocentiae induat te Dominus.* Ritus ordinandi Presbyteros apud Latinos.

Schol. 2. Apud Graecos ritus ordinandi Presbyteros hic est: 1. Episcopus Ordinandi frontem ter signo Crucis signat. 2. Dextram manum capiti Ordinandi impositam tenens, exclamat: *Divina gratia, quae semper infirma curat, et ea, quae desunt, adimplet, promovet N. devotissimum Diaconum in Presbyterum. Oremus pro eo, ut veniat super eum gratia Sanctissimi Spiritus.* 3. Iterum eum ter signat, manu super caput imposita aliam Orationem dicit, et Stolam ad pectus reducit. 4. Induit eum Casula, et Ordinandus Episcopum osculo salutat, et Presbyteros, et stans in loco Presbyterorum, Liturgiam cum iis recitat. 5. Episcopus particulam SS. Eucharistiae iuxta Goarium, vel panem non consecratum iuxta morem Russorum, Ordinato porrigit. Apud Graecos.

ART. 6. *De materia et forma Presbyteratus.*

Materia Presbyteratus.

§ 1155. 1. Materia essentialis Presbyteratus probabiliter est sola manus impositio secunda (§ 1154. Sch. 1. n. 1.); et forma, oratio illi coniuncta. 1° Quia S. Scriptura solius manuum impositionis meminit: 1. *ad Tim.* 5. *Manus cito nemini imposueris*: et *c.* 4. *Noli negligere gratiam, quae est in te, quae data est tibi per impositionem manuum Presbyterii.* 2° Concilium Carthaginense IV. in Ordinatione Presbyteri nonnisi manus impositionem recenset, Conc. Hispalense II. *c.* 5. irritas declarat Ordinationes quando Episcopus manum imponit; Presbyter vero loco eius formam pronunciat. Conc. Coloniense 1536. c. 1. dicit, manus impositionem esse ostium, per quod intrant, qui Ecclesiarum gubernaculis admoventur. Conc. Moguntinum 1549. *c.* 35. collationem Ordinum cum impositione manuum veluti visibili signo tradi affirmat: et Tridentinum *Sess.* 14. *c.* 3. loquens de ministro Extremae Unctionis ait: esse *Episcopos aut Sacerdotes rite ordinatos per impositionem manuum Presbyterii.* 3° Accedunt Patres. S. Cyprianus *ep.* 98. ait, Ordinationem fieri per *impositionem manuum.* S. Ambrosius *de dignit. Sacerd. Homo manus imponit, et Deus largitur gratiam.* S. Hieronymus *in c.* 58. *Is.* dicit, *per manus impositionem impleri Ordinationem.* S. Gregorius Magnus in *Sacram. Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, et manum super caput eius tenente, etiam omnes Presbyteri, qui praesentes sunt, manus suas iuxta manum Episcopi super caput eius teneant.* Deinde nec S. Isidorus, nec Amalarius, nec Rabanus, nec Alcuinus, nec Walafridus expresse de Ordinationibus scribentes, aliam materiam, quam manus impositionem, commemorant, uti Martene *de ant. rit.* observat. Neque aliam materiam adhibent Graeci, nunquam ob hoc reprehensi. Denique S. Bonaventura in *d.* 24. idem sentit cum S. Thoma, qui 3. *p. q.* 83. *a.* 4. scribit: *Manus impositio fit in Sacramento Ordinis in quo confertur quaedam excellentia potestatis in Divinis Mysteriis.*

2. Traditio vero instrumentorum est tantum materia integralis. Nam 1° Traditionis instrumentorum non fit mentio in S. Scriptura: eam non adhibent Graeci, valide tamen ordinantes: et illam Ecclesia Latina modo a 700. annis adhibet, licet difficile sit huius ritus initium determinare. Codex Abbatis Constantini 700. annorum huius porrectionis meminit: et P. Martene *l.* 1. *de ant. rit.* c. 8. dicit, eam reperiri in Pontificali Radbodi Episcopi Noviomensis, cuius character accedit ad annos octingentos. 2° S. Scriptura, recensendo manus impositionem et orationem, omne sensibile ad Sacramentum sufficiens refert. Ergo, quidquid illi additur, est solum materia vel accidentalis, vel integralis; praesertim cum traditionis instrumentorum serius mentio occurrat, et Ecclesia circa substantiam Sacramentorum nihil mutare possit.

3. Ultima manus impositio sub finem Missae cum illis verbis: *Ac-*

cipe Spiritum S. quorum remiseris peccata, etc. licet omnino sit adhibenda, videtur tamen solum ad maiorem potestatis iam collatae significationem pertinere. 1° Quia ultima illa manus impositio iam supponit consecratos Sacerdotes; siquidem re ipsa iam Corpus Christi cum Episcopo consecrarunt. 2. Haec Caeremonia per mille et ducentos annos in Ecclesia fuit incognita, et in nullis Ritualibus ante hoc tempus legitur, licèt alios ritus copiose describant: imo, prout observat Maior a. 1516. in Libros Sententiarum scribens, in multis adhuc Ritualibus variarum Ecclesiarum haec ultima manus impositio cum sua forma decrat. 3° Nullibi apud Graecos illa manus impositio cum sua forma apparet: et Concilium Cathaginense solius manuum impositionis ab Episcopo et praesentibus Presbyteris factae, sicuti etiam Tridentinum *Sess. 14. cap. 3.* tantum impositionis manuum Presbyterii meminit, licet illa Presbyterorum praesentium non sit essentialis. Ergo sola secunda manus impositio est materia essentialis.

Schol. 1. Estius et multi Thomistae docent, solam porrectionem instrumentorum esse materiam essentialem Presbyteratus: impositionem vero manuum vel confundunt cum porrectione instrumentorum, vel si qui distinguant, volunt eam solum esse Caeremoniam accidentalem. Bellarminus vero et alii volunt, tum impositionem manuum, tum porrectionem instrumentorum esse materiam essentialem Presbyteratus. Ut vero Graecos cum Latinis concilient, vel in ipsa impositione manuum veterum aliquam instrumentorum porrectionem intervenisse suspicantur; vel dicunt, Christum solum in genere materiam huius Sacramenti determinasse, et determinationem in specie Ecclesiae reliquisse; unde Ecclesia Graeca impositionem manuum, Latina porrectionem instrumentorum determinavit. Quia Eugenius IV. in Decreto solius porrectionis instrumentorum meminit. Et Innocentius *c. Pastoralis*, et Gregorius IX. *c. Presbyter, de Sacr. non iterand.* dicunt, iterandam non esse Ordinationem factam sine manus impositione, sed supplendum esse, quod omissum fuit. Et Gregorius addit, impositionem manuum esse ritum ab Apostolis introductum. *Resp.* Eugenius ibi solum materiam integralem assignare voluit, qua Armeni, quos instruit, carebant; unde assignat materiam in Ecclesia Romana necessario tum necessitate praecepti, tum integrationis adhibendam. Decreta illa Summorum Pontificum videntur favere nostrae sententiae; eo ipso enim, quod velint illam impositionem omissam esse repetendam cum sua forma sine aliis Caeremoniis, censent, eam etiam separatim ab illis esse efficacem et essentialem. Gregorius non vult, quod Apostoli illam impositionem instituerint, sed quod illi primi in Ordinatione hac impositione a Christo instituta usi fuerint. II. Pontificale Romanum post impositionem manuum vocat Presbyteros *Ordinandos*, et modo post traditionem instrumentorum vocat *Ordinatos*. *Resp.* Post impositionem manus merito vocantur Presbyteri Ordinandi, quia porrectio instrumentorum necessaria est usu

Solvuntur obiectiones.

ac praecepto Ecclesiae ad integralem perfectionem Ordinationis; nec absolute aliquis ordinatus dici potest, nisi omnes ritus Ecclesiae suae praescriptos maxime integrantes perceperit. III. Christus ordinavit Apostolos suos Sacerdotes, tradendo Corpus et Sanguinem suum dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, sine impositione manuum. *Resp.* Fictitium est, Christum per porrectionem Calicis Apostolos Sacerdotes ordinasse; constat enim ex *c.* 22. *v.* 16. *Lucae*, Apostolos sibi invicem Calicem distribuisse; unaque est sententia, Apostolos sine Sacramento sola Christi voluntate fuisse ordinatos Presbyteros. IV. Communis est Theologorum sententia, porrectionem instrumentorum esse materiam Presbyteratus essentialem: ergo saltem erit partialis, quia Ecclesia eam in specie determinavit, cum Christus non determinaverit. *Resp.* Theologorum sententiis in tantum credendum, in quantum ex S. Scriptura, et Traditione probantur, quod in nostro casu non praestant; unde hodie illa sententia non est communis, sed multi nobiscum sentiunt. Deinde unde probatur, Christum materiam Presbyteratus in specie non determinasse? Certe S. Scriptura et traditio docent, Apostolos Diaconos, et Presbyteros sola manuum impositione ordinasse, huncque morem Ecclesia usque ad saeculum decimum semper et ubique retinuit. Quomodo contra haereticos probabimus, Ordinem esse Sacramentum, si manus impositionem esse illius materiam negemus, vel porrectionem instrumentorum esse eius materiam essentialem partialem dicamus, cum illius nec in S. Scriptura, nec in Traditione decem primorum saeculorum mentio occurrat?

An tertia manus impositio sit essentialis?

Schol. 2. Tertiam manus impositionem in fine Missae cum illis verbis: *Accipe Spiritum S. etc.* pro materia saltem integrali plures assignant. I. Quia Tridentinum ait, Episcopos non frustra dicere: *Accipe Spiritum S. etc.* Ergo supponit, per haec verba conferri Spiritum S. ad dimittenda peccata. *Resp.* Concilium tantum contra haereticos definit, per S. Ordinationem dari Spiritum S. et imprimi Characterem; at nullibi dicit, per haec verba: *Accipe Spiritum S.* gratiam infundi. II. Verba illa: *Accipe Spiritum S.* sunt enuntiativa: ergo debent re ipsa operari, quod significant. *Resp.* Haec verba solum magis expresse declarant collatam iam potestatem: hinc enuntiatio non est falsa, sed declarativa rei iam peractae; nam eadem actione, qua datur potestas in Corpus Christi naturale, seu offerendi Sacrificium, datur etiam potestas in Corpus Christi mysticum, dimittendi peccata. III. Christus re ipsa diversis operationibus, et temporibus concessit potestatem consecrandi Eucharistiam in ultima Coena, et dimittendi peccata post Resurrectionem. *Resp.* Multa fecit Christus, ad quae in Sacramentis conficiendis non obligamur: sic ordinando Apostolos Sacerdotes, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem:* ordinavit eos post Coenam: insufflavit in illos, quando dixit: *Accipite Spiritum S.* quae omnia ad Ordinationem non sunt absolute necessaria. Deinde Christus in Coena Apostolis facultatem radicalem

dimittendi peccata dedit, sed ligatam usque ad tempus, quo Sacramentum Poenitentiae instituit, et eos post Resurrectionem in orbem misit; sicut modo Sacerdotes in Ordinatione accipiunt radicalem potestatem dimittendi peccata, sed suspensam, usque dum accipiunt iurisdictionem ab Episcopo (§ 1095.).

Schol. 3. An requiratur, contactus physicus instrumentorum, disputant Theologi. Probabilius eum requirit P. la Croix contra P. Layman: tum quia ita habet usus et praxis Ecclesiae: tum quia sine contactu physico verba formae physice non verificantur; non enim censetur quis rem aliquam physice accipere, nisi eam physice tangat. **An requiratur contactus physicus.**

Coroll. Pract. 1° Cum in Sacramentis administrandis debeamus sequi sententiam tutiorem, hinc non licet practice secundam vel ultimam manus impositionem, vel traditionem calicis cum vino aqua mixto, et patenae cum hostia omittere. Calix autem et patena non debent esse necessario consecrata, quia nulla lex irritans habetur, sed tantum praecipiens, ut licita sit Ordinatio. Si vero in calice loco vini aqua fuerit, dubia foret Ordinatio, adeoque sub conditione repetenda. 2° In impositione manus utraque manus iuxta Pontificale Romanum imponi debet; sufficit tamen, si manus chirothecis tectae imponantur. 3° Si quis tangat calicem et patenam, non vero hostiam, valet Ordinatio, quia Pontificale Romanum hoc non praescribit; et sicuti tacto calice censetur tangi vinum, ita tacta patena censetur tangi hostia: ad vitandos tamen scrupulos, melius etiam hostia tangitur. 4° Patena de necessitate Sacramenti non necessario tangi debet, sed solus calix; quia, cum patena sit illi imposita, sufficit eum tangere, ut id, quod illi superponitur, tangatur. Nec necesse est, ut utraque manu instrumenta tangantur, sed una sufficit: imo sufficit, si extremis digitis materia contingatur etiam solo ungue. Caret tamen Ordinandus, ut tam calcem, quam patenam et hostiam eo meliori modo, quo fieri potest, contingat; ut dubiis, et scrupulis occurrat; imo scrupulosis maximum solamen afferat, ne nimis anxie torqueantur, an tetigerint, vel non, traditum instrumentum, quod probabile sit, non esse necessarium necessitate Sacramenti talem physicum contactum. 5° Contactus hic non debet esse necessario immediatus, ita ut si casu medio aliquo velo, vel panno, vel chirotheca manui immissa instrumenta tangerentur, Ordinatio foret valida, licet quis graviter peccaret, si sine causa ex industria hoc faceret. Contactus tamen cum prolatione formae debet moraliter coniungi, ita ut, antequam Episcopus verba finierit, materia tangatur; et materia ab eodem ministro, a quo forma pronunciatur, tradatur. 6° Si certo constet, aliquid essentiale in Ordinatione esse omissum, Sacramentum de novo conferri debet: si dubium sit, tota Ordinatio sub conditione repetatur, maxime Sacerdotalis et Episcopalis: ubi tamen pro scrupulosis notat Granatensis *cont.* 9. oportere, timorem a dubio vel opinione distingui; non enim, quia quis timet, num rite ordinatus sit, aut quia non recordatur, se Vasa sacra tetigisse, aut **Resolvuntur casus.**

sibi hoc imaginatur, illico Ordo iterandus est: sola enim oblivio, vel timor non sufficit ad verum dubium aut probabilitatem; multa enim obliviscimur, quae re ipsa fecimus, et timor ac nimia sollicitudo tangendi instrumenta faciunt videri oblivioni traditum, quod re vera memoria tenemus. 7° Si omissa esset traditio instrumentorum, vel secunda manus impositio, tota ordinatio repeti debet: si vero ultima manuum impositio omissa sit, secunda impositio et traditio instrumentorum non necessario repetenda est; sed pars omissa, scilicet ultima impositio, est supplenda. 8° Si adsit probabilitas iuris vel facti, quod aliqua pars materiae non sit essentialis, in Sacerdotio et Episcopatu sub mortali tenetur quis Ordinem sub conditione de novo recipere, ob periculosas consequentias, ne a Sacerdote vel Episcopo Sacramenta invalide administrentur, cum maximo praeiudicio animarum: in aliis vero Ordinibus, si adsit probabilitas facti, v. g. quod omnia rite sint adhibita, non opus est, Ordinationem repetere; secus foret, si solum esset probabilitas iuris, v. g. an talis materia sit valida; ubi etiam inferiores Ordines sub mortali repetendi forent, quia praescripta materia saltem est de necessitate praecepti. 9° Si defectus circa accidentalia committatur, vel quia manus oleo non fuerunt iniunctae, vel praescriptae ad hoc orationes omissae, vel quia Ordinandus omisit proferre verba consecrationis, eiusmodi defectus sub mortali suppleri debent, et sine hac suppletione in suscepto Ordine ministrans peccat mortaliter; non tamen fit irregularis, quae Irregularitas lata est pro ministrantibus in Ordine non suscepto. Defectus vero leviores, v. g. si Ordinandus Canonem non diceret etc. ob parvitatem materiae non sunt supplendi. Si autem suppletur defectus gravior, suppleatur ab eodem Episcopo, si fieri possit, et non totum Sacramentum iteretur, sed tantum Caeremonia omissa suppleatur. Quod si dubitetur de omissione Caeremoniae accidentalis ex opinione probabili cum formidine oppositi, non est necesse de praecepto, hos defectus supplere, sed Ordinatus potest sequi opinionem probabilem, quam habet, dummodo certus sit, se omnia essentialia Ordinis suscepisse, sive sit probabilitas iuris, sive facti. Curet autem Neo-Presbyter, ut in Ordinatione verba consecrationis cum Episcopo absolvat, non ante, nec post: ubi etiam consultum est, ut renovet intentionem consecrandi, et ad tollendos scrupulos intendat facere, quod ibi vult fieri Ecclesia, eo meliori modo, quo fieri potest.

Art. 7. *De requisitis ad Ordinationem Presbyteri.*

Requisita ad validam Ordinationem. § 1156. 1. Ad validam autem Ordinationem Presbyteri ulterius requiritur, ut Ordinandus sit mas, baptizatus, et ut habeat debitam intentionem, et a vero Episcopo ordinetur, uti ex infra dicendis magis constabit.

Et licitam. 2. Ut autem licita sit Ordinatio, requiritur legitima aetas, scilicet 25. annorum saltem inchoatorum: ut sit constitutus in maioribus Ordinibus, ne per saltum ordinetur: ut non sit irretitus aliqua

Censura, vel Irregularitate: ut habeat scientiam officio suo competentem.

Coroll. Pract. 1° Qui cum aliqua Censura scienter ordinatur, peccat quidem mortaliter, valide tamen ordinatur; licet iuxta praescriptum Pontificalis, Episcopus protestetur ante Ordinationem, se nolle, aliquem Censura irretitum ordinare; nam in ordinando singulos debet habere intentionem absolutam eos ordinandi, si ei de Censura non constet. 2° Ordinandus debet esse in statu gratiae, et ieiunus, ut sacram Communionem possit suscipere, et ita Sacrificium per sumptionem consummare. 3° Presbyterandus ad Ordinem debet accedere Amictu, Alba, Stola, et Manipulo paratus, tenens Planctam super brachium sinistrum complicatam, et candelam in dextera, cum mappula alba pro ligandis manibus. 4° Scientia in Presbytero requisita iuxta Tridentinum consistit in eo, ut intelligat Sacrificium, materiam, formam, bonam animae dispositionem ad Sacramenta suscipienda et administranda, et in Theologicis Disciplinis sufficienter sit versatus. Deinde pietas vitae, morum innocentia, zelus gloriae Dei et salutis animarum, in Sacerdote vel maxime requiruntur. De quibus fuse tractant Ascetae, maxime P. Molina *de Sacerd.* Resolvuntur casus

Art. 8. *De Presbyterorum officiis.*

§. 1157. Officia Presbyteri ex Pontificali Romano sunt: Offerre Sacrificium: Benedicere: Praeesse: Praedicare: Baptizare, et alia Sacramenta SS. Eucharistiae, Poenitentiae, Extremae Unctionis, et Matrimonii administrare; de quibus in decursu huius tomi iam dictum fuit, et quod restat adhuc indicabitur. Officia Presbyteri.

Coroll. Pract. 1° Tres Missae ab Episcopo Ordinatis ad legendum impositae, scilicet *de Spiritu S.*, *de Beatissima Virgine; et de Requiem*, solum obligant sub veniali. 2° Primam Missam, quam Ordinandi cum Episcopo legunt, pro altero quidem offerre possunt; non tamen pro ea stipendium accipere: quia dubium esse posset, an re vera consecraverint, si forte verba non absolvant cum Episcopo. 3° Tempus primae Missae post Ordinationem celebrandae, non est a iure determinatum: Concilium Coloniense 40. dies ab Ordinatione assignat. Resolvuntur casus.

CAP. VII.

De Episcopatu, eiusque gradibus.

§ 1158. Presbyteri maiores et principes, vocantur Episcopi. Est igitur *Episcopatus* Ordo supremus, quo datur Presbytero potestas conferendi Sacramenta Confirmationis et Ordinis, regendique Ecclesiam sibi commissam, id est, Clerum et populum. Episcopatus quid?

Schol. 1. Episcopus ab ἐπὶ *super*, et σκοπέω *considero*, nomen trahit, et superinspectorem significat. Theodoretus putat, in primitiva Ecclesia Episcopi vocabulum iis proprium fuisse, quos nunc Pre- Episcopi nomen.

sbyteros vocamus; eos vero, quos nunc Episcopos dicimus, olim Apostolos esse nominatos, quia *ad Philipp.* 2. *v.* 25. Epaphroditus Philippensium Episcopus, Apostolus dicitur. E contra S. Epiphanius *haer.* 95. Episcopi nomen illis duntaxat in S. Scriptura tribui putat, qui proprie sunt Episcopi; nunquam vero Sacerdotibus simplicibus. Denique S. Chrysostomus cum aliis multis putat, tempore Apostolorum Episcopi nomen fuisse commune primi et secundi generis Sacerdotibus. Episcopi etiam vocantur Antistites, quasi ante alios Clericos stantes, iisque praesidentes. Item dicuntur Pontifices, id est, Sacra facientes, et Ecclesiarum Principes.

Patriarcha quis? *Schol.* 2. Episcoporum varii gradus in Ecclesia habentur. *Patriarchae* sunt Principes Episcopi, qui sub se habent Primates, et Metropolitanos. Olim tres solum Patriarchales Ecclesiae fuerunt, Romana, Alexandrina, et Antiochena, utpote quae a S. Petro fundatae (qui septem annis Antiochiae, deinde Romae usque ad mortem sedem fixit, Alexandriam vero S. Marcum misit), specialem praeminentiam meruerunt, et ex quibus velut Patribus et Matribus Religio se diffudit. Saeculo 4° accessit nova Sedes Patriarchalis Constantinopolitana, quae in Concilio Constantinopolitano I. locum medium inter caeteras obtinuit; ac tandem ob contradictionem praesertim Latinorum saeculo 5° in pacificam possessionem venit: quo etiam tempore Ecclesia Ierosolymitana in Patriarchalem erecta fuit. Minus principales Patriarchae sunt, qui inter Latinos ex Romani Pontificis indulgentia, vel inveterata consuetudine nomen Patriarchale gerunt, uti Aquileiensis, Venetus, Æthiopicus, et Indicus. Vide *Instit. I. E. tom.* 1. § 212. *et seqq.*

Primus Archiepiscopus. *Schol.* 3. *Primates* sunt Archiepiscopi potentiores et maiores. *Archiepiscopi* seu Metropolitani sunt, qui sub se habent alios Episcopos. Licet vero non constet, Metropoliticam dignitatem ab Apostolis olim esse institutam, eam tamen antiquissimam esse inficiari nemo poterit, quia illius Concilium Nicaenum I. in multis locis meminit. Metropolitani dicuntur a Metropoli, seu urbe praecipua, cui praesunt, sicuti etiam in politicis iam olim Metropoles institutae fuerant. In Africa Archiepiscopi non denominabantur ab urbe praecipua, sed ab ancienitate: et de facto post Decretales cum ius erigendi Archiepiscopatus ad Papam pervenit, non attenduntur urbes praecipuae; imo in Germania factum est, quod non sint eaedem Metropoles, Civilis, et Ecclesiastica. Olim enim Germania divisa fuit in tres Provincias: Cis Rhenanam, in qua Metropolis Civilis est Francofurtum; Ecclesiastica, Moguntia: in Ripuariam, ubi Metropolis Civilis est Aquisgranum, vulgo Aachen; Ecclesiastica, Colonia: et in Trans Rhenanam, ubi Metropolis Civilis est urbs Metensis, Metz; Ecclesiastica, Treviri, Trier. Vid. *Inst. I. E. tom.* 1. § 213. *et seqq.*

Art. 1. *De Episcoporum superioritate in Presbyteros.*

Episcopi § 1159. Episcopi potestate tum Ordinis, tum Iurisdictionis iure

Divino sunt Presbyteris superiores. Probatur 1° ex S. Scriptura; nam Christus ex Discipulis aliis alios praeposuit ordine dispari. Et quidem Apostolos in primo dignitatis gradu posuit, *Luc.* 6. *v.* 13. Septuaginta vero Discipulos in secundo, *Luc.* 10. *v.* 1. Sed iuxta PP. Origenem *hom.* 27. *in Num.* 33. S. Hieronymum *ep. ad Fabiol.* etc. Episcopi Apostolis, Presbyteri vero Discipulis succedunt. Ergo Episcopi sunt Presbyteris iure Divino superiores. Deinde 1. *ad Tim.* S. Paulus Timotheum Ephesiorum Episcopum ita instruit: *Seniorem ne increpaveris.* Et *v.* 19. *Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Quae verba expendens S. Epiphanius *haer.* 75. adversus Aetium concludit: *Quid attinebat Episcopo vetare, ne Presbyterum obiurgaret, nisi maiorem ipso potestatem obtineret?* Rursus *ad Tit.* 1. *v.* 5. Apostolus ait, se Titum in Creta reliquisse, ut constitueret per civitates Presbyteros: quod clare indicat, Titum Episcopum fuisse Presbyteris superiorem. Unde recte definit Tridentinum *Sess.* 23. *can.* 7. *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; anathema sit.* 2° Probatur ex Traditione. S. Ignatius *ep. ad Magnes.* dicit, Episcopum caeteris *praesidere, Deique locum tenere.* Origenes *hom.* 2. *in Ierem.* ait, Episcopis super Presbyteros commissum esse *regimen, et Principatum Ecclesiasticum.* S. Augustinus *haer.* 53. Aetium ideo inter haereticos recenset, quod Presbyterum ab Episcopo non discerneret. S. Hieronymus, cuius auctoritate potissimum abutuntur Presbyteriani, *ep.* 27. *ad Marcellam* ait: *Apostolorum locum Episcopi tenent.* Et *ep.* 33. *Ut Regi, sic Episcopo, imo minus Regi, quam Episcopo, honor deferendus.* Et S. Chrysostomus *l.* 3. *de Sacerd.* tribuit Episcopis summam auctoritatem et potentiam. 3° Episcopi possunt confirmare (§ 969.), ordinare, et Confessarios approbare (§ 1094.), Censuras ferre (t. 2. § 489.), quod Presbyteri non possunt, uti ex continua Traditione patet. Ergo Episcopi potestate Ordinis, et Iurisdictionis sunt Presbyteris iure Divino superiores.

Sunt Presbyteris superiores.

Schol. 1. Episcopus quoad potestatem Ordinis esse iure Divino Presbyteris superiores, est de fide: an vero etiam iure Divino sint Presbyteris superiores quoad potestatem Iurisdictionis, Ecclesia quidem hactenus expresse non definivit, licet Galli et Germani Episcopi, haec verba: *Iure Divino superiores*, Canoni citato Tridentini addi postulaverint, Italis recusantibus. Interim tamen Maldonatus *de Ord. c.* 8. putat, esse fidei proximum: Estius, esse efficaciter deductum ex S. Litteris: et Facultas Parisiensis oppositam sententiam notavit ut falsam, verbo Dei contrariam; et olim a. 1664. a se reprobatam.

Schol. 2. Aetius Presbyter Arianus saeculo 4°, invidia stimulante, quod Episcopatum obtinere non posset, ut seipsum solaretur, docuit, nihil esse discriminis inter Episcopum et Presbyterum. Similiter Wicleffus, postquam a spe consequendi Episcopatum Wigorniensem

Solvuntur obiectiones.

deiectus fuit, Aetii insaniam secutus est, teste Waldensi *l.* 2. *a.* 3. In eodem luto haesit Calvinus *l.* 4. *Inst.* c. 4. et in hoc errore propugnando plurimum desudarunt recentiores Puritani, praesertim Blondellus, et Salmasius sub larvato nomine Wallonis Messalini. I. Quia in primitiva Ecclesia iidem fuerunt Presbyteri et Episcopi. Sic *Act.* 14. *v.* 22. legitur, Apostolos constituisse per singulas civitates *Presbyteros*, id est Episcopos. Et *c.* 15. *v.* 2. 6. 22. numerantur *conventus Apostolorum et Seniorum* πρεσβυτέρους. 1. *ad Tim.* 4. *v.* 14. universus sacrorum ministrorum coetus vocatur *Presbyterium*. Et c. 5. *v.* 17. Presbyteri appellantur ii, *qui praesunt*. Et *Act.* 20. *v.* 17. *Presbyteri* a. S. Paulo convocati, dicuntur *v.* 28. *Episcopi*. Et *ad Philipp.* 1. S. Paulus gratiam adprecatur Sanctis omnibus cum Episcopis et Diaconibus, nulla Presbyterorum facta mentione. *Resp.* Ex dictis (§ 1158. Schol. 2.) patet, Presbyteri et Episcopi vocabula olim fuisse communia; munia tamen, ordo et gradus semper fuerunt distincta, uti ex § 1159. constat. II. S. Chrysostomus *hom.* 11. *in Ep. ad Tim.* ait: *Inter Episcopum et Presbyterum interest fere nihil; quippe et Presbyteris Ecclesiae cura promissa est, et quae de Episcopis dixit, etiam Presbyteris congruunt.* Et S. Hieronymus *in c.* 1. *ad Tit.* totus est in eo, ut Presbyteros Episcopis aequales faciat: unde docet, 1. Eumdem esse Presbyterum et Episcopum, et easdem in utroque dotes requiri. 2. Episcoporum distinctionem a Presbyteris initio Ecclesiae non fuisse, sed ad Schismata vitanda institutam esse. 3. Olim communi Presbyterorum, et Episcoporum consilio res Ecclesiae administratas fuisse. 4. Episcopos, magis Ecclesiae consuetudine, quam dispositione veritatis Dominicae, Presbyteris esse superiores. Et in *ep.* 85. *ad Evangel.* agit contra quemdam, qui Diaconos Presbyteris praeferebat, docens, eosdem esse Presbyteros, et Episcopos; et ait: *A Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocarunt, quem Episcopum nominarunt; quomodo si exercitus Imperatorem faciat: aut Diaconi eligunt de se, quem industrium noverint, et Archidiaconum vocant.* *Resp.* S. Chrysostomus solum vult, quod subinde Episcopi Presbyterorum nomine designentur, et Presbyteris etiam cura animarum committatur, et munus baptizandi ac absolvendi dependenter ab Episcoporum iurisdictione. S. Hieronymus dicit. 1. eumdem esse Episcopum, et Presbyterum nomine, non vero Ordine et Charactere. 2. dicit, Episcoporum distinctionem a Presbyteris ab initio non fuisse, nisi in remedium Schismatis, quantum ad usum externae iurisdictionis ac regiminis Ecclesiastici, in cuius partem vocabantur Presbyteri, et quo usu ob Schismata privati fuerunt; non vero quoad Characterem et iurisdictionem in radice. 3. ait, olim communi consilio Episcoporum et Presbyterorum gubernatas esse Ecclesias, sed non aequali potestate et auctoritate. 4. quando ait, magis Ecclesiae consuetudine, quam Divina dispositione Episcopos esse maiores Presbyteris, stat pro nobis; docet enim, a Divina dispositione hanc

superioritatem descendere, quam Ecclesiae consuetudo semper observavit, et probavit. Denique in *ep. ad Evang.* solum indicat, Episcopum ex Presbyteris electum fuisse, sicut Imperator ex militibus eligitur; qua electione et consecratione facta, est illis superior. III. Presbyteri habent Sacerdotium, quod iuxta Patres est praestantissima dignitas. Et S. Augustinus Episcopus non audebat se praeferre S. Hieronymo Presbytero; et totum discrimen inter Episcopum et Presbyterum in eo ponit, quod primum nomen officii, alterum aetatis sit. *Resp.* Sacerdotii culmen est Episcopatus, ad quod non omnes Sacerdotes ascendunt. S. Augustinus ex humilitate dicit se minorem S. Hieronymo aetate et eruditione, non vero Ordine Episcopali: et quia nomen Episcopi superinspectorem significat, sufficienter ab eo, quod ab aetate ducitur, distinguitur.

Art. 2. *De natura Ordinationis Episcopalis.*

§ 1160. Ordinatio Episcopalis videtur esse verum Sacramentum a Sacerdotio natura et Charactere distinctum. Nam 1° 1. *Ad Tim.* 4. c. 14. Apostolus loquitur de Ordinatione Timothei non solum in Sacerdotem, sed etiam in Episcopum, uti S. Chrysostomus, S. Anselmus, et S. Thomas observant. Sed ibi sermo est de vero Sacramento (§ 1130.). Ergo etiam Episcopatus est verum Sacramentum. 2° Tridentinum *Sess.* 23. *c.* 4. ait, Episcopos ad Ordinem Hierarchicum praecipue pertinere: eos esse positos a Spiritu S. regere Ecclesiam Dei: posse confirmare, et ordinare; quod inferiores Ordines non possunt. Sed in Ordine Hierarchico ponitur quis per verum Sacramentum. Ergo Episcopatus est verum Sacramentum. 3° Patres Ordinationem Episcopalem vocant Sacramentum: S. Leo *serm.* 1. *in die anniv. assumpt. Cum huius Divini Sacerdotii Sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones.* S. Gregorius *l.* 4. *in* 1. *Reg. c.* 5. *Qui in culmine ponitur, Sacramenta accipit unctionis.* 4° Episcopatus habet omnia ad verum Sacramentum requisita: habet enim manus impositionem ceu materiam sensibilem, et orationem tamquam formam: institutus est a Christo, et quidem tunc probabiliter, quando Christus dixit *Ioan.* 20. *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum S.* ubi gratiam et iurisdictionem dedit: sicut etiam collatio gratiae clare patet ex citato saepius textu 1. *ad Tim.* 4. Ergo est verum Sacramentum. Et quidem 5° distinctum a Presbyteratu, quia habet specialem Ordinationem, gratiam, Characterem, et potestatem a Presbyteratu distinctam; si enim esset solum extensio Characteris Sacerdotalis, vel esset quid reale, et sic non foret ratio, cur novum Characterem non imprimeret, cum aequalis efficacia ad extendendum Characterem, et novum imprimendum requiratur: vel esset relatio rationis, et sic potestatem realem non conferret.

Episcopatus est sacramentum distinctum a Sacerdotio.

Schol. Antiquiores Theologi cum S. Thoma, et S. Bonaventura docent, Episcopatum non esse Ordinem et Sacramentum a Presbyteratu distinctum, sed tantum extensionem Characteris Sacerdotalis ad

Solvuntur obiectiones.

novum officium, et ampliorem potestatem. I. Quia in Ecclesia septem solummodo Ordines numerantur: et Episcopatus non spectat ad Eucharistiam: imo sic etiam Archiepiscopatus foret Ordo distinctus. *Resp.* Episcopatus et Presbyteratus sub uno Ordine Sacerdotali continentur, quod Sacerdotium in duos ordines dividitur; unum, quo traditur potestas SS. Eucharistiam offerendi; alterum, quo datur potestas confirmandi, et Ordinandi. Hinc S. Optatus *l.* 1. Episcopos in primo, Presbyteros in secundo ordine ponit. Deinde Episcopatus ad SS. Eucharistiam spectat, conferendo potestatem, sacra Ordinatione illos consecrandi, qui SS. Eucharistiam conficiunt. Archiepiscopatus ab Episcopatu solum differt, quoad ampliationem iurisdictionis, non quoad potestatem. II. SS. PP. passim affirmant, Sacerdotium esse praestantissimum gradum, ad quem homo eluctari potest: ergo non datur gradus excellentior. *Resp.* Patres loquuntur de Sacerdotio, quatenus duos diversos Ordines complectitur.

Art. 3. *De necessitate Sacerdotii ad Ordinationem Episcopalem.*

Episcopatus supponit Ordinem Sacerdotalem.

§ 1161. Ordinatio Episcopalis necessario supponit Ordinem Sacerdotalem, sine quo irrita et nulla est. 1° Episcopus est Sacerdos, et quidem Summus (§ 1158.) Ergo Sacerdotalem Ordinem necessario supponit. 2° Concilium Sardicense Ischyrae Ordinationem reprehendit, quod, cum Presbyter non esset, Episcopus in mercedem calumniae contra S. Athanasium prolatae ab Arianis creatus fuisset: eamque vel ex eo solum capite nullam esse dicit, quod Presbyter prius non fuisset. Similiter Episcopi Ægyptii, et Clerus Alexandrinus Thimothei Celuri Ordinationem reiiciunt, quod Episcopus sine manus impositione extiterit, sed neque priorem habens Presbyteratus Ordinem Baptisma fecerit, id est, uti Hallier explicat, solemni et Episcopali ritu baptizaverit.

Solvuntur obiectiones.

Schol. 1. P. Martene *de ant. rit. c.* 8. *a.* 3. colligere videtur, olim nonnullos consecratos fuisse Episcopos, qui non erant Presbyteri. I. Quia Coelestinus P. *ep.* 2. *ad Episcop. Prov. Vienn. et Narbon.* conqueritur, quosdam Episcopos esse ordinatos sine ullis Ecclesiasticis Ordinibus. Et Photius *ep.* 70. ait, apud Latinos consecrari in Episcopos Diaconos, non suscepto prius Presbyteratu. *Resp.* Coelestinus conqueritur de omissis gradibus inferiorum Ordinum, et de insterstitiis non servatis; non vero de omisso Presbyteratu. Photius calumniae reus convictus est a Ratramno Corbeiensi *l.* 4. *contr. Graec. c.* 8. Et solum in eo Latinos reprehendit, quod non probatos in Ordine Presbyterali ad Episcopatum assumerent; quam criminationem Nicolaus I. in ipsos Graecos retorquet, qui Photium laicum sex dierum spatio in Patriarcham consecrarunt. II. Caecilianus Diaconus in Episcopum consecratus est, quia S. Optatus *l.* 2. *contr. Parmen.* Ordinis Sacerdotalis in eo non meminit. Et Constantinus Pseudopapa, teste Anastasio Biblioth. ex Diacono Episcopus factus est. *Resp.* Caecilianus Presbyter fuit; nam ipse contra adversarios suos ita argumen-

tatur: Si nihil accepi a Felice Aptungitano traditore, uti vos criminamini, quando Episcopus factus sum; ergo nec quando ab eo Presbyter ordinatus fui, et sic solum essem Diaconus: S. Optatus vero Ordinem Sacerdotalem in eo iam supponit. Ordinatio Constantini intrusi reprobata fuit, et merito supponi potest, eum prius Presbyterum ordinatum fuisse, licet Anastasius de hoc sileat.

Schol. 2. Apud Latinos Episcopus hoc ritu ordinatur. 1. Consecrator, accepto Libro Evangeliorum illum apertum adiuvantibus Episcopis assistentibus nihil dicens imponit super cervicem et scapulas Ordinandi. 2. Consecrator, et assistentes Episcopi ambabus manibus caput consecrandi tangunt, dicentes: *Accipe Spiritum S. etc.* quo dicto, Consecrator stans, deposita mitra, dicit; *Propitiare, Domine, etc.* 3. Consecrator caput electi Chrismate inungit, dicens: *Ungatur, et consecretur, etc.* similiter et ambas eiusdem manus, dicens: *Ungantur manus, etc.* 4. Consecrator baculum pastoralem benedicit, et dat consecrato, dicens: *Accipe baculum, etc.* 5. Annulum Benedictum dat consecrato, dicens: *Accipe annulum, etc.* 6. Consecrator accipit Librum Evangeliorum de scapulis consecrati, et adiuvantibus Episcopis assistentibus tradit eum clausum consecrato tangenti illum, dicens: *Accipe Evangelium, etc.* 7. Consecrator mitram benedictam imponit capiti consecrati, adiuvantibus Episcopis assistentibus, dicens: *Imponimus, Domine, etc.* Denique chirothecas benedictas manibus consecrati consecrator inserit, dicens: *Circumda, Domine, etc.* Vid. *Pontif. Rom.* Ritus Ordinationis Episcopalis apud Latinos.

Schol. 3. Apud Graecos Episcopus hoc ritu consecratur. 1. Ordinandus ad Pontificem aliosque assistentes Episcopos ad Altare deducitur, ibique fronte Altari incumbens utrumque genu flectit 2. Pontifici chartam porrigit Cartophylax, in qua haec verba leguntur. *Suffragio et consensu Deo amabilissimorum Episcoporum et Reverendorum Presbyterorum, Divina gratia, quae semper infirma curat, et ea, quae desunt, adimplet, promovet N. Deo Amabilissimum Presbyterum in Episcopum a Deo custoditae civitatis N. Oremus pro ipso, ut veniat super eum gratia Spiritus S.* 3. Pontifex una cum pallio imposita manu, Evangelii librum explicans, imponit cervici et capiti Ordinandi, contingentibus aliis Episcopis, et tres Cruces in eius capite exprimens, manumque ei impositam tenens, dicit orationem: *Domine Deus, etc.* qua expleta, unus assistentium Episcoporum submissa voce a vicinis Episcopis solum audienda, dicit: *In pace Dominum precamur, etc.* 4. Pontifex, imposita manu vertici Ordinandi, orat: *Dominus Deus noster, etc.* et dicto, *Amen*, elevat Codicem Evangelii, sanctae Mensae imponit, pallium Ordinato imponit, dicens: *Dignus, etc.* Ordinatum osculatur cum reliquis Episcopis, et post acclamationem consessum conscendit Consecratus et Ordinatus, qui primus sedens lecto Apostolo pacem precatur, primus communicat, et Ordinanti ac reliquis S. Communionem distribuit. Apud Graecos.

Art. 4. *De materia, forma, et Officiis Episcoporum.*

Materia Episcopatus.

§ 1162. Materia essentialis Episcopatus est manus impositio. Quippe materia essentialis Sacramenti Ordinis est manus impositio (§ 1130.) Sed Episcopatus est Ordo et Sacramentum. Ergo manus impositio est materia eius essentialis.

An impositio Libri Evangeliorum?

Schol. 1. Etiam impositio Codicis Evangeliorum est materia essentialis Episcopatus. Et forma, Oratio invocans Spiritum S. tum quia est antiquissima, in Ecclesia Latina et Graeca usurpata, cuius mentio fit in *Constit. Apost.* S. Dionysio *c.* 5. *Hierarch. Eccl.* S. Chrysostomo *hom. de legislat.* et Concil. Carthag. IV. *cap.* 2. tum quia huic impositioni coniungitur forma, quae spiritualem eius effectum significat, scilicet gratiam necessariam ad sustinendum pondus Evangelicae praedicationis. Non obstat I. Quando Codex Evangeliorum imponitur, nulla verba pronunciantur, et nullibi Patres huic impositioni specialem effectum tribuunt. *Resp.* Sufficit, quod, quando hic Codex imponitur, dicantur illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum*, et Consecrator dicat orationem: *Propitiare, etc.* quia cum his moraliter coniungitur impositio Codicis. Patres vero, qui hunc ritum referunt, ei spiritualem effectum tribuunt, uti S. Chrysostomus *hom. de legislat. Ut discat, se legibus istis subiici.* II. Impositio huius Codicis variat: alii clausum; alii apertum imponunt: Graeci super caput, et cervicem imponunt; Nestoriani supra dorsum: S, Clemens iubet, ut a Diaconis; Pontificale Romanum, ut ab Episcopis teneatur. *Resp.* Varietas haec nonnisi accidentaria est: et Diaconi Librum non imponunt, sed ab Episcopo impositum tenent, ne labatur.

An tres Episcopi ad consecrationem necessario requirantur?

Schol. 2. D. Tournely putat, ad consecrationem Episcopi duos saltem Episcopos comministros ita necessario esse adhibendos, ut sine illis non solum illicita, sed et irrita sit Ordinatio, in quo ne quidem Papa dispensare possit. Verior sententia videtur docens, plurium Episcoporum praesentiam ad valorem Episcopalis Ordinationis non requiri, sed tantum ad licitatem: 1. Quia S. Timotheus consecratus impositione manuum Presbyterii, dicitur specialiter a S. Paulo tantum ordinatus, 2. *ad Tim.* 1. *v.* 6. Et S. Titus in Creta post discessum Zenae et Apollinis solus remansit, ut costitueret per civitates Presbyteros, quo nomine etiam Episcopos intelligi colligitur ex *Ep. ad Tit.* 1. *v* 7. Deinde *l.* 8. *Const. Apost. c.* 27. legitur, *cogente necessitate Episcopum ab uno ordinari.* Item S. Gregorius M. *l.* 10. *epist.* 64. ad S. Augustinum Anglorum Episcopum ei concedit, ut sine aliorum Episcoporum praesentia Episcopum ordinare possit: et subdit: *Nam quando de Galliis Episcopi venient, illi in Ordinatione Episcopi tibi testes assistent.* Ergo potius sunt testes, quam Ordinantes. Deinde Theodoretus *l.* 5. *hist. c.* 23. refert, Evagrium ordinatum fuisse Episcopum Antiochenum a solo Paulino; et licet Paulinus contra Canones erraverit, nunquam tamen de valore Ordinationis Evagrii disputatum fuit: imo Innocentius *ep.* 22. *ad Bonif.* Ordinationes ab

Evagrio factas ratas habuit: et in *ep. ad Victricium* ideo ad Ordinationem Episcopi plures Episcopos requirit, *ne furtivum praestitum Beneficium videatur*. Denique an. 1686. die 29. Dec. Innocentius XI. indulsit Godefrido Episcopo Wirceburgensi, ut ab uno Episcopo cum assistentia duorum Abbatum consecraretur, testo Gavardo *tom.* 6. *Theol.* Nec dicas I. Praesentiam duorum saltem Episcoporum probari ex Traditione, scilicet, *ep.* 68. S. Cypriani, et *can.* 5. Concilii Antiocheni statuentis, aliter quam per plures factam Ordinationem non valere. *Resp.* Traditio solum probat, ad licitam Ordinationem requiri tres Episcopos, non vero ad validam. II. Synesius *ep.* 67. refert, Siderium a solo Philone Cyronensi in Episcopum Palaebiscum contra omnia iura ordinatum esse. *Resp.* Synesius Ordinationem Siderii solum ut illicitam reprobat; nam assorit, S. Athanasium Siderium Ptolaemaidem misisse, ut Metropolitanam Ecclesiam gubernaret, non memorata iteratione Ordinationis. III. Concilium Rhegiense a. 439. Armentarii Ordinationem in Episcopum reprobat, quia a duobus Episcopis facta fuit. Et Concilium Arausicanum I. *can.* 21. poena depositionis punit illos Episcopos, qui pauciores tribus aliquem in Episcopum consecraverint. *Resp.* Armentarius a Concilio Rhegiensi in Chorepiscopum quidem redigitur; ita tamen, ut ab eo ordinati in Clero remaneant, et ille non quidem ordinare, sed tamen confirmare possit, adeoque valida fuit eius Ordinatio. Similiter Concilium Arausicanum Ordinationem illam illicitam solum habet, cum non iubeat eam reiterari.

§ 1163. Episcopi officia sunt: 1. Docere, et verbi Divini pabulo pascere oves sibi commissas, *Matth.* 28. *Docete omnes gentes;* et hoc vel per se, vel per alios viros idoneos, si forte ipse Episcopus legitime impeditus fuerit: Trident. *Sess.* 5. *de ref.* 2. Sacramentum Confirmationis, et Ordinis administrare; ad quod requiritur, ut in dioecesi sua diligenter resideat. 3. Invigilare disciplinae ac morum sanctitati, et pro data auctoritate rebelles coercere; unde iuxta Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 3. *de ref.* dioecesim suam per seipsum, vel si impeditus sit, per suum Vicarium Generalem visitare debet. Vide *Inst. L. E. tom.* 1. § 206. *et seq.* **Officia Episcopi.**

Art. 3. *De Episcoporum necessitate in Ecclesia.*

§ 1164. Ex his Episcoporum officiis apparet, eos esse Ecclesiae necessarios. 1° Quia Episcopatus est institutionis Divinae (§ 1160.), et permanenter in Ecclesia stabilitus: ergo est in Ecclesia necessario retinendus. 2° Hoc probat S. Chrysostomus *hom.* 34. *in Ep. ad Hebr. Magistratum ducemque et rectorem non habere malum est, et argumentum multarum calamitatum, et principium defectus ordinis et perturbationis ac confusionis... ita etiam si a grege pastorem abstuleris, omnia evertisti et delevisti.* 3° Accedit damnatio sequentium propositionum, facta a sacra Facultate Parisiensi, excerptarum ex duobus libellis, quorum priori titulus est: *Modesta et brevis discussio aliquarum assertionum D. Kelli-* **Episcopi sunt necessarii.**

soni in Tractatu de Eccles. Hierarch. Auctore Nicolao Smithaeo. Alteri: *Apologia pro modo procedendi S. Sedis Apostolicae in regendis Angliae Catholicis tempore persecutionis, Auctore Daniele a Iesu.* In his sequentes propositiones sunt damnatae. 1. *Ordinatio Presbyterorum, et ministrorum Ecclesiae sola est causa, quae infert necessitatem Episcoporum.* 2. *Ponamus Ordinationem Sacerdotum, et ministrorum Ecclesiae non esse necessariam in Ecclesiis, sequitur statim, non esse opus, ut Ecclesia universalis gubernetur ab Episcopis, qui superiores sint Sacerdotibus, etc.*

Quinam fuerint Chorepiscopi? *Schol.* Quaeritur, an Chorepiscopi fuerint veri Episcopi: Chorepiscopus autem ex etymo nominis est Episcopus ruris vel pagi. Chorepiscoporum prima mentio occurrit in Concilio Ancyrano *can.* 12. Et in Concilio Neocaesareensi *can.* 113. quae Concilia cum fuerint celebrata circa annum 314. cumque Chorepiscopos non instituant, sed institutos supponant, dicendum est, saltem sub finem saeculi tertii Chorepiscopos extitisse. Ab initio instituti fuerunt, ut in pagis vices Episcoporum fungerentur, Ecclesias rurales regerent, pauperibus eleemosynas distribuerent, formatas, et pacificas communionis litteras darent, Ordines minores et Subdiaconatum conferrent, Sacramentum Confirmationis administrarent, templa ac Virgines consecrarent. Cum vero in Occidente Episcopalia iura invaderent, de illis eliminandis actum est saeculo 8°. Item cum saeculo 8° et 9° nonnulli Episcopi ex desidia, et functionum Episcopalium taedio subsidiarios Chorepiscopos eligerent, in quos levi pretio conductos totum onus Episcopale reiicerent, dum ipsi opibus, otio, et quieti in aula Principum indulgerent; hic abusus Carolo M. ansam dedit, ut in Capitularibus *l.* 6. c. 121. Chorepiscopos abrogari faceret: et tandem circa medium saeculi decimi Chorepiscoporum Ordo in Oriente et Occidente penitus extinctus fuit. Hi Chorepiscopi per se et ordinarie fuerunt tantum Presbyteri: nam S. Leo *ep.* 88. prohibet, ne Chorepiscopi Chrisma conficiant, eoque frontes baptizatorum signent. In Concilio Ancyrano prohibentur ordinare Presbyteros et Diaconos; et in Pontificali Maronitarum apud Morinum *de Sacr. Ordinat. p.* 2. ea solum caeremonia, qua Archipresbyteri et Archidiaconi ordinantur, et quidem ab uno tantum Episcopo, et in pagis et ruribus solum, fuerunt constituti; cum tamen iuxta *can.* 6. Sardicensem, et S. Leonem in *ep. ad Episcop. Mauritaniae* in urbibus tantum Episcopi collocarentur, ne Episcopi nomen et auctoritas vilipendatur. Subinde tamen per accidens Chorepiscopi consecratione Episcopali donabantur, uti patet ex *can.* 10. Antiocheno, in quo permittuntur Chorepiscopi ordinare Presbyteros et Diaconos, si Episcopi consecrati sint. Deinde Cathari et Ariani Episcopos etiam in pagis constituerunt, uti patet ex *Apol.* 2. S. Athanasii; qui deinde ad Ecclesiam revertentes, iuxta *can.* 8. Concilii Nicaeni, si ita videretur Episcopo, Chorepiscopi constituebantur. Item Episcopi etiam Catholici, si forte ad propriam Ecclesiam regendam accedere non poterant, aut inde iniusta persecutione abire

cogerentur, ne honore penitus privarentur, ad aliquem Chorepiscopatum promovebantur. Ergo subinde Chorepiscopi erant veri Episcopi. Dices I. cum Tournely, qui putat, Chorepiscopos semper habuisse consecrationem Episcopalem: quia in Concilio Ancyrano *c.* 12. et Antiocheno *c.* 10. solum prohibetur Chorepiscopis, ne sine licentia Episcopi ordinent: ergo saltem ordinare poterant, adeoque Episcopi erant. *Resp.* Quando Canon Ancyranus licentiam Episcopi requirit, non loquitur de Ordinatione, sed de imperio et commissione; non enim utitur verbo χειροτονεῖν, sed ἐπιτραπῆναι, et Ordinationem absolute prohibet. Ex Canone Antiocheno tantum sequitur, aliquos Chorepiscopos habuisse consecrationem Episcopalem. II. S. Basilius *ep.* 181. acriter reprehendit Chorepiscopos, quod non praemonitis Episcopis aliquos in Sacerdotalem numerum cooptarent. Ergo valide, etsi illicite, ordinabant. *Resp.* S. Basilius non loquitur de Ordinatione Sacerdotali, quia non utitur verbo χειροτονία, sed de electione eorum, qui ad Sacerdotium ab Episcopo promovendi erant; in quo peccabant Chorepiscopi, quod inter initiandos, et praesentandos Episcopo aliquos cooptarent, quos Presbyteri et Diaconi indignos esse asserebant, et de hoc Episcopum non monerent. III. Nicolaus I. in *epist. ad Rodulphum* scribit, non iterandas esse Ordinationes factas a Chorepiscopis, *quia ad formam 70. Discipulorum Chorepiscopi facti sunt, quos quis dubitet Episcoporum habuisse officia? Resp.* Chorepiscopi illi Ordinatione Episcopali consecrati erant. Inter septuaginta Discipulos non omnes fuerunt Episcopi; imo illis ut Discipulis non competebat Episcopalis auctoritas, quae solis Apostolis propria erat.

CAP. VIII.

De Ministro Ordinis.

§ 1165. Minister ordinarius Sacramenti Ordinis est solus Episcopus. 1° Enim S. Scriptura non aliis, quam Apostolis, quorum successores sunt Episcopi, ius ordinandi tribuit. Sic *Act.* 6. Apostoli septem primos Diaconos ordinarunt. Et *c.* 14. *v.* 22. Paulus, et Barnabas per singulas Ecclesias Presbyteros constituerunt. 2. *Ad Tim.* 1. *v.* 6. a S. Paulo Timotheus fuit ordinatus: et 1. *ad Tim.* 3. *et* 5. Et *ad Titum* 1. his ambobus Episcopis praescribit Apostolus, quibusnam manus imponere debeant. 2° Patet ex Traditione. S. Cornelius in *ep. ad Fabium* relata ab Eusebio *l.* 6. *hist. c.* 43. scribit, Novatianum haeresiarcham, cum Episcopatum Romanum ambiret, accivisse tres Episcopos ex Italia, quos crapula oppressos, adumbrata manuum impositione, Episcopatum sibi tradere per vim coegit. S. Epiphanius *haer.* 75. insectatur Actium, qui Presbyteros Episcopis aequabat, iisque ius ordinandi tribuebat. S. Hieronymus *ep. ad Evang.* ait: *Quid facit excepta Ordinatione Episcopus, quod non faciat Presbyter?* S. Chrysostomus, Theodoretus, etc. nomine

Minister Ordinis.

Presbyterii 1. *ad Tim.* 3. intelligunt coetum Episcoporum. Item Concilium Alexandrinum a. 319. in *ep. Synod.* declarat, Ischyram Presbyterum non esse, quia fuerat ordinatus a Collutho, qui non erat Episcopus, sed simplex Sacerdos. Et Tridentinum iuste definit *Sess.* 23. *can.* 7. *Si quis dixerit, Episcopos . . . non habere potestatem confirmandi, et ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem . . . anathema sit.*

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 1. Lutherani et Calvinistae Ordinationem ministrorum Ecclesiae ad omnes fideles pertinere contendunt; unde licet Pastores ministris manus imponant, et non tota populi multitudo, hoc tamen non fit ex defectu auctoritatis in populo, sed ad vitandam confusionem; ita ut auctoritas ordinandi ministros in toto populo veluti fonte resideat, executio vero sit penes Pastores, qui nomine et auctoritate populi ministerium exercent. Nam I. in Concilio Nicaeno I. statuitur, ut ordinati a Meletiò Schismatico, et illi adhaerentes, redeuntes ad Ecclesiam tamquam Clerici recipiantur, sine potestate tamen electos a Clero et populo Ecclesiae ministros probandi et confirmandi; qui vero ad Schisma non defecerunt, ius ordinandi habeant. Ergo Clerici tunc ordinare poterant. *Resp.* Per potestatem ordinandi non intelligit Concilium Sacramentalem Ordinationem, sed potestatem eligendi, approbandi et confirmandi electos a populo ministros; nam verbum προεχειρίσατό, solam praeelectionem *Act.* 22. *v.* 14. significat. II. Presbyteri hodie adhuc in Ordinatione cum Episcopo manus imponunt: ergo saltem sunt comministri. *Resp.* Illa manus impositio Presbyterorum non est Sacramentalis, sed Caeremonialis, ad fraternitatem cum novis Presbyteris significandam; nam Presbyteri nullam formam proferunt; et *Presbyterium* 1. *ad Tim.* 4. *v.* 14. Episcoporum consessum significat. II. Aaron a Moyse non Sacerdote ordinatus fuit. Et Sacerdos potest maius, scilicet consecrare: ergo etiam ordinare. *Resp.* Sacerdotium ad Aaron, et eius filios pertinuit; et satis probabile est, Moysen Sacerdotem fuisse: *Ps.* 98. *Moyses et Aaron in Sacerdotibus eius.* Quod vero Sacerdos consecrare, non vero ordinare possit, hoc pendet a libera Christi institutione.

An simplex Sacerdos ex dispensatione Ordines conferre possit? *Schol.* 2. Vasquez et Morinus putant, posse a Simplici Sacerdote ex commissione Ecclesiae administrari omnes Ordines, etiam Presbyteratum, uno excepto Episcopatu. Tournely vero putat, simplicem Sacerdotem ex commissione Papae non posse conferre Diaconatum. Dicendum videtur 1. Quod simplex Sacerdos ex dispensatione Papae primam Tonsuram, Ordines Minores et Subdiaconatum conferre possit; quia hi Ordines ex sola institutione Ecclesiae originem suam trahunt (§ 1436. 1446.). Ergo per ministrum ab Ecclesia designandum conferri possunt. Deinde hoc privilegium de facto Ecclesia nonnullis presbyteris concessit: sic Synodus VII. generalis: Alexander III. c. *Requisivit, de Ordinat. ab Episc.* Innocentius III. *c. Cum contingat, de aetat. et qualitat. Ordinand.* Tridentinum *Sess.* 23. *cap.* 10. Abbatibus concesserunt, ut Regularibus suis subditis primam Ton-

suram et Ordines Minores conferant. Item facultas conferendi Subdiaconatum dabatur Olim Chorepiscopis, qui tamen non omnes erant Episcopi: et Gelasius *ep.* 1. c. 8. monet Presbyteros, ut meminerint, nulla ratione sibi concedi, ut Subdiaconum ordineut absque Romani Pontificis permissione; et Innocentius VIII. hanc facultatem nonnullis Abbatibus concessit. 2. Simplex Sacerdos ex dispensatione Papae etiam Diaconatum conferre potest, quia Innocentius VIII. an. 1489. 5. Idus April. concessit Ioanni Abbati Cistercii, et Abbatibus quatuor Monasteriorum, quae immediate post dictum Monasterium fundata erant, ne Monachi dicti Ordinis pro suscipiendis Subdiaconatus et Diaconatus Ordinibus extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, ut suorum Monasteriorum Religiosis, quos ad id idoneos repererint, Subdiaconatus et Diaconatus Ordines rite conferre valeant. Simile privilegium Franciscanis in India concessum esse, narrat Henriquez in *Summa*. Et per Bullam Pontificiam hoc idem concessum fuisse Abbatibus Benedictinis, multos recentiores Theologos ex visa ab iis Bulla refert P. Vasquez. 3. Episcopatus vero et Presbyteratus a simplici sacerdote conferri nullo modo potest: tum quia S. Scriptura et Traditio solum Episcopum pro ministro horum Ordinum assignat: tum quia Ecclesia nunquam hanc facultatem simplici Presbytero commisit, licet plurimae occasiones maxime tempore persecutionum se obtulerint. Dices I. Episcopus est tantum Ordinarius minister Ordinis; ergo Presbyter potest esse extraordinarius. Hinc refert Eutichius Alex. in *Chronico*, Alexandriae vacante Sede eligi unum ex duodecim Presbyteris, quem reliqui per impositionem manuum consecrant Episcopum; et per 200. annos nullum fuisse in Ægypto Episcopum. *Resp.* Presbyter solum Diaconatus, Subdiaconatus et Minorum Ordinum extraordinarius minister esse potest. Eutychii narratio falsa est, nec ab alio Scriptore refertur; et plures semper in Ægypto Episcopos fuisse, patet ex *epist.* S. Alexandri Episcopi Alexandr. dicentis, se cum centum prope Ægypti et Lybiae Episcopis Arium damnasse. II. Paphnutius Presbyter suum discipulum Danielem Sacerdotem ordinavit, teste Cassiano *Coll.* 4. *c.* 1. Cato Episcopus Arvernorum postulatus sine consecratione Episcopalia munia obivit, teste S. Gregorio Turon. *l.* 4. *hist. Franc. Resp.* Paphnutius Danielem solum obtulit ordinandum ab Episcopo. Et Cato tantum officia iurisdictionis Episcopalis, non vero Ordinis obivit. III. Citata Bulla Cistercieusibus collata est supposititia, vel saltem exorbitans, iuxta Navarrum *l.* 5. *Cons.* et non invenitur in Bullario, nec unquam hoc privilegio Cistercienses usi sunt. *Resp.* Bulla illa asservatur in Collegio Complutensi, et a P. Vasquez lecta fuit: dicitur autem exorbitans, quia iura communia Abbatum excedit. Cistercienses Abbates hoc privilegio utuntur: sic Generalis Cisterciensis a. 1662. Romae, consentiente Alexandro VII. suos Monachos Diaconos, et Subdiaconos ordinavit: et a. 1663. Gandavi. Vid. Hennum *t.* 2. *p.* 489. IV. Tridentinum *Sess.* 23. *de ref. cap.* 10. prohibet, ne Abba-

tes subditis suis alios Ordines, quam Minores conferant: et Bulla Innocentii solum permittit Abbatibus Cisterciensibus, dare Monachis suis dimissorias ad quemcumque Episcopum, non habita ratione dioecesium, uti exposuit Congregatio conc. a. 1592. et Clemens VIII. in Bulla Cisterciensibus data. *Resp.* Decretum Tridentini non excludit privilegia specialia nonnullis concessa. Interpretatio Bullae de dimissoriis directe eius intentioni opponitur, quae est, ne Monachi extra clausuram cogantur discurrere. Constitutio Clementis VIII. non facit mentionem Bullae Innocentii, et decretum S. Congregationis confirmat declarando, omnes Abbates Benedictos et exemptos posse monachis suis, iurisdictioni Ordinariorum non subiectis, dare litteras dimissorias, ut a quocumque Episcopo ordinentur: quod privilegium illud Abbati Cisterciensi ab Innocentio concessum non revocat.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Episcopus solum electus et confirmatus, nondum vero consecratus, valide non ordinat, licet subditis suis licentiam dare possit, ut ab altero Episcopo ordinentur; quia hoc ad iurisdictionem per confirmationem acceptam spectat. 2° Episcopus per saltum ordinatus, dummodo sit Sacerdos, et Episcopus ordinatus, etiam illos Ordines, quos non recepit, conferre valide, etsi illicite, potest; quia Character Episcopalis et maxime Sacerdotalis inferiores Ordines eminenter continet. 3° Nemo ex consuetudine etiam immemoriali, aut praescriptione sine delegatione Papae facultatem ordinandi acquirere potest. 4° Cardinales suis familiaribus, et Abbates Sacerdotes, mitrati et benedicti ab Episcopo, vel qui habent facultatem Pontificalia exercendi, si sint benedicti, suis subditis Regularibus Tonsuram, et Ordines Minores conferre possunt, etiam Novitiis: aliis vero non subditis valide quidem conferunt, quia haec potestas fundatur in Charactere Sacerdotali, sed illicite; imo etiam, iuxta P. Layman, invalide; quia hoc privilegium quoad alienos in Tridentino illis ademptum fuit; * (Verum Benedictus XIV. *de Syn. l.* 2. *cap.* 11. allatis variis S. Congr. Concilii decisionibus, huiusmodi ordinationes illicitas tantum, non vero invalidas esse probat) * sicut etiam graviter peccarent, si extra suum Monasterium hos Ordines Conferant. 5° Si saeculares subditi vel non subditi Abbatum litteras dimissorias a suis Episcopis acceperint, ut Abbates dictos Ordines illis conferant, possunt ab illis licite ordinari. * (Sed contrarium omnino tenendum, postquam eadem S. Congregatio, edito Decreto sub die 17 ian. 1642, ab Urbano VIII. approbato, id vetuit sub poena suspensionis tam ordinantibus, quam concedentibus dimissorias: Benedictus XIV. loc. cit.). *

Art. 1. *De Episcopo proprio, qui solus licite ordinare potest.*

Solus Episcopus proprius licite ordinat. § 1166. Solus Episcopus proprius licite Ordines conferre potest; non vero alienus, nisi de proprii Episcopi licentia. Ita 1° statuit Concilium Nicaenum I. *can.* 16. *Si quis autem ad alium pertinentem audacter invadere, et in sua Ecclesia ordinare tentaverit, non consen-*

tiente Episcopo, a quo discessit is, qui regulae mancipatur; Ordinatio huiusmodi irrita comprobetur. Conc. Sardicense *can.* 19. ait: *Quicumque ex alia Parochia voluerint alienum ministrum sine consensu Episcopi ipsius, et sine voluntate ordinare, non sit rata Ordinatio eius.* Denique Tridentinum *Sess.* 23. *de ref. c.* 8. *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur, sit suspensus.* 2° Patet ex perpetua praxi Ecclesiae, uti fuse ostendit Hallier *de S. Ordin. Sect.* 3. Cuius ratio est, quia Episcopus ceu primus animarum pastor, debet in partem suae sollecitudinis dignos vocare Clericos; quod non fit, si alienum Clericum promoveat, aut invito proprio Episcopo retineat. Deinde ad pacem inter Episcopos servandam servit, si quis alterius iura non usurpet: scimus, quantas turbas Origenis Ordinatio inter Demetrium Alexandrinum, in cuius Ecclesia Lectoris officium exercuerat, et Theoctistum Caesareensem, et Alexandrum Ierosolymitanum, a quo Presbyter ordinatus fuit, inconsulto Demetrio, excitaverit. Item totus Oriens commotus fuit, quod S. Epiphanius Paulinianum, S. Hieronymi fratrem in Monasterio Bethleemitico ordinaverit. Quippe proprius Episcopus indolem, mores et dignitatem Ordinandi melius potest cognoscere.

Schol. Proprius Episcopus, iuxta declarationem Bonifacii VIII. *c. Cum nullus, de temp. ordinat. in* 6. est triplex. 1. Episcopus *Originis*, qui iure veteri is fuit, in cuius dioecesi quis Baptizatus fuerat, uti constat ex Conc. Carthaginensi III. *c.* 44. quia cum grandiores vulgo baptizarentur, Episcopi non inquirendum esse putarunt, quid illi extra Ecclesiam egissent; sed satis ipsis erat, si actae post Baptismum vitae praeclarum testimonium exhiberetur; quod nonnisi ab Episcopo, qui Catechumenum instruxerat, petendum fuit. Ex quo vero usus invaluit, ut infantes statim post nativitatem baptizarentur, is fuit Episcopus originis, in cuius dioecesi aliquis natus est. 2. Episcopus *Domicilii*, ille est, in cuius dioecesi aliquis ita commoratur, ut animum perpetuo ibi manendi habeat. 3. Episcopus *Beneficii* est is, in cuius dioecesi aliquis beneficium obtinet, sive simplex sit, sive residentiam postulet; sive in titulum, sive in commendam possideatur; sive opimum sit, sive non; sive unum, sive multiplex; sive in una, aut pluribus dioecesibus. Olim titulus praecipuus, quo Episcopus aliquem ordinare poterat, erat Beneficium, quo quis alicui Ecclesiae alligabatur. Synodus Tridentina, circa allegatos titulos, quibus quis proprius Episcopus efficitur, nihil immutavit: cum tamen nonnulli Episcopi mere titulares cathedram collocarent in aliquo loco nullius dioecesis, atque ibi quoscumque ad se venientes, licet suorum Epi- Episcopus proprius quis?

scoporum litteras commendatitias non haberent, ad sacros Ordines promovere praesumerent, ita ut rudes et indigni promoverentur; Tridentinum ad tollendum hunc abusum statuit, ut nullus ab alieno Episcopo ordinetur, nisi a proprio litteras *dimissorias* acceperit, per quas Clericus a suo proprio Episcopo dimittitur, et libera illi facultas conceditur, ut ab alio Episcopo ordinetur. Quae litterae etiam vocantur *commendatitiae*, *formatae*, *reverendae*.

Dimissoriae quid?

Resolvuntur casus.

Coroll. Pract. I. 1° Si Episcopus sit manifeste suspensus, Clericis datur facultas, ut a vicinis Episcopis sine dimissoriis Ordines suscipere valeant, *c. 2. de temp. ordin. in 6.* Quod tamen non conceditur laicis, in quibus non urget necessitas Ordinationis. 2° Ratione originis, potest quis ordinari in loco, ubi natus est, licet alibi domicilium vel Beneficium habeat, dummodo sit natus ibi ex constituto parentum domicilio; si autem in transitu ibi nascatur, dicitur ibi oriundus, ubi parentes domicilium habent. Illegitimus ad Ordines legitimatus, in loco originis paternae vel maternae Episcopum originis habet. Expositi, quorum parentes ignorantur, ex loco, in quo sunt expositi, originem trahere censentur. 3° Ratione domicilii, Ordines recipi possunt ab Episcopo, in cuius dioecesi Ordinandus habitationem perpetuam constituit: quasi domicilium seu habitatio tantum temporalis ad plures annos, vel maiorem anni partem, certi negotii expediendi causa, ad Ordinationem non sufficit. Domicilium autem constituitur animo et facto: animo, perpetuo manendi in loco, licet hoc propositum et domicilium postea mutari possit: facto, capiendo possessionem, et transferendo eo res suas. Ad domicilium lapsus certi temporis non requiritur, sed primo die, quo quis in locum animo ibi perpetuo manendi advenit, constitutum censetur; et decennium *l. 2. Cod. de Incolis* assignatum, tantum praesumptionem constituti domicilii facit. Hinc Scholares in loco Studiorum domicilium non contrahunt. Barones tamen, et Officiales perpetui, eorumque filii domicilium habent in suis oppidis, quae in feudo, vel regimine possident. Habens in duobus locis domicilium, in quibus aequali tempore degit, ab Episcopis illorum locorum pro libitu ordinari potest, si non in uno obiter solum et recreationis causa degat. 4° Ratione Beneficii, ordinari quis potest ab Episcopo, in cuius dioecesi habet Beneficium. 5° Ratione triennalis familiaritatis, potest Episcopus ordinare sibi non subditum, qui per triennium in eius familia seu servitio eius sumptibus vixit, licet in eius domo non degat, dummodo sit in loco, ubi est Episcopus; non vero, si duabus dietis distet. Huic tamen ordinato quamprimum Beneficium conferre debet; unde Episcopi Titulares hoc privilegio non gaudent: triennium autem illud etiam ante Episcopatum inceptum iam sufficit. 6° Si Clericus Subdiaconatum recepit ab Episcopo originis, potest variare, et reliquos Ordines ab Episcopo domicilii vel Beneficii accipere: Ordinatus vero a Papa, sine eius licentia ab alio ordinari nequit. 7° Regulares etiam Ordinum exemptorum Ordines recipere debent ab Episcopo

dioecesis, in qua Monasterium situm est, vel a viciniori, si locus sit nullius dioecesis. Novitii etiam in dioecesi Novitiatus sui ordinari possunt; per ingressum enim Monasterii animo perpetuo ibi manendi domicilium constituunt. 8° Episcopus solum in propria dioecesi Ordines conferre debet, iuxta Trident. *Sess.* 6. *de ref.* c. 5. alias, si sine licentia Ordinarii in alia dioecesi conferat, Episcopus ab exercitio Pontificalium, et ordinatus ab executione Ordinum sunt ipso iure suspensi.

Coroll. Pract. II. 1° Episcopus, si ex rationabili causa Ordines conferre non possit, suis subditis dimissorias dare potest, etiamsi solum sit electus et confirmatus, dummodo non sit excommunicatus: *c.* 2. *de temp. Ord. in* 6. Item Episcopus absens in aliena etiam dioecesi dimissorias suo subdito dare potest; quae non debent necessario esse scriptae, sed sufficit, si de licentia data adsit publicum testimonium: si in litteris dentur dimissoriae, debent continere causam, cur proprius Episcopus non ordinet, et exprimere Ordines conferendos. 2° Vicarius Generalis Episcopi sine speciali eius mandato litteras dimissorias dare nequit, nisi Episcopus in remotis degat ultra duas dietas a residentia sua. 3° Capitulum, sede vacante, vel is, ad quem cura spiritualis spectat, iuxta Trident. *Sess.* 7. *de ref.* c. 10. nullius privilegii vel consuetudinis obtentu, infra annum dimissorias concedere potest, nisi arctatis Beneficio certum Ordinem requirente; alias subiacet Interdicto Ecclesiastico, et Ordinatus in Minoribus non gaudet privilegio Clericali, et in Maioribus est suspensus ad Beneplacitum futuri Praelati. 4° Episcopus non potest alienum subditum ordinare sine dimissoriis sub spe ratihabitionis de futuro, quia Tridentinum exigit licentiam expressam. 5° Abbates suis subditis Regularibus, quibus Tonsuram et Minores conferre possunt, dimissorias concedere possunt, ut ab alio Episcopo vel Abbate mitrato bis Ordinibus initientur. *(Nunc tamen hoc ipsis vetitum est ex superius citato Decreto S. C. Consilii a. 1642. quo omnibus Abbatibus interdicitur ordinare non subditos, et Episcopus non alius esse debet quam Dioecesanus. Vid. Bened. XIV. de Syn. l. 2. cap. 11.).* Abbates vero exempti suis subditis Regularibus ex decreto Clementis VIII. nonnisi ad Episcopum dioecesanum Monasterii dimissorias concedere possunt, vel eo absente, aut Ordinationem non habente, expressa in litteris causa, ad quemcumque alium Episcopum, sub poena privationis officii, dignitatis, vocis activae et passivae. Praelati vero non exempti subditis suis dimissorias concedere non possunt. 6° Dimissorias accipiens, prius ordinarie examinari debet; hoc tamen examen Episcopo ordinanti committi etiam potest, et testimonium nativitatis et susceptorum Ordinum afferri debet.

Resolvuntur casus de dimissoriis.

Art. 2. *De Ordinationibus factis ab Episcopis haereticis, etc.*

§ 1167. Episcopus haereticus, schismaticus, simoniacus, suspensus, degradatus aut excommunicatus, si omnia necessaria adhibeat,

Episcopus haereticus

valide ordinat

et sit rite consecratus Episcopus, valide quoad substantiam et Characterem ordinat. Nam 1° hoc probat praxis Ecclesiae: sic Concilium Nicaenum I. *can.* 8. Novatianos: Africanum *cap.* 35. Donatistas in haeresi ordinatos, sine nova Ordinatione redeuntes ad Ecclesiam manere in Clero permittunt. Arianos similiter receptos fuisse, testatur S. Athanasius *ep. ad Ruffin.* et S. Hieronymus *dial. adv. Lucif.* probat, non magis reordinandos, quam rebaptizandos esse eiusmodi haereticos. Concilium Carthaginense III. *c.* 38. generatim prohibet fieri rebaptizationes, et reordinationes. Toletanum VIII. *cap.* 7. rationem dat: *Nequaquam poterit aliquando profanari, quod Divina iussione, simulque Apostolicae auctoritatis traditione sacrum noscitur extitisse.* Et Tridentinum definit, imprimi in Ordinatione Characterem indelebilem eo modo, quo in Baptismo et Confirmatione, quae sicuti valida sunt ab haeretico collata, ita etiam Ordo. 2° Hoc expresse docet S. Augustinus *l.* 2. *contr. ep. Parmen. c.* 13. dicens: *Si quando ex ipsa parte venientes etiam Praepositi pro bono pacis correcto Schismatis errore suscepti sunt, et si visum est, opus esse, ut eadem officia gererent, quae gerebant; non sunt rursus ordinati, sed sicut Baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra.*

An Ordinationes ab haeretico factae olim fuerint validae?

Schol. 1. Validas esse Ordinationes quoad substantiam et Characterem ab Episcopis haereticis, etc. factas, communis est Theologorum sententia, quam negare iuxta Hallier erroneum foret. Nihilominus Morinus *de SS. Ordinat. Exerc.* 5. fuse probare nititur, olim Ordinationes ab Episcopo haeretico, schismatico, simoniaco, suspenso, degradato vel excommunicato factas, irritas fuisse, non ex defectu Characteris Episcopalis, qui etiam in Episcopo haeretico etc., manet, sed quia olim Ecclesia haeresim, schisma, simoniam, etc. statuit pro impedimentis, quae Ordinationem irritam efficerent, sicut nonnulla impedimenta in Matrimonio apposuit, quibus irritatur: vel saltem, quia Ecclesia retundere potest vim Characteris Episcopalis et efficaciam, ut nihil ultra agere possit. Verum contra hanc Morini sententiam pugnant adhuc rationes allatae. Nec aliquid probant exempla a Morino adducta; quorum I. est, quod Urbanus II. an. 1099. mortuus, in *ep. relat. cau.* 1. *q.* 7. *can.* 24. Daibertum a Nezelone Sedis Moguntinae invasore simoniaco Diaconum ordinatum, rursus ordinaverit: cuius rationem dat: *Quia Nezelo nihil habuit, nihil dare potuit.* Et sub eodem Urbano in Synodo Rom. an. 1099. *c.* 4. statutum fuit: *Qui scienter se a Simoniacis consecrari, imo execrari passi sunt, eorum consecrationem omnino irritam esse decernimus. Resp.* Praeterquam quod illa Urbani epistola sit incertae fidei, dicit, Nezelonem nihil habuisse quoad usum Ordinis Episcopalis ob suspensionem, non vero quoad Characterem: et in Concilio Romano Ordinationes Schismaticorum solum quoad exercitium Ordinis irritae declarantur. II. An. 1049. sedente Leone IX. controversia orta est, an Ordinationes a Schismaticis factae, sint validae, teste S. Petro Damiano *ep.* 6. Res in tribus Conciliis Romanis ventilata fuit, et

Leo IX. illas Ordinationes irritas declaravit: tandem tamen Constitutionem suam ad solas Ordinationes data et pacta pecunia factas restrinxit. *Resp.* Licet saeculo undecimo et duodecimo nonnulli de Ordinationibus Simoniacorum dubitaverint; de iis tamen quoad valorem Leo nunquam dubitavit, sed tantum an taliter ordinati poena suspensionis perpetuae plectendi forent, quam etiam illis inflixit; sed ob varias querelas et inconvenientias exinde ortas restrinxit ad ordinatos data et pacta pecunia, reliquis solum 40 dierum poenitentiam iniunxit. III. Formosus an. 890. Papa creatus, a Stephano P. VII. seu VI. successore suo e sepulchro erutus, tribus digitis abscissis in Tiberim proiectus est, et Ordinationes ab eo factae irritae declaratae, et reiteratae fuerunt, teste Luitprando *hist. c.* 8. *Resp.* Reordinationes hae a Stephano Papa intruso factae reprobatae fuerunt, uti probat Baronius; nam Ioannes IX. in Concilio Romano an. 904. damnavit quidquid a Stephano in Concilio Romano contra Formosum eiusque Ordinationes attentatum fuit; Acta huius Concilii flammis absumpsit; et licet Sergius P. postea Acta Ioannis resciderit, Sergius tamen legitimus Papa non fuit et a Ioanne IX. damnatus est. IV. Hincmarus successor Ebbonis Rhemensis Archiepiscopi depositi, Ordinationes ab eo factas irritavit, quae etiam in Concilio Suessionensi II. irritae et vacuae declaratae sunt. *Resp.* Acta in hoc Concilio rescissa sunt a Nicolao I. et in Concilio Suessionensi III. an. 866. Clerici ab Ebbone ordinati suis gradibus restituti sunt; et potissimum de suspensione Clericorum a suis officiis, non vero de valore Ordinationis quaestio mota fuit. V. An. 767. Constantinus adhuc laicus Romanam Sedem invasit; paullo post vero e sede deiectus, effossis oculis, semivivus in platea relictus est, et Ordinationes ab eo factae irritae declaratae, et reiteratae fuerunt a Stephano IV. in Concilio Romano, teste Anastasio Bibliothecario. *Resp.* Ordinationes a Constantino factae, non quoad substantiam et Characterem, sed quoad usum et exercitium invalidae declaratae sunt; siquidem Concilium Confirmationem ab eo administratam ratam habuit. VI. Photii Ordinationes irritas declaravit Nicolaus I. *ep. ad Michael. Imp.* Synodus VIII. et Hadrianus II. *ep. ad Ignat. Resp.* Eodem modo Ordinationes Photii nunquam reiteratae, adeoque non invalidae, sed solum illicitae habitae fuerunt. VII. Can. 67. Apost. dicitur, ordinatos ab haereticis Clericos non esse. Et Concilium Caesaraugustanum II. *c.* 1. vult, Arianos revertentes, nonnisi accepta denuo benedictione Presbyterii, ministrare. Et Balsamon docet, Sacerdotes haereticos per consuetos gradus ad doctrinae sublimitatem ascendere debere. *Resp.* Haec omnia loquuntur de Ordinationibus ab haereticis quoad substantiam ex defectu materiae, formae etc. irritis. VIII. Ecclesia haeresim, etc. velut impedimentum ponere potest, cum qua Ordinatio sit irrita, sicut etiam in Matrimonio posuit. *Resp.* Disparitas est, quia in Matrimonio essentialiter intervenit contractus, cui ad valorem ab Ecclesia certae conditiones addi possunt: Ordinatio vero ministrorum Ec-

lesiae fundatur in potestate Ordinis et Charactere, quem propter haeresim Ecclesia tollere nequit.

Art. 3. *De Ordinationibus Anglicanis.*

An rata sit Ordinatio Anglorum? *Schol.* 2. Quaeritur, an rata sit et valida apud Anglos Episcopos Ordinatio; quod antequam resolvatur, notandum, quatuor status Anglicanae Reformationis distingui posse: primus sub Henrico VIII. Schismatis Auctore an. 1534. qui seipsum Ecclesiae Anglicanae caput nominavit: Praesules Anglicani Henrico vivente ad formam Ritualis Romani ordinati sunt, adeoque de valida eorum Ordinatione non est dubium. Secundus status est sub Eduardo Henrici filio, eiusque an. 1546. successore, qui novum Rituale Ordinationis condidit, quod Rituale Eduardi VI. appellatur, in quo haec forma Ordinationis praescribitur. Consecrator ab electo exigit mandatum reginae, et electus iurare debet, quod non assentiri velit Catholicae Romanae doctrinae, nec in ea plebem sibi commissam instruere, et quod maiestatem regiam in omnibus Ecclesiasticis et spiritualibus rebus supremam auctoritatem habere doceat. Deinde Consecrator super electum cum impositione manuum hanc orationem dicit: *Deus omnipotens, Pater noster coelestis, qui hanc tibi voluntatem concessit, concedat insuper vires ac facultatem, ad haec efficaciter praestanda, ut opus istud suum, quod incepit, in te absolvat, teque integrum ac inculpabilem inveniat in illo supremo die, per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.* De hac Ordinatione potissimum quaeritur. Tertius status est sub Maria Catholica, quae Eduardo successit; Religionem Catholicam ac genuinam Ordinationis formam revocavit, et per Cardinalem Polum absolutionem a censuris pro Anglia obtinuit. Quartus status est sub Elisabeth, ex illegitimo Henrici VIII. cum Bolena Matrimonio, et incerto quidem parente edita, quae Religionem Catholicam palam abiiciens, Ecclesiae Anglicanae primatum arripuit. Rituale Eduardi restituit, Episcopos deposuit, et in exilium misit, et novum Clerum iuxta Rituale Eduardi instituit, cuius princeps fuit Parkerus, a Barlovio Episcopo Asaphiensi in taberna inter pocula Episcopus Cantuariensis consecratus.

An Ordinatio Anglorum sit valida? § 1168. Ordinatio Episcoporum Anglorum ad formam Ritualis Eduardi VI. peracta, irrita est, et invalida. 1° Quia Ecclesia Romana ordinatos iuxta Rituale Eduardi ad se redeuntes, iterum ordinari iubet iuxta Rituale Romanum; quod non faceret, nisi Ordinationem illam invalidam censeret. Et licet hoc needum in aliquo Canone, vel publico iudicio ab Ecclesia definitum fuerit; usus tamen, et constans Ecclesiae praxis, ait Tournely, definitioni aequivalet. 2° Praesules Anglicani ad formam Ritualis Eduardi VI. ordinati, non habent veram ordinandi potestatem, quae a solo Christo esse potest, sed eam habent a Rege (§ 1167. Schol. 2.). Ergo nulla est eorum potestas ordinandi. 3° Ordinatio Anglicana peccat in forma essentialiter requisita, quae debet esse oratio: qualis non est forma Ordinationis

Anglicanae, utpote in qua consecrans orat, ut Ordinandus sacrilega illa, quae antea iuravit, scilicet quod veritati Romano Catholicae assentiri nolit, praestare possit. Ergo non est valida Ordinatio. Unde etiam haec ipsa Ordinationis forma ad Parlamentum pro approbatione missa, a Catholicis sub Henrico VIII. ordinatis, et sub Maria et Elisabetha, tamquam invalida reiecta fuit, uti probant Sanderus, Stapletonus, Harduinus, etc.

Schol. Angli pugnant pro successione Episcoporum suorum et validis Ordinationibus, maxime vero Masonus, et Godwinus; et non ita pridem a. 1723. Courayer pro Ordinationibus Anglorum nonnullas dissertationes edidit. I. Forma seu oratio in Ordinationo Anglorum nullum errorem continet. Et Ecclesia Romana ideo solum ordinatos ab Anglis reordinat, quia dubium est, an Parkerus origo omnium Anglorum Episcoporum, rite ordinatus fuerit. *Resp.* Forma Anglorum, si relate ad praecedens iuramentum consideretur, gravissimum errorem continet. Deinde Parkerus sub Elisabetha Regina iuxta Rituale Eduardi ordinatus fuit: ergo invalide. II. Ecclesia Anglicana, approbando Rituale Eduardi, iure suo usa fuit, ritus circa Sacramentorum rectam administrationem ordinando: imo Pius IV. in litteris ad Elisabetbam Reginam datis promisit, se approbaturum Liturgiam Anglicanam, dummodo Regina ad Ecclesiam redire vellet; quod non potuisset facere, si illa errores contineret. *Resp.* Ritus essentiales Sacramentorum mutari non possunt, sed solum accidentales. Factum Pii IV omnino dubium est, quod ipse Durellus scriptor Anglus falsum esse asserit; maxime quia illae litterae per 40. annos a nullo adversario citatae fuerunt: deinde Pius IV. non promisit, se in omnibus approbaturum Liturgiam Anglicanam, sed mutatis mutandis, et erroribus correctis. III. Iulius III. Cardinali Polo potestatem dedit rehabilitandi ex Clericis Anglis eos, qui Ordines aut nunquam, aut male susceperunt; quod idem statuit sine ullo discrimine de omnibus Archiepiscopis, Episcopis, sive qui tempore Henrici VIII. sive qui sub Eduardo ritu ab eo praescripto ordinati fuerunt; et qui regnante Maria suis dignitatibus pacifice fruebantur; nempe ut eos rehabilitaret, id est iuxta Conrayer illis liberam functionem Ordinum restitueret. *Resp.* Iulius solum concessit, ut Angli eiurata haeresi ad sacros Ordines promoveri possent. Dein loquitur de Episcopis iuxta ritum Romanum sub Henrico VIII. et Eduardo ordinatis; quibus liberum Ordinum suorum exercitium restitui possit. Et dum voce rehabilitationis utitur, loquitur per distributionem accomodam, ita ut erga Episcopos sub Henrico ordinatos sit mere libera restitutio functionem Ordinum: erga Episcopos vero sub Eduardo iuxta eius Rituale invalide ordinatos, sit vera Ordinatio; id quod Cardinalis Polus a. 1555. et Maria Regina in *Instit. art.* 5. aperte testantur.

Solvuntur obiectiones.

CAP. IX.

De subiecto Ordinis.

Subiectum Ordinis.

§ 1169. Subiectum capax Sacramenti Ordinis est solus homo viator et baptizatus. 1° Quia solis hominibus viatoribus dixit Christus, *Luc.* 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et *Joan.* 20. *Quorum remiseritis peccata, etc.* Et *ad Hebr.* 5. *v.* 1. dicitur: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, qui condolere possit iis, qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate.* Ergo subiectum Ordinis est solus homo viator. 2° Debet esse baptizatus; nam Ecclesia semper non rite baptizatos, ad Ordines promotos, rebaptizari, et reordinari iussit, uti patet ex Concilio Nicaeno I. ubi *can.* 19. statuitur, Paulianistas, qui formam Baptismi adulterabant, rebaptizari, et reordinari debere. Idem patet ex Concilio Compendiensi: *Si quis Presbyter deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur.* Cuius ratio est, quia Baptismus est ianua omnium Sacramentorum, nec potest quis Ecclesiae iuribus, et facultatibus frui, qui nondum per Baptismum est insertus illius corpori.

Solvuntur obiectiones.

Schol. 1. Tempore Innocentii III. saeculo 12° mota fuit quaestio, an ille, qui secundum formam Evangelii baptizatus non est, Sacerdotio tamen initiatus fuit, reordinari debeat: consultus fuit desuper hic Pontifex, qui in *c. Veniens, de Presbyt. non baptizato,* illam rationem partis affirmantis, scilicet, quod Baptismus sit ianua aliorum Sacramentorum, videtur in dubium vocare. Verum haec dubitatio spectabat solum peculiarem illum casum hominis nati et educati inter Catholicos, in quo loco Baptismi videbatur sufficere vera fides. Sed errore detecto, sicuti collatio Baptismi, ita reordinatio ibi ab Innocentio praecepta fuit. Pro parte negante rationes esse possent. I. Per fidem, quae sine Baptismo esse potest, evadimus membra Christi: ergo etiam capaces Ordinationis. *Resp.* Per fidem evadimus membra Christi sola adhaesione interna, non vero externa sufficiente, ut quis censeatur esse membrum Ecclesiae, quod fit per Baptismum. II. Non baptizatus potest suscipere SS. Eucharistiam et Matrimonium: ergo etiam Ordinem. *Resp.* Suscipit non baptizatus SS. Eucharistiam solum materialiter, non vero formaliter, prout est Sacramentum ad spiritualem nutritionem institutum: et suscipit Matrimonium, prout est merus contractus civilis, non vero Sacramentum. III. Socrates *l.* 5. *hist. c.* 22. ait: in urbe Alexandrina Lectores et Psaltae absque ullo discrimine fiunt, tam Catechumeni, quam fideles. *Resp.* Socrates non loquitur de Ordinatione Lectorum, sed tantum de officio, quod subinde etiam laicis committitur; nam Socrates χειροτονίαν non nominat, sed subiungit: omnibus ubique Ecclesiis fideles ad hunc Ordinem promoventibus.

Schol. 2. Angeli non sunt capaces Ordinationis, sicuti nec animae

separatae a corpore: si quis tamen a morte ad vitam revocaretur, foret Ordinationis capax: sic Lazarus a Christo resuscitatus, factus est postea Massiliensis Episcopus. Qui vero in corpore glorioso resurgeret, probabilius Ordinationis capax non foret, quia non esset viator.

ART. 1. *De mulierum incapacitate recipiendi Ordines.*

§ 1170. Mulieres sacrae Ordinationis prorsus incapaces sunt. 1° Quia Apostolus 1. *ad Cor.* 14. *v.* 34. *et* 1. *ad Tim.* 11. *v.* 12. non permittit mulieribus palam docere; quod tamen sacrorum ministrorum munus est. 2° Nec in veteri lege Ecclesiasticum munus foeminis demandatum fuit; et in nova lege nec Beatissima Virgo Maria, nec aliae foeminae adfuerunt, quando Apostoli in ultima Coena ordinati sunt: et Mediator noster, cuius vices funguntur Sacerdotes, vir, non mulier fuit. Ergo mulieres non sunt capaces S. Ordinationis. Foemina non est capax Ordinis.

Schol. 1. De fide est, mulieres ad Ordinem Episcopatus, Presbyteratus, et Diaconatus assumi non posse: non audet tamen Hallier aperte haereticam pronunciare sententiam, quae vult, mulieres idoneas et capaces esse Tonsurae, Minorum Ordinum, et Subdiaconatus: nam Paludanus *in* 4. *d.* 25. *q.* 3. *a.* 1. mulieribus ad Tonsuram adytum concedit; quae tamen opinio est falsa, temeraria, et periculosa in fide, ait Hallier. Notat etiam Tournely, licet foeminae ex iure Divino a SS. Ordinibus repellantur, quod ius est naturae sexus muliebris valde conveniens; simpliciter tamen naturale dici non debet, quia naturalis conditio mulieres Ordinis omnino incapaces non reddit, cum in veteri testamento Debbora populum rexerit, *Iud.* 4. et in Novo quatuor filiae Philippi virgines prophetaverint, *Act.* 21. et in multis Regnis foeminae haereditario iure solium et imperium teneant. Naturali tamen iuri convenientissimum est, ut ab Ordinibus repellantur; nam praeter naturalem subiectionem, quae mulieres decet, obstat sexus, verecundia, pudor, honestas, levitas et inconstantia, ne Sacerdotalia munia obeant. Quo iure foemina non sit capax?

Schol. 2. Mulieres quasdam apud Ethnicos Sacerdotio insignitas fuisse, ex historiis patet. Eumdem morem apud Gallos et Germanos olim obtinuisse, Tacitus refert *de mor. Germ.* Cereri Eleusinae apud Graecos, et Bonae Deae apud Romanos mulieres sacrificasse, passim narrant Graeci et Latini. Apud Gnosticos haereticos olim mulieres sacrificium obtulisse, tradit S. Irenaeus *l.* 1. *adv. haer.* c. 9. Apud Montanistas non solum in Diaconissas mulieres ordinabantur, sed etiam ad Episcopatus et Presbyteratus gradum promovebantur, teste S. Epiphanio *haer.* 49. I. Quia *ad Gal.* 3. *v.* 27. dicitur: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudaeus, neque Graecus: non est servus, neque liber: non est masculus, neque foemina.* Et in Veteri et Novo Testamento legimus, nonnullas foeminas Prophetiae dono illustres fuisse. *Resp.* In Christo nec masculus, nec foemina in iis, quae spectant ad fidem et salutem; non vero in iis, quae Solvuntur obiectiones.

pertinent ad functiones Ecclesiasticas. Dein dona gratis data non servant ordinem naturae; in ordine vero Ecclesiastico Christus Auctor eius eum servari voluit, scilicet, ut mulieres sint subiectae. II. Mulieres sunt capaces iurisdictionis Ecclesiasticae: sic Abbatissa Fontis Ebraldi benedictionem Monachis suis impertitur, eos investit, vota excipit. *Resp.* Imperium huius Abbatissae est mere oeconomicum, non vero Ecclesiasticum, quia censuras ferre nequit. III. Mulieres possident Beneficia Ecclesiastica, Lectiones in Choro legunt, et Psalmos cantant: ergo sunt Ordinis capaces. *Resp.* Ecclesia quaedam de suis redditibus mulieribus merito conferre potuit: legunt item et cantant in Choro ex concessione Ecclesiae, non vero ut publici ministri specialiter ad hoc ordinati. Potissimum autem contra nostrum dogma argumentum petunt nonnulli ex Historia Ecclesiastica, in qua mentio fit Episcoparum, etc. de quibus sit.

Episcopae, Presbyterissae et Diaconissae.

Schol. 3. Episcopae, Presbyterissae, Diaconissae, et Subdiaconissae olim dicebantur nonnullae mulieres, non a suscepto aliquo Ordine, sed a viris suis, qui, cum ad dictos Ordines assumerentur, eas relinquebant, vel in saeculo voto castitatis obstrictas, vel in Monasteriis Religionem solemniter profitentes. In hoc sensu usurpantur haec nomina in Concilio Turonensi II. a. 867. *c.* 12. Alio modo Presbyterissae et Diaconissae olim dictae sunt, quae quibusdam ministeriis Ecclesiasticis fungebantur, sine ullo tamen Ordine suscepto. Sic iuxta S. Athanasium *ad virg.* Virgo senior Presbyterissa dicta fuit. Diaconissarum officium olim fuit: 1. Si foemina Episcopum vel Diaconum volebat alloqui, a Diaconissa honestatis ergo ad illos ducebatur, *l.* 2. *Const. Ap. c.* 26. 2. Viduarum curam habebant, *ibid. l.* 3. *c.* 7, 3. Negotiis urgentibus, cum Episcopi foeminas adire non poterant, Diaconissae mandatum ad eas deferebant. 4. Rusticis et imperitis mulieribus principia fidei et ritus Baptismi exponebant: Concil. Carthag. IV. *c.* 12. 5. Cum mulieres baptizarentur, in earum corporibus nudandis et caute operiendis attenta erat Diaconissa, et Chrisma fronti capitique impositum per totum corpus manibus expandebat, *l.* 3. *Const. Ap. c.* 15. 6. Ad maiorem pudoris mulierum custodiam, portam, qua in Ecclesiam ingrediebantur, claudebant, et aperiebant, *ibid. l.* 3. *c.* 28. 7. Mulieribus suum locum in Ecclesia assignabant, *ibid. l.* 2. *c.* 28. 8. Diaconissae explorare debebant, si virgo Deo sacra suspicionem violatae castitatis incurreret: S. Epiph. *haer.* 79, 9. Diaconissarum curae sacra suppellex in Monasterio committebatur. Ad munus Diaconissarum nonnisi virgines et viduae admittebantur; saepius tamen viduae, quam virgines, et quidem viduae 60. annorum. Diaconissae etiam olim singulari ritu consecrabantur; nam *l.* 8. *Const. Ap. c.* 19. haec forma praescribitur: ut Episcopus Diaconissae manus imponat praesentibus Presbyteris et Diaconis ac Diaconissis eum praescripta oratione: *Deus aeternae, Pater D. N. I. C. qui viri et mulieris auctor es, qui Mariam, Debboram, Annam et Oldam Spiritu S. replevisti . . . . ipse nunc*

respice hanc ancillam electam ad ministerium, et mundam effice ab omni inquinamento carnis et spiritus, ut opus sibi impositum digne perficiat. Ordo Romanus hunc ritum refert: sub Missa post Epistolam, et Graduale ponat Episcopus orarium in collo eius, dicens: *Stola iucunditatis induat te Dominus*. Ipsa autem imponat velamen capiti suo palam omnibus de Altari acceptum. In Codice Manuscripto a Morino relato *de SS. OO. p* 2. sic legitur: Episcopus ordinandae caput inclinanti manum imponit, factisque tribus Crucis signis, sic precatur: *Deus Sancte, etc.* et postquam particeps facta est SS. Corporis, et Sanguinis pretiosi, tradit ei Archiepiscopus S. Calicem, quem accipiens in S. Mensa deponit. In Euchologio Graecorum Diaconissae fere ordinantur, uti Diaconi, absque eo, quod flabellum eis non detur, nec permittantur ministrare Sacramenta SS. Eucharistiae. Denique antiquum Pontificale Salisburgense eumdem ritum ordinandi Diaconum, et Diaconissam refert. Vide Martene *de ant. rit. c.* 8.

Schol. 4. Nonnulli quamdam Ioannam saeculo 9° inter Leonem IV. et Benedictum III. in Papissam consecratam esse narrant. Verum historiam hanc esse putidam fabulam probatur: 1. Quia coaevi Auctores aperte asserunt, Benedictum III. Leoni IV. immediate successisse, uti Lupus Ferrar. *ep.* 103. Ado Viennens. in *Chron*. Anastatius in *Vita Benedicti III.* qui dicit, eum in solio Leonis IV. sedisse a die 29 Sept. 855. cum Leo 17. Iulii eiusdem anni obiisset. Idem testatur Regino in *Chron*. et Nicolaus. I. successor Benedicti III. *ep.* 46. *ad Concilium Suessionense* testatur, Benedictum immediate Leoni successisse. Ergo non datur locus pro Ioanna Papissa, quae 2. ann. 5. mens. et 4. dieb. sedisse dicitur. 2. Ipsi haeretici texentes catalogum Romanorum Pontificum huius Papissae non meminerunt, quam certe non omisissent, si eam agnovissent, uti patet ex Photio *l. de Sp. S. process.* et Blondellus haereticus hoc figmentum peculiari dissertatione refutavit. Non obstat I. quod Marianus Scotus in *Chron*. Sigebertus in *Chron*. Martinus Polonus, et S. Antoninus *p.* 2. *Chron. tit.* 16. ac Platina *de Vit. Pont.* huius Ioannae Papissae meminerint. *Resp.* Marianus Scotus hanc fabulam non refert, quia in eius sinceris Codicibus non extat, uti notat Scriptor, qui Metropolim Krantzii notis illustravit. Sigeberti Chronico haec fabula aliena manu assuta fuit, uti constat ex autographo Coenobii Gemblacensis a Miraeo edito, in quo non legitur. Martini Poloni Chronicon etiam interpolatum fuit, et haec fabula non legitur in Codice Manuscripto Vaticano, teste Allatio: imo Burnetus refert, eam in manuscripto Anglicano in margine solum aliena manu assutam esse. S. Antoninus deceptus fuit ab interpolatore Poloni, et ipse hanc narrationem suspectam esse dicit. Platina parum aequus in Summos Pontifices, illam narrationem pro fabula habet, dicens: *Haec, quae dixi, vulgo circumferuntur, incertis tamen et obscuris auctoribus.* II. Statua huic Papissae in loco, ubi infantem peperit, olim erecta fuit, mulierem cum infante referens, quae deinde in Tiberim proiecta

De Ioanna Papissa.

fuit. Et Launoius *diss. de auct. argum. negat.* testatur, se eiusdem Ioannae statuam in Ecclesia Senensi inter alios Pontifices vidisse. *Resp.* Statua illa aut repraesentabat Sacerdotem Gentilem, aut aliquod antiquum Numen; nam altera manu ramum humero innixum deferebat, quod non est insigne Pontificum; quam statuam ad ampliandam viam Sixtus V. auferri iussit. Statua Senensis inter alias olim Pontificias ob fabulam illam reperta fuisse videtur eruditis; quae deinde sub Clemente VIII. in figuram Zachariae Papae mutata, et sub Alexandro VII. penitus remota fuit: sed ex hoc nihil probatur, quia hoc licentiae sculptoris tribuendum est. III. Romae in Basilica Lateranensi servatur etiamnum sella perforata, quam vocant stercorariam, in qua recens electus Pontifex sedet, et ad praecavendam omnem fraudem eius sexus exploratur, antequam consecretur. *Resp.* Sella stercoraria hodiedum in Basilica Lateranensi servata, vocatur non a forma; neque enim pertusa est, teste Mabillonio, sed ex versu Psalmi, qui Pontifice neo-electo in ea sedente in Choro canebatur: *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore erigit pauperem*, ut Papa intelligeret, se ex humili loco sola Dei misericordia ad solium evectum esse: cui caeremoniae similis est illa hodierna, qua coram Pontifice e Sacrario ad Altare pergente, stuppa in arundine posita accenditur, clamando: *S. Pater, sic transit gloria mundi.* Caeterum illa sella stercoraria post Ioannae Papissae fabulam adeo infamis facta est, ut ob hoc commentum hic ritus abrogatus fuerit; quod post Leonem X. factum esse putat Mabillonius.

ART. 2. *De Ordinatione data homini prorsus invito.*

Irrita est Ordinatio invito data.

§ 1171. Irrita est Ordinatio data homini omnino invito. 1° Quia c. *Maiores, de Bapt.* dicitur: *Ille, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec Characterem suscipit Sacramenti.* Loquitur quidem hic Innocentius de Baptismo; sed pro Ordine eadem et potior est ratio: ideo enim Deus noluit homines invitos baptizari, quia noluit aliquem per vim subiici Ecclesiae, et profiteri Evangelium licet haec sint absoluto necessaria ad salutem; cum e contra Ordines suscipere non cadat sub praecepto. 2° Patet ex continua praxi Ecclesiae: cum enim Firmus Caesareensis Episcopus armata manu venisset Thyanam, et loco Eutherii a Concilio Ephesino e sede deiecti alium Episcopum consecrasset, is affirmans, se per vim esse ordinatum, indutus chlamyde in theatrum ludos spectaturus ingressus est, nemine prohibente, quod singuli nossent, Ordinationem irritam fuisse.

Quot modis quis invitus sit?

Schol. 1. Quadruplex genus eorum distingui potest, qui inviti ordinantur. 1. Illorum, qui nec precibus, nec minis, nec monitis adduci possunt, ut Ordinationi consentiant; qui proinde sunt plane inviti, et eorum Ordinatio est invalida. 2. Eorum, qui ex humilitate et reverentia SS. Ordinum, eos refugiunt; ad quos tamen populi suffragio, precibus, et imperio vocantur et impelluntur. Hi primo sunt inviti, tandem tamen consentiunt; adeoque valida est eorum Ordina-

tio. 3. Illi inviti dicuntur ordinari, qui ab Episcopo per fraudem promoventur, ut ab aliquo officio Ecclesiastico deturbentur, in quo Episcopis molesti sunt: qui tamen consentientes valide ordinantur. 4. Illi inviti ordinantur, qui periculi metu ad Sacerdotium confugiunt, quibus etiam Ordinatio est simpliter voluntaria, adeoque valida.

Schol. 2. Parvulis ante usum rationis illicite quidem, valide tamen Sacramentum Ordinis confertur: ex *c. de Cler. per salt. ordinat.* ubi dicitur, quod, si quis Ordines Minores et Subdiaconatum reciperet ante usum rationis, antequam ad Diaconatum admittatur, debeant praedicti Ordines repeti, si de illorum receptione non constet; si autem constaret, minime. Deinde Sacramenta, quae imprimunt Characterem, non requirunt actualem consensum, et infantibus etiam valide conferri possunt, uti Baptismus (§ 945.). et Confirmatio (§ 970.). Ergo etiam Ordo. Dicit Tournely I. In infante est impossibilis actus Ordinis: ergo etiam potentia; non enim datur in eo voluntas propria recipiendi Ordines, nec sufficit aliena parentum, qui forte reclamant, et in Baptismo tantum ob eius necessitatem sufficit. *Resp.* In infante sufficit, quod actus sit possibilis pro sequenti tempore, sicuti intellectus est in puero ante usum rationis, licet solum subsequenti tempore possit eius actum elicere. Deinde in infantibus sufficit intentio interpretativa, vel per consensum parentum, vel Ecclesiae, quae per applicationem materiae et formae parvulis applicatur. II. Infans est incapax Sacramenti Matrimonii, Extremae Unctionis, Poenitentiae, et Episcopatus: ergo etiam Sacramenti Ordinis. *Resp.* In Matrimonio consensus proprius et mutuus habet se per modum materiae et formae. Et Extrema Unctio, ac Poenitentia supponit praecedentia peccata, quae infantibus non competunt. In Episcopatu vero, ubi datur iurisdictio in corpus Christi mysticum, requiritur usus rationis. III. Sic etiam perpetuo amentibus, et dormientibus valide Sacramentum Ordinis conferretur. *Resp.* De perpetuo amentibus idem dicendum est ac de infantibus: dormientes vero, et non perpetuo amentes adulti, debent habere intentionem, ut valide ordinentur. **An infantes valide ordinentur?**

Coroll. Pract. 1° Ad valide suscipiendos Ordines requiritur Baptismus aquae, quia per Baptismum flaminis et sanguinis non imprimitur Character, per quem fit aliquis capax Sacramentorum. 2° Foemina ne quidem est capax primae Tonsurae: Hermaphroditi, in quibus sexus foemineus praevalet, sunt absolute foeminae, et Ordinum sunt incapaces, sicut et illi, in quibus uterque sexus aeque dominatur, quia non sunt viri absolute: ii vero, in quibus sexus virilis praevalet, sunt absolute viri, licet sint irregulares, et peccent mortaliter, si sine dispensatione Ordines recipiant. 3° Ordinans puerum ante usum rationis, peccat mortaliter; valida tamen est Ordinatio. **Resolvuntur casus.**

CAP. X.

De requisitis ad Ordines suscipiendos.

Ad Ordines requiritur Divina vocatio. § 1172 Ad Ordines licite suscipiendos requiritur in primis in subiecto Divina vocatio. 1° Quia *Ioan.* 10. *v.* 1, *et* 2. dicitur: *Amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, et latro.* Quodnam vero sit hoc ostium, Christus aperit *v.* 7. *Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium.* Et *v.* 6. *per me si quis introierit, salvabitur.* Et *ad Hebr.* 5. *v.* 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo; tamquam Aaron.* 2° Idem communiter docent Patres ex ratione, quia ex vocatione Divina ceu radice pendet gratiarum series statui SS. Ordinum propria.

Vocatio quotuplex? *Schol.* Vocatio Divina est actus Providentiae supernaturalis, quo Deus aliquos prae aliis eligit, praeparatque dotibus congruis ad sacra ministeria digne et laudabiliter obeunda. Vocatio alia est interna, per occultam inspirationem; alia externa, per electionem, etc. (t. 2. § 852. et seqq.) Signa Divinae vocationis in subiecto sunt: conscientiae puritas, et anteactae vitae innocentia: studium et amor disciplinae Ecclesiasticae: recta intentio, seu finis honestus, vacuus ab omni vanae gloriae cupiditate, ambitione, et avaritia: amor salutis proximi. Vid. Cathec. Rom. et Ill. Godeau in opusc. *de necessit. Div. vocat. ad statum Eccl.*

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Non est peccatum grave Ordines Minores, Subdiaconatum et Diaconatum suscipere cum animo in his Ordinibus permanendi, et non altius ascendendi, nisi aliunde quis obligetur; quia omnes Ordines per se quidam gradus sunt. 2° Qui animo evadendi potestatem saecularem, primam Tonsuram, et Minores acciperet, et postea ad statum laicalem regrederetur, peccaret mortaliter, quia Tridentinum hoc expresse prohibet.

Art. 1. *De aetate ad Ordines requisita.*

Ætas ad Ordines requisita. § 1173. Ulterius ad licitam Ordinationem requiritur in subiecto legitima aetas. Nam iuxta Apostolum nemini cito manus imponenda est: *Quid est autem*, ait S. Leo *ep.* 1. *cito manus imponere, nisi ante maturitatem aetatis Sacerdotalem honorem tribuere?* Haec aetas pro prima Tonsura et Ordinibus Minoribus a Tridentino Episcoporum arbitrio relinquitur, *Sess.* 23. *cap.* 4. Concilium Mexicanum an. 1585. prohibet, ne Tonsura ante annum 10um conferatur: Concilium Burdigalense a. 1624. annum 12um requirit. Nullum ad Subdiaconatum ante vigesimum secundum: ad Diaconatum, ante vigesimum tertium: ad Presbyteratum, ante vigesimum quintum aetatis annum promoveri posse, Tridentinum statuit, *Sess.* 23. *cap.* 12. sufficiunt tamen hi anni inchoati. Circa aetatem Ordinandorum varia fuit olim Ecclesiae disciplina, uti ostendit Martene *de ant. rit. l.* 1. *c.* 8. Siricius iussit, ut Clerici se in functionibus Acolythorum, et Subdiaconorum exerceant usque ad annum trigesimum, quo ad Diaconatum promo-

veri possunt. Concilium Carthaginense III. c. 4. prohibet ordinari Diaconum ante annum 25um. Neocaesareense vult, Presbyterum ordinari anno trigesimo. Agathense Diaconos anno 25°. Episcopos et Presbyteros anno 30° ordinari statuit. Hodie in solo Episcopatu annus 30us requiritur.

Coroll. Pract. 1° Licet in aetate ad Ordines requisita una tantum hora desideretur, Ordines licite conferri non possunt, ubi etiam dies bissextilis cumputari debet: qui vero ex libro Baptismali testimonium aetatis habere nequit, illi testimonium parentum sufficit. 2° Conferens, et recipiens Ordines ante legitimam aetatem peccat mortaliter, * (et hic si mala fide, et scienter hoc fecerit, incurrit ipso facto perpetuam suspensionem ab executio Ordinis suscepti Papae reservatam, ut habetur in Const. Pii II. *Cum ex Sacrorum*) * et Ordinatus etiam bona fide ante legitimam aetatem nequit exercere illum Ordinem, nisi obtenta aetate sub peccato mortali: obtenta autem aetate, sine dispensatione eum exercere potest; imo si bona fide in illo ministraverit, non est factus irregularis, quia suspensio illa in hoc casu est tantum impedimentum Canonicum, non vero proprie dicta Censura: si vero mala fide in eo ministraverit, fit irregularis ex Bulla Pii II. *Cum ex sacrorum, etc.* quam si tolerabili ignorantia nesciat, iuxta P. Engl Irregularitatem non incurrit, quae utpote ex delicto solos contumaces stringit. Interim mala fide ordinatus ante legitimam aetatem celebrando Missam in Ordinatione, non fit irregularis; quia haec habetur pro actu Ordinationis. 3° In aetate ad Ordines requisita regulariter solus Papa dispensare potest, etiam solummodo quoad unicum diem, nisi forte Episcopi speciale privilegium super hoc obtinuerint. Resolvuntur casus.

Art. 2. *De temporibus Ordinationis, et interstitiis.*

§ 1174. Tertio ad licitam Ordinationem requiritur, ut observentur tempus Ordinationis, et interstitia a Sacris Canonibus praescripta. Ita statuit Siricius *ep.* 1. relata *can. Quicumque, dist.* 77. Innocentius I. *ep.* 4. *ad Felic. cap.* 4. Zosimus *ep.* 1. relata *can. In singulis, d.* 77. et Tridentinum *Sess.* 23. *cap.* 11. Instituta autem fuerunt haec interstitia, tum ut Ordinatus Ordinis dignitatem, officia, et pondus ex Ordinum functione cognoscat: tum ut animum Ecclesiasticum altius imbibat: tum ut longo virtutum usu probetur. Hinc Tridentinum loco citato statuit, Ordines Minores per intervalla conferendos esse, nisi aliud Episcopo magis expedire videatur: et ut nonnisi post annum a susceptione Ordinum Minorum aliquis ad sacros Ordines promoveatur, nisi necessitas, aut Ecclesiae utilitas iudicio Episcopi aliud exposcat. Inter alios vero Maiores Ordines requirit annum integrum, ut ab inferiori ascendatur ad superiorem. Tempus et interstitia observanda.

Coroll. Pract. 1° Quatuor Ordines Minores quolibet die Dominico aut Festo * (de praecepto tamen, et quidem mane, ut habet Pontificale Romanum) * conferri possunt; et Tonsura quovis die, c. 3. Resolvuntur casus.

de temp. Ord. Maiores vero Ordines solis Sabbatis quatuor Temporum; Sabbato Passionis, et Sabbato Sancto conferuntur, *c.* 3. *de temp. Ordin.* et quidem sub mortali, quia his temporibus servantur ad hunc finem solemnia ieiunia. Pro Ordinatione Episcopi dies Dominica ex antiqua Traditione assignatur. Si Episcopus non possit absolvere Ordinationem in die Sabbati, potest pergere in Dominicam; ubi tamen continuandum est ieiunium ab Ordinante et Ordinandis, ita ut censeatur manere eadem dies. 2° Ordinatus extra Tempora incurrit suspensionem ipso iure, ex Bulla Pii II. *Cum ad sacrorum*. Ordinans vero ipso iure nullam censuram incurrit, sed per sententiam inferendam, *c.* 2. *de temp. Ordin.* Absolutio tamen a suspensione non videtur esse Papae reservata, sed etiam Archiepiscopus quasi ab ipso iure ad hanc delegatus constitutus est, *c.* 16. *de temp. Ordin.* 3° Dispensatio circa tempora Ordinationis ordinarie ad Papam spectat, nisi Episcopi desuper privilegium obtinuerint. Quod si detur licentia, die Festo Ordines conferendi, nomine Festi venit etiam Festum duplex Chori, licet non sit fori. * (Contrarium tamen constat, ex S. C. Concilii, quae teste Fagnano, declaravit per dies festos intelligi, qui a populo servantur. Vid. Reiffenstuel l. 1. tit. 11 § 2.) * 4° Sub poena suspensionis non licet plures sacros Ordines, vel Minores cum Subdiaconatu eodem die recipere, *c.* 13. *et* 15. *de temp. Ord.* * (Quod postremum nulla lege constat, nec proinde admittendum, incurri scilicet suspensionem ab eo, qui Minores Ordines cum Subdiaconatu eadem die suscipit) * quae suspensio est Papae reservata: et Trid. *Sess.* 23. *cap.* 13. Consuetudo tamen, ut eodem die, et eadem Ordinatione alicui quatuor Minores et Subdiaconatus conferatur, non est contraria Tridentino, quod tantum de duobus SS. Ordinibus loquitur. Qui vero non servatis assignatis a Tridentino interstitiis ordinatur, peccat mortaliter, licet non incurrat suspensionem, vel irregularitatem. 5° Episcopus, item Vicarius generalis, et Capitulum sede vacante, in casibus, quibus dimissorias dare potest, in interstitiis dispensare possunt, non vero Abbates cum suis Religiosis. Et si quis ex aliena dioecesi cum dimissoriis sine dispensatione ad alienum Episcopum veniat, Episcopus ordinans dispensare nequit, quia est actus iurisdictionis. Annus vero interstitialis non debet mathematice computari, ita ut praecise contineat 365 dies, sed Ecclesiastice, v. g. a prima Ordinatione Quadragesimae usque ad eamdem anni sequentis, licet anno sequenti Quadragesima citius veniat. Vide *Instit. I. E. tom.* 2. § 394.

Ordinatio per saltum est illicita.

§ 1175. Quarto ad licitam Ordinationem requiritur, ut aliquis non ordinetur per saltum, hoc est, ne quis ad superiorem Ordinem promoveatur, omisso inferiori * (Item ne furtive ordinetur, idest sine licentia, et praevio examine sui Episcopi). * Ita constat ex continua praxi Ecclesiae. Sic Siricius *ep.* 1. *ad Himerium c.* 9. Zosimus *ep.* 1. *ad Hesych.* aperte declarant, necesse esse, omnes Ordinum gradus servare, antequam ad primum perveniatur. Alexander II. *c. Sollici-*

tulo, d. 52. de Clerico, qui Subdiaconatus Ordine omisso, Diaconus et Presbyter fuerat ordinatus, decernit: *Mandamus, ut ab officio Sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor Temporum ieiunio Subdiaconatus ministerium sibi rite imponas, et sic deinceps ad maiora officia eum redire concedas.* Idem statuit Innocentius III. *de Cler. per salt. promot.* Et Tridentinum *Sess.* 23. *cap.* 14. *de Ref.* ait: *Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.* Ergo Ordinationes per saltum sunt illicitae: Episcopatus vero sine Presbyteratu susceptus, etiam est invalidus (§ 1161.)

* (*Coroll. Pract.* 1° Promotus per saltum est ipso iure suspensus ab Ordine male suscepto, in quo si non ministraverit, Episcopus ex legitima causa potest dispensare. Tridentinum *Sess.* 23. *cap.* 14. Quod si ministraverit incurrit irregularitatem, a qua etiam dispensare potest Episcopus, si delictum sit occultum. Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 6. 2° Furtive promotus ad Ordines Maiores incurrit suspensionem, et irregularitatem, a quibus etiam Episcopus dispensare potest. *Cap.* 1. *de eo, qui furtive*). *

Art. 3. *De Titulo ad Sacros Ordines necessario.*

§ 1176. Quinto ad licitam Ordinationem in Ordinibus sacris, Subdiaconatu, etc. requiritur in subiecto Titulus, seu remedium, quo providetur Ordinando de sufficiente et perpetua sustentatione. Ita habet antiquissimus usus Ecclesiae: quippe Concilium Chalcedonense a. 451. *can.* 6. iam statuit, nullum absolute ordinari, nisi specialiter in Ecclesia civitatis vel pagi, aut Monasterio, is, qui ordinatur, designetur. Eos autem, qui absolute ordinantur, decrevit S. Synodus irritam et invalidam habere huiusmodi manus impositionem, et nusquam exerceri et operari posse: S. Gregorius M. *l.* 3. *ep.* 42. Clericos in Ordinatione certis Ecclesiis adscribi, docet Concilium Francofurdiense a. 794 *c.* 28. Et Capitularia Caroli M. *l.* 5. *c.* 108. ac Concilium Claromontanum a. 1095. vagas Ordinationes prohibuerunt. Denique Tridentinum *Sess.* 21. *de Ref. cap.* 2. statuit: *Ne quis deinceps Clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et aetate ad SS. Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestum sufficiat, pacifice possidere: id vero Beneficium resignare nequeat, nisi facta mentione, quod ad illius Beneficii titulum sit promotus.* Rationem assignat: *Quia non decet eos, qui Divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum quaestum exercere.* Et Deinde contra promotos sine titulo poenas antiquorum Canonum innovat: et quidem Ordinans tenetur alere Ordinatum sine titulo, usque dum Beneficium consequatur *c.* 2. 4. *de Praeb.* Et si fecerit cum eo pactum de non petendo aliquid, suspensionem a collatione Ordinum per triennium incurrit, *c.* 45. *de Simon.* Ordinatus vero sine titulo incurrit suspensionem ab officio, *c. Neminem* 2. *d.* 70.

Ad Ordinationem requiritur Titulus.

Tituli divisio. *Schol.* Titulus Ecclesiasticus olim dicebatur Ecclesia, ad cuius servitium Diaconi et Presbyteri ordinabantur. Hunc titulum mutare poterant, uti patet ex Synodo Rhemensi an. 813. c. 20. Titulus Beneficii solus olim in Ecclesia usque ad saeculum duodecimum in usu fuit: deinde cum Clerici nimis vage ordinarentur, et exinde multa mala orirentur, in Concilio Lateranensi sub finem saeculi duodecimi sub Alexandro III. statutum fuit, ut si quis Episcopus Clericos vage sine beneficio ordinaret, eos etiam aleret, nisi tantum habeant ex proprio Patrimonio, ut se possint sustentare. Unde ortus est titulus Patrimonii, contra quem in Concilio Tridentino acriter pugnatum fuit, teste Pallavicino *l.* 17. c. 9. nonnullis contendentibus, nullum sat praesens remedium fore malis, quibus laborabat Clerus, nisi prohiberentur Ordinationes vagae, quia bonis paternis contenti Ordinati obedientiae Episcopi se facile subtraherent. Alii e contra opponebant, Beneficia et proventus Ecclesiae non sufficere ad alendos necessarios Ecclesiae ministros, cum in nonnullis regnis plura Beneficia tenuia coniungenda forent ad unius Clerici sustentationem, ac proinde tolerandos esse titulos Patrimoniales. Utrique malo mederi cupiens Tridentinum, *Sess.* 21. *cap.* 2. *de ref.* statuit, nullum promovendum, nisi quem Episcopus Ecclesiae necessarium aut utilem iudicaverit: et *Sess* 23. *de ref. cap.* 16. neminem deinceps ordinandum, quin simul mancipetur ministerio alicuius Ecclesiae. Quare titulus alius est *Ecclesiasticus*, alius *Patrimonialis.* Titulus Ecclesiasticus subdividitur in *titulum Beneficii*, qui est ius fruendi bonis Ecclesiae: et in *titulum Paupertatis*, ad quem ordinantur Religiosi in Religione approbata valide professi: et in *titulum Mensae*, quo alicui de congrua sustentatione providetur a magno Principe: denique *titulus Patrimonii* est, quando Ordinandus actu habet bona propria et immobilia ad sustentationem sufficientia.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Saecularis ex eo praecise ordinari non potest, quod sit vir litteratus, aut graduatus in Theologia, aut Iure Canonico: Trid. *Sess.* 21. c. 2. 2° Ut quis ordinari possit, debet pacifice possidere Beneficium perpetuum et sufficiens ad congruam sustentationem, arbitrio prudentis determinandam; quod resignare nequit, nisi aliunde ali possit. Item potest quis ordinari ad titulum quotidianarum distributionum perpetuarum, aut Capellaniae perpetuae; non tamen ad titulum Beneficii, de se ad congruam sustentationem insufficientis, quod sufficiens sit ob Missarum stipendia, quia haec sunt incerta: nec potest quis ordinari ad titulum Beneficii certi de futuro, quia Tridentinum pacificam possessionem requirit. 3° Nomine Patrimonii veniunt omnia bona immobilia paterna, vel materna pacifice possessa, certa frugifera, aere alieno non gravata, nec hypothecata: ad titulum vero haereditatis divitis futurae filius ordinari nequit, nisi pater certum Patrimonium illi actu possidendum assignet: nec potest quis ordinari ad titulum legati in testamento relicti, vivente testatore. 4° Titulus Mensae tam a personis laicis, quam

Ecclesiasticis constituti potest, cum obligatione reali et hypotherata tot bonorum, ut sufficienter provisum sit Clerici sustentationi. Si vero a Monasteriis et Ecclesiis Collegiatis hic titulus concedatur, non requiritur quidem hypotheca, quia boná Ecclesiae alienari non possunt; requiritur tamen consensus Capituli. 5° Ordinatus sine titulo a P. Engl liber esse a suspensione censetur, quia alias mendicare cogeretur. Vide *Inst. I. E. tom.* 2. § 393. *et seq.*

ART. 4. *De scientia, et probitate Ordinandi.*

§ 1177. Sexto ad licitam Ordinationem requiritur in subiecto vitae probitas, et debita scientia. 1° Quia 1. *ad Tim.* 3. *v.* 2. dicitur: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, etc.* Et *ad Tit.* 1. *v.* 5. iubet, per civitates constitui Presbyteros, *si quis sine crimine est.* Et de Diaconis ait: *Diaconos similiter pudicos, non bilingues.* Hinc Tridentinum *Sess.* 23. *cap.* 12. iubet, eos ad Ordines assumi, *quorum probata vita senectus sit.* 2° De necessaria scientia dicitur *Osee* 4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Et *ad Tit.* 1. *Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere.* Concordat Ius Canonicum *can. Illiteratos, d.* 36. *Illiteratos . . . nullus praesumat ad Clericatus Ordinem promovere, quia litteris carens non potest esse aptus officiis.* Et *c. ult. de temp. Ord.* Episcopus ad annum a collatione Tonsurae suspenditur, qui illiterato eam contulit. In Ordinando requiritur probitas et scientia

Coroll. Pract. 1° Examen Ordinandi Ordinationi praemitti debet, quod triplex est: primum, quo Ordinandus per mensem ante Ordinationem Episcopum adire debet, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nomine et desiderio illius publice in Ecclesia propositis, de eius natalibus, aetate, moribus, et vita diligenter inquirat, et testimonium ad Episcopum transmittat; quod tamen usus in Germania ubique non recepit. Ita Trid. *Sess.* 23. *de ref. cap.* 5. Alterum examen est feria 4ª vel alio die opportuno ante Ordinationem, *loc. cit. cap.* 7. ubi Ordinandus interrogatur, de genere, libertate, legitima nativitate, aetate, bigamia, moribus, doctrina. Tertium examen et scrutinium est in Ordinatione, ubi Ordinans quaerit, an Ordinandi sint digni, ad quod Archidiaconus respondet. 2° Peccat mortaliter tam Ordinans, quam Ordinandus, qui sine sufficienti scientia, et morum probitate Ordines confert vel suscipit. Resolvuntur casus.

ART. 5. *De carentia irregularitatis in ordinando.*

§ 1178. Septimo ad licitam Ordinationem requiritur, ut Ordinandus non sit irretitus aliqua Irregularitate. Est autem *Irregularitas* impedimentum Canonicum, quo quis redditur inhabilis directe ac primario ad Ordines licite recipiendos. Irregularitas quid?

Eius origo. *Schol.* 1. Verbnm hoc irregnlaritas in antiqnis Canonibus non occnrrit; sed cum illi regnlas praescripserint, ex quibus innotescit, quinam ordiuari possint, an non; hi, qni ab iis regulis aberrabant, dicebantur a regula alieni, uti legitur in Cauone Nicaeno 17° *de Clerico usurario*. Multis saecnlis crimen duntaxat erat causa Irregnlaritatis; verum cum seusim disciplina circa admittendos reos alicuius crimiuis praesertim occulti nounihil relaxata fuisset, persuasumqne esset, crimine per Sacramentnm delcto, sublatum esse impedimentnm, et reum libere ad sacros Ordines promoveri posse, ant ad susceptorum functiones restitni; coacta fuit Ecclesia, nonnulla crimina determinare, quae etiam per poeniteutiam deleta a snsceptione SS. Ordinnm impediunt. Deinde cnm nonnulli defectus etiam siue crimine aliqnam indecentiam annexam babeant, quosdam uotavit Ecclesia, qui ab Ecclesiasticis ministeriis eiusmodi defectnosos repellunt.

Divisio. *Schol.* 2. Hinc Irregularitas dividitnr 1. in Irregularitatem *ex defectu*, quae fundatur in aliquo defectu absque propria cnlpa: et *ex delicto*, quae contrabitur propter indecentiam in propria culpa fnndatam. 2. Irregularitas alia est *totalis*, quae omnium Ordinum susceptionem, et usnm impedit: alia est *partialis*, quae aliquorum solnm usu et ministerio, vel snsceptione privat.

Effectus Irregularitatis. § 1179. Irregularitas prohibet ab Ordinum susceptioue, et susceptorum exercitio: ita patet ex ipsa definitione (§ 1178.).

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Nulla Irregularitas incurritur, nisi sit in iure expressa; unde argumentnm a simili, vel a miuori ad maius uon valet, qnia nulla est a iure naturali vel Divino statuta. 2° Solus Papa vel Concilinm generale Irregnlaritatem potest imponere; imo iuxta Salmanticenses ne quidem consuetudo eam introducere potest. 3° Omnes Ordinum capaces, sunt etiam capaces Irregularitatis. Irregnlaris autem non prohibetur ab illis actibns, qni a pnris laicis exerceri possunt; ideoque irregnlaris, excepto Ordine, reliqua Sacramenta suscipere potest, Divinis Officiis assistere, Ordiuum Minorum exercitia more laico peragere, cnm aliis in Cboro canere, exceptis iis, quae S. Ordinem requirunt, uti dicere: *Dominus vobiscum*. Item Irregnlaris omnia exercere potest, quae ad usum Iurisdictionis, nou vero Ordinis spectant: uti Censuras imponere; Beneficia conferre; eligere; Indulgentias concedere; dispensare in votis; absolvere a Censuris; dare facultatem audiendi Confessiones. 4° Irregularitas facit, quod collatio Beneficii irregnlari facta, sit invalida, et quidem probabilius ipso iure, ita ut irregularis teneatur in conscientia resignare beneficinm, si dispensatio non sit intra breve tempus impetranda; quia inconveniens videtur, eum retinere Beneficium, qui officinm praestare nequit. 5° Irregularitas ex defectu ante omnem sententiam incurritur, et nihil ab ea excusat; Irregularitas vero ex delicto, solum incurritur ob delictnm mortale. In dubio iuris, quando dubitatur, an pro tali actu in iure sit assignata Irregnlaritas, dubitans non tenetur se gerere ut irregularem in foro conscientiae, nec talis in foro externo est iu-

dicandus. In dubio etiam facti de delicto, excepto homicidio, *c. Ad audientiam, de homicid.* aliquis non est habendus irregularis. 6° Ignorantia invincibilis Irregularitatis ex delicto, non excusat ab illa, quia Irregularitas non est primario poena, sed inhabilitas delicto annexa ob reverentiam SS. Mysteriis debitam. Ita P. Pichler contra multos.

ART. 6. *De variis irregularitatis ex defectu speciebus.*

§ 1180. Irregularitatis ex defectu novem sunt species, scilicet, ex Irregularitatis ex defectu defectu *Animi*, *Corporis*, *Natalium*, *Famae*, *Ætatis*, *Obligationis*, *Sacramenti*, *Libertatis*, *Lenitatis:* quas species explicabunt sequentia Corollaria.

Coroll. Pract. I. Triplex *Animi* defectus inducit Irregularitatem: Ex defectu Animi. 1° defectus usus rationis, ob quem amentes, furiosi habituales, lunatici, epileptici, energumeni sunt irregulares. Amentia tamen et epilepsia non impedit Clericum iam ordinatum ab exercitio Ordinum, nisi quamdiu durat, aut periculum adest in eam reincidendi, *c. Communiter, d.* 33. 2° defectus scientiae, ob quem sunt irregulares, qui nec sciunt, nec discere possunt, quae Ordinandi scire debent, *c. Illiteratos, d.* 36. 3° Defectus fidei confirmatae, ob quem irregulares sunt recenter ad fidem conversi a Iudaismo, et Idololatria, *c. Quoniam, d.* 48.

Coroll. Pract. II. Ex defectu *Corporis* sunt irregulares, 1° Qui Ex defectu corporis. ob defectum corporalem non possunt sine notabili indecentia, deformitate, horrore et nausea ac scandalo Divina peragere, *c. Presbyterum, de Cler. aegrot.* v. g. qui caret auribus, nisi capillis tegere possit, naso; monstrose gibbus, leprosus, paralyticus, aut qui membra habet cum deformitate superflua. 2° Ille defectus corporis inducit Irregularitatem, ob quem quis ineptus est ad exercitium Ordinis, si sit caecus, surdus, claudus; si careat manu, pollice vel indice, ita ut S. Hostiam frangere non possit; oculo Canonico, scilicet sinistro, ita ut Canonem sine indecenti torsione legere non possit; in quibus casibus indicium ad Episcopum spectat. 3° Carentia vel privatio membri alicuius occulti sine propria culpa non inducit Irregularitatem, si deformitatem post se non trahat: si vero propria culpa contingat, Irregularitatem inducit, v. g. si quis membrum occultum sibi amputavit, *c. Maritum d.* 33. Dispensatio in Irregularitate ex defectu corporis, per se ad Papam spectat.

Coroll. Pract. III. Ex defectu *Natalium* irregulares sunt, 1° Om- Ex defectu Natalium. nes illegitime nati extra verum, vel invincibiliter putatitie verum Matrimonium: secus, si sit tantum illicitum. Expositi tamen, et qui dubitant, an sint legitimi, dummodo post septimum mensem ab inito Matrimonio nati sint, habentur pro legitimis. 2° Mater occulte sciens, filium esse illegitimum, non solum permittere, sed etiam suadere illi potest, ut Ordines suscipiat, quia filius laborat ignorantia invincibili circa aliquid, quod de se malum non est: et matri alleganti

propriam turpitudinem non creditur. Si filius sciat, se esse illegitimum, et ex una parte gravis causa urgeat Ordines suscipiendi, ex altera parte se graviter infamaret, si dispensationem peteret, sine hac ordinari potest; secus foret, si nulla cogat necessitas. 3° Irregularitas ex defectu Natalium tollitur per solemnem Religionis Professionem quoad Ordines, non vero quoad Praelaturas, et dignitates, pro quibus specialis dispensatio requiritur, c. 1. *de fil. Presb.* quam pro Praelaturis intra Religionem Praelati Regulares subditis suis possunt concedere. 4° Filii nati ex soluto et soluta, qui carent impedimento dirimente, legitimantur per subsequens Matrimonium, *c. Conquestus. Qui filii.* Nati vero ex adulterio, constante adhuc Matrimonio, non legitimantur, si adulter, mortua sua coniuge, ducat foeminam, ex qua prolem suscepit, sive machinatio mortis coniugi praecesserit, sive non: *c. Tanta. Qui filii:* et ex declaratione Benedicti XIV. in Rescripto: *Redditae nobis.* 5° Irregularitas ex defectu Natalium tollitur per legitimationem a Papa, quoad effectus spirituales, ius ad Ordines, Beneficia, et Dignitates: quoad effectus vero civiles, legitimatio spectat ad Principem. 6° In Irregularitate ex defectu Natalium Episcopus cum suis subditis ad Ordines Minores, et Beneficia simplicia, non tamen ad plura Beneficia etiam tenuia ab uno possidenda, dispensare potest, *c. Is qui, de fil. Presb.* Item si defectus Natalium sit occultus, Episcopus super eo etiam ad Maiores Ordines et Beneficia curata probabiliter dispensare potest, ex regula Tridentini *Sess.* 24. *de Ref. c.* 6. *Liceat Episcopo in omnibus Irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus... dispensare.* 7° Dispensatio est solum habilitatio ad aliquos actus: legitimatio vero ad omnes; adeoque differunt. 8° Quando petitur a Papa dispensatio, debet exprimi nomen petentis, dioecesis, et an sit natus ex utroque parente soluto, vel alterutro coniugato, aut in Sacris constituto; alias irrita est dispensatio. Vide *Inst. I. E. tom.* 1. § 98.

Ex Defectu Famae. *Coroll. Pract. IV.* Irregularitas ex defectu *Famae* contrahitur, 1° Ex infamia iuris, ob delictum proprium, vel parentum, vel vili conditione personae, ob dispositionem iuris Civilis aut Canonici; vel ex sententia iudicis, aliquem ad infamantem poenam damnantis, v. g. ad triremes, flagella, etc. Peccata infamiam iuris inducentia, sunt: Duellum, raptus mulierum, et consilium aut auxilium ad hoc praestitum. Item infames sunt Gladiatores, Usurarii publici, Lenones, id est, scortorum prostitutione quaestum facientes: *c. infames, can.* 3. *q.* 7. 2° Infamia facti oritur ex delicto gravi, et notorio, propter quod reus apud viros graves male audit; ad quam requiritur infamia ex iure seu iudicis sententia orta, ita ut non per vitae emendationem, sed per dispensationem tollatur.

Ex defectu Ætatis. *Coroll. Pract. V.* Irregularitas ex defectu *Ætatis* oritur in iis, qui sine legitima aetate a Tridentino requisita Ordines suscipiunt. De hac actum est (§ 1173.).

Ex defectu *Coroll. Pract. VI.* Irregularitas ex defectu *Obligationis* afficit

1° Curiales, qui in Curia Principum saecularium aliquo officio funguntur; uti Iudices, Advocati, Notarii, Milites, qui tamen deposito officio ordinari possunt. 2° Irregulares etiam sunt, obligati ad ratiocinia ob administrationem publicam, vel privatam, *tit. de oblig. ad ratioc.* qui tamen redditis rationibus et exsoluta obligatione, ordinari possunt. 3° Obligatus personae miserabili, etiam non deposito onere, ordinari potest, quia miserabilium curam quilibet potest suscipere, *c. Pervenit, d.* 86. Item obligatus personae Ecclesiasticae, quia ex hoc nullam molestiam timet Ecclesia. Obligationis.

Coroll. Pract. VII. Irregularitas ex defectu *Sacramenti*, seu significationis Matrimonii, oritur ex Bigamia, quia secundae nuptiae perfecte non significant unionem Christi cum Ecclesia, quae est unius cum una: unde Apostolus 1. *ad Tim.* 3. ait: *Oportet, Episcopum esse unius uxoris virum.* Bigamia autem est triplex: 1° vera, quando plures uxores successive ducuntur; ad quam tamen requiritur Matrimonium consummatum: *c. Nuper, de Big. non ord.* nec sufficiunt Sponsalia de futuro cum pluribus, etiam secuta copula, nec fornicatio, adulterium, aut Matrimonium tantum ratum cum pluribus; sed requiritur verum, vel praesumptum, *c. Debitum, de Bigamis*, 2° Bigamia, alia est interpretativa ex interpretatione iuris, v. g. si quis viduam duxit, et cognovit, *c. Debitum, de Bigam.* Item si quis propriam post adulterium ab ea patratum cognoscat, *c. Si quis uxorem, d.* 34. Item si quis ducat uxorem prius ab alio etiam per fornicationem corruptam, et eam cognoscat; non vero, si ipse eam ante corrupit. Denique si quis plures uxores non veras propter impedimentum dirimens etiam in uno tantum Matrimonio habuerit, licet vel simulate solum, vel nescius impedimenti contraxerit. 3° Bigamia, alia est similitudinaria, qua quis post votum solemne castitatis in Religione approbata emissum, vel post susceptum S. Ordinem, contrahit, et consummat Matrimonium: *c. Quotquot, can.* 28. *q.* 1. quia talis censetur duo Matrimonia contrahere; spirituale cum Christo, et carnale cum muliere. 4° Haec Irregularitas non tollitur per Baptismum, sed per dispensationem a Papa factam; quia ab Apostolis ut Praelatis Ecclesiae, non vero ut praeconibus legis a Deo latae statuta fuit. Episcopis tamen conceditur facultas dispensandi in Bigamia similitudinaria in eo, qui cum virgine contraxit, *c.* 4. *de Cler. coniug.* Vide *Instit. I. E. tom.* 1. § 99. Ex defectu Sacramenti.

Coroll. Pract. VIII. Irregulares ex defectu *Libertatis* sunt, 1° Omnes servi proprie dicti, quamdiu durat servitus, *tit. de serv. non ord.* Servus vero ignorante, vel invito domino ordinatus, peccat mortaliter, et in Minoribus ordinatus manet servus, omni Clericali privilegio privatus, *c. Servorum, de serv. non ord.* Si vero in Maioribus ordinetur, sciente Episcopo, Episcopus tenetur in duplo domino satisfacere, quo non soluto, servus non liberatur a servitute. 2° Coniugati ordinari non possunt, nisi uxores consentiant, et castitatem voveant; sicuti nec milites, quamdiu iuramento suo teneantur. Ex defectu Libertatis.

Ex defectu Lenitatis. *Coroll. Pract. IX.* Irregularitas ex defectu *Lenitatis* oritur 1° in eo, qui voluntarie, active et proxime, licet iuste concurrit ad necem, vel mutilationem alicuius. Hinc irregulares sunt, qui in iusto iudicio sanguinis proxime cooperantur, uti Accusator vindictam petens; secus vero, si suum duntaxat requirat: Advocatus Accusatorem iuvans: Testes: Notarius mortis sententiam scribens: Iudex sententiam ferens: Carnifex, et qui illi operam praestant: *c. Sententiam. Ne Clerici vel Monachi, etc.* Non tamen fiunt irregulares, qui gladios vel laqueos faciunt: Legislator leges capitales condens: Concionator in genere dicens, puniendos esse malefactores: Confessarius interrogatus, an reus mortem mereatur, dicens, iudicem sine acceptione personarum fungi debere suo officio; quia hi omnes remote solum concurrunt, nec aliquid in particulari faciunt aut dicunt, ex quo mors sequatur, vel acceleretur. 2° Subinde etiam proxime concurrentes ad mortem, et mutilationem ab Irregularitate excusari possunt: v. g. si Confessarius ex indeliberatione ad reum dicat: properemus: vel si cooperatio sit valde exigua, v. g. si quis furem hortetur, ut scalam ad patibulum ascendat; vel carnificem moneat, ut aliquid melius aptet, quo reus citius extinguatur; vel si quis suggerat viam breviorem ad locum supplicii; vel qui carnifici putanti, suspensum esse mortuum, significat, eum adhuc vivere, unde ille novam carnificinam exercet. 3° Clerici, aut Monachi, executioni sententiae tantum ut spectatores assistentes sine causa ex mera curiositate, peccant venialiter; non tamen fiunt irregulares. 4° Dominus temporalis etiam Ecclesiasticus causas sanguinis aliis vel in genere, vel in particulari committere potest; non tamen sine Irregularitate potest praecipere, hunc latronem in particulari suspendi. 5° Si bellum sit evidenter iniustum, omnes in eo militantes sunt irregulares, licet propriis manibus neminem interfecerint, *c. 4. d. 41.* * (dummodo constet, aliquem ex hostibus fuisse uccisum).* *Irregulares etiam sunt, qui in bello iusto* * (Si sit aggressivum) * *propria manu aliquem occidunt, vel mutilant: c. Petitio de homic. Secus si nullum occiderint.* * (Si autem bellum sit defensivum, non incurritur irregularitas, etsi quis propria manu aliquem occiderit. *Arg. c. 2. de imm. Eccles.*) *. 6° Medici et Chirurgi non fiunt irregulares, qui sequentes artis suae regulas consuluerunt, vel executi sunt mutilationem, quia hoc fit ad conservationem totius, secus foret, si gravis negligentia interveniret. Clericus vero si talem adustionem aut mutilationem imperet, fit irregularis; quia haec ars Clericis prohibetur: *c. Sententiam. Ne Clerici. c. Tua, de homic.* Vide *Inst. I. E. tom. 1.* § 100.

Art. 7. *De irregularitate ex delicto.*

Irregularitas ex delicto. § 1181. Irregularitas ex delicto incurritur quatuor modis: *Ex delicto haeresis: Ex iteratione Baptismi: Ex indebita susceptione vel usu Ordinis: Ex homicidio:* uti explicabunt sequentia Corollaria.

Ex delicto *Coroll. Pract. I.* Iure communi sunt irregulares tam *haeretici*, quam

eorum fautores, et filii usque ad secundam generationem, c. *Quicumque*, *de haeret. in* 6. Item Apostatae, Schismatici, et eorum fautores ac defensores, c. *Statutum, de haeret. in* 6. In variis tamen Provinciis haeretici ad fidem conversi non habentur ut irregulares, multo minus eorum filii, et sine dispensatione promoventur tum ad Ordines, tum ad Beneficia. haeresis.

Coroll. Pract. II. Serio et scienter *rebaptizans*, et *rebaptizatus* fiunt irregulares; ita tamen, ut Clericus rebaptizans tantum impediatur a suscipiendo altiori Ordine: *c. Qui in can.* 1. *q.* 7. non tamen incurritur Irregularitas, si Baptismus detur sub conditione, vel si Baptismus non sit solemnis: *c.* 2. *de Apostat.* nec in iteratione aliorum Sacramentorum. In hac irregularitate Papa, vel si delictum sit occultum, etiam Episcopus dispensat. Ex iteratione Baptismi.

Coroll. Pract. III. 1° Irregularis est, qui *suscipit Ordinem* in Excommunicatione maiori, vel ab Episcopo non habente iurisdictionem, vel ante legitimam aetatem, vel sine dimissoriis, vel furtive et non examinatus. 2° Si quis censura innodatus, excepta Excommunicatione minori, actum Ordinis solemniter exerceat, fit irregularis, *tit. de Cleric. excom.* 3° Depositus, degradatus, irregularis, si actum Ordinis exerceat, non incurrit novam Irregularitatem; quia in iure tantum fit mentio Interdicti, Suspensionis, et Excommunicationis. 4° Irregularis fit Clericus, qui Ordinem, quem non habet, solemniter ac scienter exercet: *c.* 2. *de Cleric. non ordinat.* debet tamen Ordo esse sacer; nam in Minoribus etiam laici adhibitis vestibus Ecclesiasticis sine Irregularitate ministrare solent. Ex indebita susceptione et usu Ordinis.

Coroll. Pract. IV. 1° Irregularitas contrahitur ob *mutilationem* alicuius membri principalis, quod officium per se distinctum habet, uti manus, pedis, oculi: non vero ob excussionem dentis, abscissionem digiti, auriculae exterioris, nasi exterioris: sicut nec fit irregularis, qui membrum aliquod tantum debile reddit, nisi ita debilitet, ut siccum et mortuum remaneat, quia sic re ipsa mutilat. 2° *Homicidium* causat Irregularitatem, si sit voluntarium directe vel indirecte in sua causa cum effectu necessario connexa, et quando mors sequitur, *tit. de homic.* Irregulares etiam fiunt mandantes, consulentes, consentientes, cooperantes. 3° Ex homicidio causali oritur Irregularitas in eo, qui dat operam rei illicitae, et casu alium occidit, uti Clerico in clamorosa venatione casu alium occidente. Qui vero dat operam rei licitae, et omnem diligentiam ad evitandum homicidium adhibuit, non incurrit Irregularitatem: *c.* 9. 13. 14. *de homic.* unde Clericus in venatione quieta casu alterum occidens praemissa omni praecautione, ab Irregularitate forte excusari poterit. 4° Magister et Pater leviter verberando discipulum vel filium non fiunt irregulares, si casu mors sequatur: nec ille, qui equitans adhibita debita praecautione casu puerum occidit: nec ille, qui bona fide dat aliquid infirmo ad levamen, unde mors sequitur, vel acceleratur: nec is, qui infirmum in aliud latus vertit, ut quiescat, etsi mors inde praeter Ex mutilatione et homicidio.

intentionem acceleretur. Si quis vero hoc ideo faceret, ut infirmus citius moreretur, licet ex compassione hoc faceret, fieret irregularis; sicuti etiam ille fit irregularis, qui contra praeceptum medici, vel temere ex suo capite infirmo medicamentum confert, ex quo mors notabiliter acceleratur; quod ab ipso praevideri potuit, vel praevisum est, licet ex commiseratione hoc faciat, quia dat operam rei illicitae et periculosae. 5° Qui iniustum aggressorem vitae et bonorum temporalium non recuperabilium servato moderamine inculpatae tutelae occidit, non fit irregularis: Clement. *Furiosus*, *de hom*. Vide *Inst. I. E. tom*. 1. § 102.

CAP. XI.

De obligationibus Ordinatorum, ac primum de Coelibatu.

Obligationes Ordinatorum. Coelibatus.

§ 1182. Obligationes Ordinatorum in sacris Ordinibus praecipuae, sunt: Lex Coelibatus, et obligatio recitandi Horas Canonicas. *Lex Coelibatus*, seu servandi perpetuam castitatem, Ordinibus sacris imposita, aequissima et sanctissima est, ac proinde graviter obligat. 1° Quia decet sanctitatem et puritatem nostrorum Mysteriorum, quae nonnisi a puris ministris contrectari debent. 2° Sacra ministeria et officia totum hominem sibi vindicant, curis saecularibus non distractum et occupatum; cum iuxta Apostolum, 2. *ad Tim*. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus:* Et iuxta eumdem, 1. *ad Cor*. 7. decet, fideles coniugatos *ad tempus abstinere, ut orationi vacent*. Ergo multo magis sacri Ministri semper continentes esse debent, quia continuo orationi vacare tenentur. 3° Denique cum Christus ipse Virgo ex Virgine natus fuerit, ab iis solum in Sacrificio contrectari debet, qui aut virgines sunt, aut perpetuo continentes.

Solvuntur obiectiones.

Schol. 1. Protestantes legem Coelibatus sacris Ordinibus impositam, velut iniustam, tyrannicam et verbo Dei contrariam impie traducunt. I. Quia *ad Hebr*. 13. connubium dicitur *honorabile in omnibus, et thorus immaculatus*. Et 1. *ad Tim*. 3. iubet Apostolus, Episcopum esse *unius uxoris virum*. Et c. 4. ait, esse *spiritum erroris, et doctrinam daemoniorum, prohibere nuptias*. Item 1. *ad Cor*. 7. *v*. 2. *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat*. Et *v*. 9. *Melius est nubere, quam uri*. Imo Apostoli habuerunt uxores, easque secum duxerunt: 1. *ad Cor*. 9. *Nunquid non habemus potestatem, sororem mulierem circumducendi, sicut et caeteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas? Resp*. Connubium est honorabile in omnibus, hoc est, ex omni parte, sive proles, sive fides, sive Sacramentum spectetur. Vel iuxta S. Fulgentium, apud omnes, ita ut non liceat illud reprehendere. Vel iuxta Theophylactum, in omnibus legitime coniunctis. Vel iuxta S. Chrysostomum, in omnibus coniugatis, ut per adulterium non liceat illud violare. Apostolus solum bigamum ab Episcopatu arcet; non vero iubet, ut uxorem habeat. Nuptias velut a daemone inventas cum haereticis reiicere, doctrina daemoniorum est;

non vero prohibere nuptias, maioris perfectionis studio. 1. *ad Cor.* 7. Apostolus loquitur de coniugatis in Paganismo dubitantibus, an post conversionem uxoribus suis uti possint, quibus respondet, ut unusquisque uxorem suam retineat; non vero absolute praecipit, ut uxores ducant: nam *v.* 8. ait: *Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego.* Deinde *v.* 9. loquitur ad eos, qui nulla lege ad continentiam sunt astricti. Denique de solo S. Petro constat, quod uxorem habuerit, licet ille, et si qui forte alii Apostoli uxorati fuerint, post vocationem ad Apostolatum ab uxoribus abstinuerint; quia *Matth.* 19. reliquerunt omnia, inter quae uxores fuisse patet ex responsione Christi: *Omnis, qui reliquerit patrem ... uxorem etc.* 1. *Ad Cor.* 9. S. Paulus loquitur de piis mulieribus, quae Apostolos sequebantur, et eis pecunia, vel ministerio opem ferebant; unde addit ἀδελφὴν γυναῖκα, *sororem mulierem.* II. Matrimonium est iuris Divini: *Gen.* 1. *Crescite et multiplicamini:* et iuris naturalis, uti patet ex naturali inclinatione: ergo prohiberi nequit. *Resp.* Est iuris Divini et naturalis permissive, non vero praeceptive respectu cuiuslibet particularis; alias Christus, Beatissima Virgo, et S. Ioannes ab eo abstinendo peccassent. Hinc illud praeceptum: *Crescite etc.* non obligavit singulos homines, nisi eo tempore, quo paucitas hominum Matrimonium exigebat. Deinde Ecclesia nulli invito continentiae legem imponit; sed solum ab Ordinandis continentiae votum exigit, libertate relicta, an ordinari velint, an nubere. III. S. Clemens *ep.* 2. *ad Iacob.* tales ministros Altaris requirit, *qui ante Ordinationem coniuges suas noverint.* Et S. Isidorus *l.* 2. *de off. c.* 2. ait: *Clerici castitatem corporis perpetuam servent, aut unius Matrimonii vinculo copulentur. Resp.* Verba S. Clementis negative accipienda sunt, id est, qui post Ordinationes coniuges suas non cognoscant, licet antea id potuerint. S. Isidorus de Clericis in genere loquitur; ubi illud: *unius Matrimonii vinculo copulentur*, ad Ordines Minores refertur.

Schol 2. Quaeritur, an lex Coelibatus SS. Ordinibus imposita, sit Divina, Apostolica, aut Ecclesiastica. *Respondetur,* esse tantum Ecclesiasticam, tum quia Concilium Ancyranum Diaconis, et Trullanum Presbyteris usum uxorum indulsit, nec unquam a Graecis petitum fuit, ut usum uxorum relinquerent; quod tamen factum fuisset, si foret lex Divina: tum quia S. Epiphanius *haer.* 59. et S. Isidorus Pelusiota *l.* 3. *ep.* 57. hanc legem ab Ecclesia latam esse, expresse asserunt. Dices I. Apostolus 1. *ad Tim. v.* 8. iubet, Episcopum esse *continentem:* et 1. *ad Tim.* 4. *v.* 12. exemplum esse *in castitate:* et *c.* 5. *v.* 22. *Teipsum castum custodi:* et 2. *ad Tim.* 2. *v.* 4. *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus. Resp.* Apostolus solam bigamiam ab Ordine excludit, et praecipit castitatem coniugalem. Temporalis autem sollicitudo non est absolute incompossibilis, licet difficilis cum SS. Ordinibus, adeoque merito praecepta. II. Siricius in *ep. ad Himer.* ait, Sacerdotes *lege insolubili* castitatis constringi.

An lex Caelibatus sit Divina?

Et S. Epiphanius *haer.* 40. ait, legem continentiae ab Apostolis institutam fuisse: imo in V. L. Levitae tempore vicis suae iure Divino ab uxoribus abstinere debebant; quae lex moralis hodie adhuc perseverat. *Resp.* Patres solum loquuntur de lege Ecclesiastica, et de castitate illicitas voluptates excludente: in veteri Lege lex continentiae pro Levitis tempore vicis suae expresse habetur; non vero in nova. III. Contrahentes Matrimonium post susceptos SS. Ordines poena Excommunicationis puniebantur: ergo est lex Divina. *Resp.* Haec poena etiam transgressoribus legis Ecclesiasticae infligitur.

Origo legis Caelibatus apud Graecos. *Schol.* 3. Apud Graecos solis Diaconis licuit aliquando post Ordinationem uxores ducere, non vero Presbyteris et Episcopis. De Diaconis patet ex Concilio Ancyrano a. 314. *c.* 9. *Diaconi, si in ipsa Ordinatione protestati sunt, et dixerunt, velle se coniugio copulari, quia sic manere non possunt; hi, si postmodum uxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quod eis Episcopus licentiam dederit.* De Presbyteris et Episcopis patet ex *l.* 6. *Constit.* S. Clement. *c.* 17. *Post Ordinationem; si uxores non habent, praecipimus ut non liceat amplius ducere.* Idem statuit Concilium Neocaesareense *c.* 1. et Synodus Quinisexta *c.* 6. revocat licentiam a Synodo Ancyrana Diaconis datam, uxores post Ordinationem ducendi. Sacri autem ministri ante Ordinationem uxorati, sine obligatione tamen legis olim ab uxoribus post Ordinationem abstinuerunt: ita apparet ex S. Epiphanio *haer.* 59. *Nonnullis adhuc in locis Presbyteri, Diaconi, et Hypodiaconi liberos suscipiunt. Respondeo, non illud ex Canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, quae certis temporibus negligenter agere ac connivere solet ob nimiam populi multitudinem, cum scilicet, qui ad eas se functiones applicent, facile non reperiuntur.* Et Socrates *l.* 1. *hist. c.* 11. refert, Paphnutium dissuasisse Patribus Nicaenis, ne legem ferrent, qua Episcopi, Presbyteri et Diaconi compellerentur, ab uxoribus ante ductis abstinere, et obtinuisse, ut unicuique hoc liberum relinqueretur. Verum a: 692. Concilium Trullanum *can.* 48. statuit: *Ut uxor eius, qui ab Episcopalem dignitatem promovetur, communi viri sui consensu prius separata, postquam in Episcopum ordinatus est, ac consecratus, Monasterium ingrediatur procul ab Episcopi habitatione constructum, et Episcopi providentia fruatur; sin autem digna visa fuerit, etiam ad Diaconatus vel Diaconissae dignitatem evehatur.* A tempore igitur huius Concilii nemo a Graecis ad Episcopatum assumitur, qui uxorem habeat, aut ab ea se non separet. Caeterum de Subdiaconis, Diaconis et Presbyteris idem Concilium Trullanum *can.* 13. statuit: *Si quis dignus inventus fuerit, qui Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet: sed neque Ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur, se a legitima uxoris consuetudine abstenturum, ne ex eo a Deo constitutas, et sua praesentia benedictas nuptias iniuria afficere cogamur.* Quare Graeci Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi licite uxoribus

ante Ordinationem ductis utuntur, cum lex continentiae sit tantum Ecclesiastica, nec Ecclesia Graeca eam receperit, universali Ecclesia non reclamante, c. *cum olim*, *de cler. coniug.* Reprehensibiles tamen sunt Graeci, quod legem continentiae Latinorum carpant, et quod Ordinandos ante Ordinationem uxores sumere cogant.

Schol. 4. In Ecclesia Latina Subdiaconi non semper lege continentiae astricti fuerunt, sed varia circa illos disciplina fuit. Concilium Eliberitanum an. 305. c. 33. Subdiaconos et omnes Clericos: Gerundense a. 517. ordinatos usque ad Subdiaconos a coniugibus abstinere iussit. Haec disciplina apud Hispanos deinde interrupta fuit: nam Concilium Toletanum I. a. 400. solos Presbyteros et Diaconos ab uxoribus abstinere iussit; quod etiam fecit Toletanum III. a. 589. *cap.* 5. Priorem tamen disciplinam revocavit Toletanum VIII. an. 653. *can.* 5. 6. 7. In Ecclesia Africana a. 398. Concilium Carthaginense V. solos Episcopos, Presbyteros, et Diaconos ab uxoribus abstinere iubet. In Gallia Concilium Arelatense II. a. 452. *can.* 2, *et* 3. solis Sacerdotibus et Diaconis legem continentiae imposuit. Ast Concilium Aurelianense III. an. 538 c. 2. et Turonense a. 567. *can.* 19. prohibuit Subdiaconis, uxoribus suis uti: et Veneticum a. 465. c. 11. Subdiaconis uxores ducere prohibuit. In Sicilia cum Pelagius II. Subdiaconos continentiae legi astrinxisset, S. Gregorius M. hanc legem ita temperavit: ut ordinati uxoribus suis uti possent; nullus autem Subdiaconus deinceps ordinaretur, nisi se caste victurum promiserit. In Ecclesia Romana nec Siricius, nec Innocentius I. in suis Decretalibus, nec S. Hieronymus *contr. Iovinian.* relata lege continentiae, Subdiaconorum mentionem faciunt. Primus legem continentiae Subdiaconis imposuit S. Leo I. *ep.* 12. Eius tamen decretum non videtur receptum fuisse nec in Sicilia, quia S. Gregorius M. modo post eum Subdiaconos ad servandam continentiam adegit: nec in Ecclesia Romana, quia Concilium Romanum a. 721. et alterum a. 743. solos Episcopos, Presbyteros et Diaconos legi perpetuae continentiae subiicit, nulla facta mentione Subdiaconorum. Tandem in Concilio Melfitano sub Urbano II. a. 1089. *can.* 12. Subdiaconi uxoribus vacare volentes ad omni S. Ordine, Officio et Beneficio removentur: quod idem statutum fuit in Concilio Claromontano a. 1095. et Rhemensi a. 1148. ubi fundamenta Coelibatûs Subdiaconorum iacta fuerunt. Episcopis vero, Presbyteris, et Diaconis ex antiquissimo usu uxores ducere, et ductis ante Ordinationem uti non licuit. In Ecclesia Romana de hoc usu testatur Siricius P. *ep. ad Himer.* a. 385. qui legem continentiae pro Sacerdotibus et Levitis latam renovavit: Innocentius I. *epist. ad Victric. can.* 9. S. Leo I. et S. Gregorius M. S. Hieronymus *l.* 1. *adv. Iovinian. c.* 19. Pro Ecclesia Africana testes sunt, Concilium Carthaginense II. a. 390. *can.* 2. Carthaginense V. a. 398. c. 3. S. Augustinus *l.* 2. *de adult. coniug.* Pro Ecclesia Mediolanensi testatur S. Ambrosius *l.* 1. *off. c. ult.* Pro Ecclesia Hispana Concilium Eliberitanum c. 3. et Toleta-

Apud Latinos.

num 1. c. 1. Pro Ecclesiis Germaniae Concilium Wormatiense a. 868. c. 9. Moguntinum a. 888. c. 10. Augustanum a. 952. c. 11. Pro Ecclesia Anglicana Concilium Wintonicuse a. 1076. Pro Gallicana Concilium Arausicanum I. a. 441. c. 2. Arelatense II. a. 452. *can.* 12. Accedunt statuta Conciliorum OEcumenicorum Lateranensis I. c. 3. II. a. 1139. c. 6. III. a. 1196. c. 11. et Tridentini *Sess.* 24. *can.* 9. Clerici tamen Minorum Ordinum legi perpetuae continentiae non constringuntur, uti patet ex Concilio Carthaginensi V. a. 398. c. 3. Equidem Benedictus VIII. et cum eo Concilium Ticinense a. 1020. omnes Clericos etiam Minores legi continentiae subiecit. Verum Alexander III. et Innocentius III. c. 1. 3. 7. *de Cler. coniug.* statuerunt, ministros inferiores posse uxores ducere: ita tamen ut si duxerint, ab Officio, et Beneficio excludantur.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Obligatio servandi castitatem in Ordinibus sacris oritur immediate ex voto, in ipso facto S. Ordinationis emisso; mediate vero ex praecepto Ecclesiastico, votum hoc in S. Ordinatione exigente. 2° Ordinatus in Sacris non tantum tenetur abstinere ab actibus venereis illicitis, ita ut, si in hac materia peccet, sacrilegium committat; sed etiam a licitis in Matrimonio, quod forte ante Ordinationem contraxit; et a contrahendo Matrimonio, quod non solum illicitum, sed etiam irritum est. 3° Si quis ignoraret, Subdiaconatui esse annexum votum castitatis ignorantia positiva, quia videt, coniugatos passim ordinari, probabiliter non teneretur ad castitatem; secus vero, si ignorantia foret negativa, ita ut solum nesciret; imo si intra se diceret: nolo vovere castitatem, ad eam tamen teneretur ex praecepto Ecclesiae, et absolvi non posset, nisi admonitus de obligatione vovendi voveret: quia eligendo Subdiaconatum tenetur castitatem vovere. 4° Si Ordinatio est invalida, Ordinandus non tenetur ad castitatem, quae est accessoria ad Ordinationem. Si puer ante usum rationis ordinetur, ad castitatem non obligatur, nisi suam Ordinationem in annis pubertatis ratificet. Impubes vero doli capax ordinatus, ad castitatem tenetur, quia supponitur velle Ordinem, et consequenter obligationem illi annexam. 5° Ordinatus per vim et gravem metum expresse protestans, se nolle ordinari, invalide ordinatur, et ad castitatem non tenetur: si vero ex metu consentiat in Ordinationem, ad castitatem tenetur, quia libere consentit; facilius tamen cum eo dispensari potest. 6° Non licet coniugato sine licentia uxoris, vel iusto divortio ad SS. Ordines promoveri: *c. Coniugatus, de convers. coniug.* quod etiam de Matrimonio tantum rato, non consummato, intelligitur: Extrav. XXII. *Antiquae, de voto.* Hinc si ordinatus invita uxore, post Matrimonium ratum ab uxore repetatur, debet ad illam redire, et reddere, non vero petere debitum. et suadendum illi esset, ut Religionem ingrederetur; quo modo Matrimonium ratum dirimitur. 7° Ex licentia uxoris potest coniugatus licite ad SS. Ordines promoveri: sed haec licentia debet esse libera et expressa: *c. Consuluit, de Conv. coniug.* et si post Ordinationem co-

gnosceret uxorem, peccaret peccato sacrilegii, non tamen fornicationis. Mulier etiam debet vovere castitatem: *c. Coniugatus, de Conv. coniug.* et probabilius ingredi Religionem. Hinc post mortem viri non potest amplius contrahere Matrimonium, quod iuxta Salmaticenses foret nullum ob irritationem Ecclesiae, *c. Quia sunt, d.* 28. 8° Facto ex iusta causa divortio, vir invita etiam uxore in Sacris ordinari potest; quo casu uxor non tenetur ad votum castitatis, et Matrimonium eius post mortem viri initum non foret nullum, quia iura de hoc casu silent. Si autem ex culpa viri causatum est divortium, sine licentia uxoris ad SS. Ordines promoveri nequit; licet, si illa admonita viro suo reconciliari nolit, vir sine illius licentia in sacris Ordinibus ordinari possit.

Art. 1. *De Horis Canonicis, earumque origine.*

§ 1183. Altera obligatio Ordinatorum in sacris Ordinibus est, recitandi *Horas Canonicas*, quae sunt publicae et statae preces, horis diurnis et nocturnis ex sacrorum Canonum decreto ab Ecclesiasticis personis persolvendae. Horae Canonicae quid?

Schol. Horae Canonicae dicuntur etiam *Officium Divinum* vel *Ecclesiasticum: c. Dolentes, de celebr. Missar.* quia praecipuum Clericorum munus est, precibus apud Deum Ecclesiae nomine insistere. Earum explicatio et origo. Item dicuntur *Breviarium*, quia sunt breve quoddam compendium S. Scripturae, Sermonum, et Homiliarum SS. Patrum, et Vitae Sanctorum. Ab Urbano VIII. vocantur *Divina Psalmodia*: a S. Hieronymo, *Psallentia*: ab Ivone Carnotense, *Pensum*: a S. Macario, *Cursus*: ab aliis, *Orarium*. Partes Breviarii sunt undecim: 1. Calendarium: 2. Rubricae generales: 3. Psalterium: 4. Proprium de tempore: 5. Proprium Sanctorum: 6. Commune Sanctorum: 7. Officium Beatissimae Virginis Mariae: 8. Officium Defunctorum; 9. Psalmi Graduales, sic dicti, quod Hebraei in gradibus Templi eos psallerent: 10. Psalmi Poenitentiales cum Litaniis: Ordo Commendationis animae: Benedictio mensae, et Itinerarium. 11. Officia ad libitum. Horae Canonicae sunt septem, scilicet: Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperae, Completorium: quibus repraesentantur tum specialiora Dei beneficia, Creationis, Conservationis, Redemptionis, Praedestinationis, Vocationis, Iustificationis, et Glorificationis: tum septem Passionis Dominicae Mysteria, iuxta hos versus:

Haec sunt septenis propter quae psallimus horis:
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat:
Prima replet sputis: dat causam Tertia mortis:
Sexta Cruci nectit: Latus eius Nona bipartit.
Vespera deponit: tumulo Completa reponit.

Porro si Horae Canonicae secundum substantiam spectentur pro precibus, quotidie statis horis a fidelibus persolutis, credibile est, eas ab Apostolis manasse: nam *Act.* 2. legitur: fideles *erant perseverantes in fractione panis, et orationibus*: id est, *in Psalmis, hymnis, et canti-*

cis spiritualibus: *ad Eph*. 5. *v*. 2. Tempus vero his hymnis destinatum, vocat Tertullianus *Horas Apostolicas, Tertiae, Sextae, Nonae*. Quippe Apostoli orabant hora tertia, quando Spiritus S. super eos venit: *Act*. 2. *v*. 15. S. Petrus hora sexta orationi vacabat: *Act*. 10. *v*. 9. Et ad Templum cum S. Ioanne ascendit ad horam orationis nonam: *Act*. 3. *v*. 11. et iam olim in V. L. Psalmista canebat, *Ps*. 118. *v*. 62. *Media nocte surgebam, ad confitendum Tibi*. Et *v*. 164. *Septies in die Laudem dixi Tibi*. Successu vero temporis Breviarium in eum ordinem redactum est, quem nunc tenemus. Theodosius Imp. a. 368. rogavit S. Damasum P. ut Officium Divinum melius disponeret. Ille hanc curam demandavit S. Hieronymo, qui Psalterium, Evangelia et Epistolas distribuit; quod opus S. Damasus approbavit, statuens, ut in fine cuiusque Psalmi diceretur: *Gloria Patri, etc*. An. 494. Gelasius P. in Concilio Romano confirmavit Lectiones, quae ex utroque Testamento legendae in Breviario sunt positae. S. P. Benedictus in S. sua Regula totam formam Divini Officii expressit, quam erudite exponit D. Calmet, *Comment. in Reg. S. Bened*. S. Gregorius M. priorem formam denuo emendavit, quae duravit usque ad annum millesimum. Saeculo 11^mo^ a S. Gregorio VII. denuo reformata est forma prolixior; quam adhuc magis contrahendam Innocentius III. a. 1200. tradidit Haymonio Ministro Generali Ord. S. Francisci; et Gregorius IX. illam formam ab eo contractam approbavit. Novae deinde lectiones et Psalmorum mutilationes irrepserunt: et ideo Breviarium denuo ad debitum ordinem redactum fuit a S. Pio V. a. 1568. in Bulla: *Quod a nobis*. Rursus emendatum fuit a Clemente VIII. a. 1602. in bulla: *Cum in Ecclesia*. Denique Urbanus VIII. a. 1631. nonnulla in Hymnorum metris castigavit.

Art. 2. *De iis, qui ad Horas Canonicas tenentur.*

Ad Horas Canonicas tenentur omnes Clerici in sacris Ordinibus constituti.

§ 1184. Ad Horas Canonicas recitandas sub peccato mortali obligantur, 1° Omnes Clerici in sacris Ordinibus constituti. Ita statuitur in *c. Presbyter de celebr. Miss*. et Concilio Basileensi *Sess*. 21. Et patet ex consuetudine ubique recepta, quae vim legis habet. Unde Benedictus XIV. in *Instruct. Cophtorum* ait: *In Ecclesia Occidentis imposita est Presbyteris, Diaconis et Subdiaconis obligatio, dietim recitandi Officium Divinum, quamvis nullum Beneficium Ecclesiasticum fuerint assecuti. Cohaeret enim Ordini sacro diurnum pensum Horarum Canonicarum, illudque veteri traditione acceptum, et immemorabili consuetudine in more positum fuisse, docet communior Theologorum opinio.*

Item Beneficiati.

2° Quilibet Beneficiati, etsi in Sacris nondum constituti, etiam extra Chorum tenentur sub peccato mortali ad Officii Divini recitationem. Ita statuit Concilium Lateranense V. sub Leone X. *Sess*. 9. *Statuimus et ordinamus, ut quilibet habens Beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento Beneficio Divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suorum fru-*

ctus suos non faciat, pro rata omissionis recitationis Officii et temporis sed eos fructus tamquam iniuste perceptos in fabricam huiusmodi Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur: si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione praecedente, Beneficio ipso privetur; cum propter Officium detur Beneficium: Accedit Bulla S. Pii V. *Ex proximo, etc. Statuimus, ut qui Horas omnes Canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes Beneficii seu Beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat, etc.*

3° Religiosi ad Chorum professi, etiam necdum in Sacris constituti, etiam extra Chorum sub mortali tenentur ad Officii Divini recitationem. Ita habet consuetudo generalis, quae in omnibus Religionibus Choro addictis, scientibus et urgentibus Praesulibus Ecclesiasticis, cum hac obligatione recepta est: ita ut, licet nullus expressus Canon habeatur, nec obligatio haec sit iuris naturalis, cum ad essentiam Religiosae Professionis non spectet; consuetudo tamen vim legis generalis obtinuerit. Et Religiosi Choro addicti.

Coroll. Pract. 1° Subdiaconi, Diaconi, et Presbyteri tenentur quotidie sub peccato mortali recitare Officium Canonicum a die, quo sacris Ordinibus initiantur; licet sint excommunicati, suspensi, interdicti, degradati, ad triremes damnati, ne ex suo delicto commodum reportent: Clerici vero Minorum Ordinum, si Beneficium non habent, ad illud non tenentur, nisi alia sit dioecesis suae consuetudo: et qui ordinantur in Sacris, in die Ordinationis tenentur solum ad illas Horas, quae tempori post Ordinationem correspondent, v. g. ad Sextam; nec tenentur repetere, si forte ante Ordinationem Breviarium iam recitaverint. 2° Quilibet Beneficiatus, qui iuste duo Beneficia possidet, vel est Sacerdos, Parochus, et Religiosus, nonnisi semel in die Breviarium recitare tenetur, et omittendo, unum tantum peccatum committit: non obligatur tamen ratione solius tituli ante acquisitam possessionem Beneficii, nisi penes eum sit illam habere, aut nisi malitiose moras trahat, aut possessionem impediat: post titulum vero et pacificam possessionem per se loquendo statim quis recitare tenetur, licet fructus non statim accipiat, dummodo moraliter certam spem habeat, illos obtinendi; nisi forte consuetudo variarum Ecclesiarum Cathedralium, et Collegiatarum, ubi anni carentiae pro novis Canonicis sunt statuti, a recitatione liberet. Qui autem post obtentam possessionem ita privatur fructibus Beneficii, ut sit quasi perpetua Beneficii spoliatio, non tenetur ad Horas Canonicas. Ex beneficio tamen tenui oritur haec obligatio, *c. ult. de rescript. in* 6. 3° Beneficiatus sine culpa mortali Horas omittens, non tenetur ad restitutionem fructuum, sicut nec ille, qui primo semestri ab accepto Beneficio eas non recitat, licet mortaliter peccet. Restitutio autem fructuum facienda est etiam ante sententiam iudicis, iuxta prop. 20. ab Alexandro Resolvuntur casus.

VII. damnatam, et debet fieri vel fabricae Beneficii, vel pauperibus, quo nomine etiam ipse Beneficiatus, si per fraudem non omittat, venit, et fideles defuncti, quibus Missas applicare potest: non tamen satisfit huic obligationi per eleemosynas ante obligationem erogatas, iuxta prop. 33. ab Alexandro VII. damnatam. 4° Novitii in Religione non tenentur ad Officium Divinum: alii vero Religiosi etiam extra Chorum ad Horas obligantur, licet sint fugitivi et eiecti; si tamen per sententiam iudicis sint eiecti, aut ad triremes damnati, nec in sacris Ordinibus sint constituti, non tenentur, sicuti nec illi, qui auctoritate Superiorum ad statum Conversorum rediguntur, vel cum dispensatione Papae mutato habitu uxorem ducunt.

ART. 3. *De loco, tempore, et modo recitandi officium Divinum.*

Horae Canonicae statuto loco et tempore dicendae sunt.

§ 1185. Optandum quidem est, ut Horae Canonicae praescriptis suis temporibus dicantur; quia finis Ecclesiae est, ut statis horis laudes Deo persolvantur, uti patet ex praxi antiquae Ecclesiae, de qua Thomassinus *t. 2. p. 2. de ant. discipl.* qui notat, etiam Reges et laicos huic ordini servando fuisse intentissimos. Attamen satisfacit qui intra diem naturalem, a puncto mediae noctis usque ad aliud mediae noctis, Horas recitat, quia sic saltem substantia praecepti impletur.

Resolvuntur casus

Coroll. Pract. 1° In Ecclesiis, ubi lex seu consuetudo viget, Officium Divinum publice in Choro recitandi, tenentur Superiores sub gravi peccato curare, ne unquam omittatur, et quivis particularis Choro astrictus tenetur illud in Choro recitare, nisi legitimo sit dispensatus; alias si diu sine causa absit, graviter peccat: debentque ad hoc, ut obligationi publice recitandi Officium satisfiat, ad minimum quatuor in Choro adesse; quod si pauciores sint, cessat obligatio Chori. 2° Praebendati ex iure in Choro canere debent; * (et quidem per se, et alta voce, alias ne dum distributiones amittunt, sed etiam ex Praebendis non faciunt fructus suos, et ad restitutionem tenentur, uti statuit Benedictus XIV. in Ep. ad Patriar. Aquileien a. 1748.) * Ex consuetudine tamen distributiones quotidianas lucrantur. Si Choro reverenter adsint, et per suos Vicarios canant: absentes vero a Choro non lucrantur distributiones quotidianas; et iuxta Tridentinum *Sess. 24. de ref. c. 12.* qui ultra tempus trium mensium Choro non intersunt, primo anno privantur dimidia parte fructuum, deinde omnibus fructibus, et crescente contumacia ipso Beneficio post sententiam iudicis: distributiones autem quotidianae ab absentibus etiam ante sententiam iudicis perditae, praesentibus accrescunt: Trid. *Sess. 21. cap. 3.* exceptis extraordinariis ratione dignitatis, et iis, quibus aliquis per sententiam iudicis condemnatoriam privatur, quae Ecclesiae, vel alteri pio loco sunt applicandae: praesentes vero super distributionibus cum absentibus transigere, nec eas remittere possunt: Trid. *Sess. 24. de ref. cap. 12.* licet acceptas donare possint. 3° Infirmitas gravis excusat a praesentia in Choro,

ita ut absens etiam distributiones quotidianas lucretur, licet quis sua culpa infirmetur. Caeci tamen, surdi et muti pro lucrandis distributionibus videntur Choro adesse debere. Item rationabilis corporis necessitas, v. g. pro sumenda medicina etc. vel evidens Ecclesiae utilitas in Poenitentiario, Theologo, Concionatore, excusat a praesentia in Choro cum lucratione distributionum. Denique Trid. *Sess.* 24. *cap.* 12. Praebendatis singulis annis tres menses concessit, quibus recreationis causa a Choro abesse possunt. 4° Ordinem Horarum, vel Psalmorum invertere, vel nondum absoluto Officio hodierno aliud sequentis diei incipere sine causa privatim, est tantum veniale; ex iusta vero causa, v. g. quia quis non habet lectiones, sero venit ad Chorum, oblitus est Horam, nullum peccatum est; servatur enim substantia praecepti. 5° Nullus locus pro privata recitatione est praescriptus: unde etiam in loco immundo satisfieri potest, nec caeremoniae, uti genuflexiones, etc. cadunt sub praecepto. 6° Officium Divinum sine interruptione sub veniali ob irreverentiam recitandum est; ex iusta tamen causa ad tollendas distractiones, audiendas Confessiones, respondendum amico, Psalmus a Psalmo, vel pars eius ab altera, etc. separari potest. Matutinum vero a Laudibus, et unus Nocturnus ab altero sine culpa seiunguntur; ubi tamen in fine Matutini dicatur oratio principalis diei; nec opus est, ut initio Laudum divisarum dicatur *Pater* et *Ave*, quia nullibi praescribitur. 7° Ex usu Ecclesiae Matutinum cum Laudibus vespere praecedentis diei anticipari potest, pro qua anticipatione sit haec regula: Subtracta medietate horarum pomeridianarum ab hora diei 12ª usque ad occasum Solis, restat tempus, quo licet Matutinum et Laudes anticipare: v. g. 22. Decembris numerantur horae quatuor a meridie usque ad occasum: subtracta medietate a 4. remanent 2. Ergo hora 2ª anticipare licet. 8° Ordinarie Matutinum, Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, ante prandium: Vesperae et Completorium post prandium sub veniali dici debent; iusta tamen causa excusat, ut omnia mane vel vespere dici possint.

§ 1186. Qui tenentur ad Horas Canonicas, debent recitare illud Officium, quod pro illa die praescribitur in proprio suae dioecesis, vel Ordinis; et quidem si utantur Breviario Romano, ex illo, quod Urbanus VIII. recognovit, uti patet ex Bullis Breviario praefixis. *Quale Officium recitandum?*

Coroll. Pract. 1° Peccat, qui advertenter et sine iusta causa Officium Canonicum unius diei commutat cum Officio alterius diei; et damnata est ab Alexandro VII. prop. 34. *In die Palmarum recitans Officium Paschale, satisfacit praecepto.* Excusatur tamen a peccato et obligatione repetendi Horas, qui inadvertenter Officium aequale pro alio recitat; unde si errorem post aliquas Horas recitatas deprehendat, sufficit, si ex tunc errorem corrigat; et si hoc die Officium recitavit de die sequenti, altero die non debet Officium omissum dicere, sed se Ecclesiae conformare. 2° Omnis Clericus sive saecularis sive Regularis tamquam advena alibi existens, potest recitare Officia suae dioecesis et Monasterii, iuxta suum Directorium. * (nisi aliter quoad *Resolvuntur casus.*

Regulares sui Ordinis leges, vel proprii Breviarii Rubricae praescripserint). * 3° Si quis non habeat Breviarium proprium sui Ordinis, tenetur ex alio recitare, ut saltem substantiam praecepti impleat.

Officium Divinum recitandum est studiose et integre. § 1187. Officium Divinum recitandum est 1° studiose, recitando illud integre, ordinate, tempestive, sine syncopatione syllabarum et verborum omissione; quia *c. Dolentes, de Celebr. Missar.* districte praecipitur in virtute obedientiae, ut Divinum Officium nocturnum pariter et diurnum, quantum dederit Deus, studiose celebretur pariter et devote.

Cum intentione. 2° Recitandum est cum debita intentione, quia alias recitatio non foret actio humana: nec potest praesumi, recitationem hanc ex alio fine praecipi ab Ecclesia, quam ad colendum Deum: adeoque indirecto saltem voluntas colendi Deum praecipitur; cumque sola lectio Divini officii sit aliquid mere indifferens, Ecclesia vero opus bonum et meritorium praecipiat, per intentionem ad hoc determinari debet.

Cum attentione. 3° Recitandum est cum attentione externa et interna, actuali vel virtuali, saltem superficiali ad verba, ut illa recte secundum ordinem, ritum, ac integre proferantur; nam *c. Dolentes*, reprehenduntur in Choro garrientes, et audientes sermones incompetentes: ubi notatur defectus attentionis externae. Deinde requiritur, ut devote Officium Divinum persolvatur, quod non fit sine attentione interna, quia sine elevatione mentis ad Deum non est oratio, et sine ulla attentione saltem superficiali est periculum multa omittendi; cum e contra per attentionem internam superficialem cum debita intentione coniunctam sufficienter salvetur oratio vocalis quoad substantiam, nec ulla lex plus necessario requirens assignari possit.

Attentio quotuplex. *Schol.* Attentio alia est *externa*, quae consistit tum in externa compositione corporis in modum orantis; tum in eo, ut quis abstineat ab omni actione incompossibili cum recitatione Breviarii: alia est *interna*, quae est actus intellectus advertentis ad id, quod agitur. Interna vel est *superficialis*, seu advertentia animi ad verba, ut recte, secundum ordinem, ac integre proferantur: vel *litteralis* ad communem sensum et significationem verborum: vel *mystica* seu *spiritualis* ad finem orationis, scilicet Deum, vel rem, pro qua oratur. Haec exercetur vel per memoriam praesentiae Dei, quem quis vult colere: vel per recordationem vitae et Passionis Christi. Optima attentio est spiritualis; sufficiens, superficialis, quae vel actualis vel virtualis esse potest.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Omittere Horam minorem, est peccatum grave. Pulsantes vero campanas, transferentes libros, et aliis Chori officiis destinati, omittentes ideo aliquam Officii partem * (dummodo non sit notabilis), * satisfaciunt etiam non repetendo, quia Chorus supplet. 2° Omittere Officium Defunctorum, et Beatissimae Virginis in Choro diebus praescriptis, respectu eorum, qui utuntur Breviario Romano S. Pii V. non est peccatum mortale, uti patet ex eius Bulla Breviario praefixa: in Ecclesiis vero, ubi consuetudo recitandi haec Officia

sub mortali viget, S. Pius nil immutavit; unde sub mortali in Choro dici debent; licet extra Chornm ea recitandi non sit obligatio, quae solam Communitatem afficit: quod idem dicendum de Psalmis Gradualibns, et Poenitentialibus. In die autem Defunctorum, Officium eorum, et in Festo S. Marci, ac tribus diebus Rogationum, Litaniae etiam privatim extra Chorum sub mortali dici debent. 3° Horae dicendae sunt vocaliter, ita ut quis seipsum sine impedimento audire posset, si accurate auscultaret. Si quis cum socio recitet, ambo ita verba proferre debent, ut ea mutuo percipiant, et ad ea, quao unus dicit, alter etiam in Choro attendere debet, nec satisfacit, si non saltem confuse ob subitanenm strepitum audiat. Nimia celeritas, ita nt socins verba non satis possit percipere, ordinarie est veniale, nec ad repetitionem obligat; secus vero, si vix unus, vel alter sensus percipi possit. Nec satisfit, si socius incipiat notabiliter prius, antequam alter versum suum dixerit: unns tamen omnia Capitnla, Orationes, et Lectiones dicere potest. 4° Verba sine mutilatione proferri debent; et si sensus saepins mntetur, potest esse grave peccatum; secus foret, si fiat ex inadvertentia, balbutie, et tantum in ultimis syllabis. 5° Intentio implicita faciendi rem praeceptam, id est orandi, sufficit; quae habetur, si qnis more solito arripiat Breviarinm, vel dicat orationem: *Aperi, etc.* 6° Satisfacit huic praecepto, qui cum bona intentione incipit, et sufficienti attentione superficiali interna et externa pergit orare, licet multas distractiones patiatur; quae tunc solum non stant cum impletione praecepti, quando omnem attentionem superficialem tollunt: non vero si vel non plene et sua sponte voluntariae vel involuntariae stant cum advertentia, qnod nihil omissum, vel perperam pronunciatum fuerit. 7° Scrupnlosus metuens, ne debitam attentionem habnerit, qnamdiu certus est, quod non coninnxerit actiones ex natura sua omnem attentionem tollentes, nihil repetat, et credat, se omnia recte peregisse, donec illi certo constet de opposito.

ART. 4. *De causis excusantibus a recitatione D. Officii.*

§ 1188. Causae excusantes a recitatione Horarum Canonicarum *Causae ab*
sunt: 1. Impotentia physica et moralis. 2. Charitas proximi. 3. Me- *Horis ex-*
tns. 4. Dispensatio: nti ostendet sequens Corollarium. *cusantes.*

Coroll. Pract. 1° Infirmitas gravis excusat a recitatione Horarum, *Resolvun-*
ex qna nimirnm grave valetudinis incommodum, uti dolor magnus *tur casus.*
capitis, virium notabilis lassitudo imminet; quod iudicio Superioris, Medici, et prudentis Confessarii determinari potest. 2° Qui caret Breviario, vel illud amisit, nec alind habere potest, non tenetur ad illud recitandnm: qui vero illud stndiose abiecit, illo die, quo abiecit, peccat; non vero reliquis diebns, si priorem voluntatem retractaverit. 3° Caecus vel oculis laborans, si totum Officium, vel notabilem eius partem memoriter sciat, tenetur recitare; non autem obligatur, ut memoriter discat. 4° Qui solns nequit reci-

tare, potest autem cum socio, tenetur eum adhibere, si commode invenire possit; quia, qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media. Surdus vero, si solus orare non possit, non tenetur socium adhibere, quem audire nequit; tenetur tamen solus orare, si possit. 5° Qui non habet Breviarium, ex quo Matutinum dicat, habet tamen Diurnale, ex quo reliquas Horas dicere possit, tenetur ad illas; nam Innocentius XI. damnavit hanc propositionem 54. *Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad se minorem.* 6° A recitatione Breviarii excusat charitas proximi, ut si quis tota die deberet assistere infirmis, et moribundis: ob multitudinem tamen poenitentium extra necessitatem Iubilaei aut Paschatis, rarissime quis excusatur. 7° Gravis occupatio tunc excusat, quando non potuit praeveniri, vel praetermitti sine scandalo, vel proprio, aut alieno damno, estque cum recitatione incompossibilis: hinc qui talem occupationem praevidet, tenetur Horas anticipare, et quidem Matutinum et Laudes die praecedenti; quia obligatio impleri debet, quando potest. 8° Metus excusat, quando timetur grave corporis vel bonorum detrimentum. 9° Dispensatio excusat, quae regulariter debet peti a Papa, nisi Episcopi, vel Ordinum Superiores speciale privilegium ad hoc habeant.

CAP. XII.

De variis Ordinis effectibus.

Effectus Ordinis primus, gratia sanctificans.

§ 1189. Ab obligationibus sacrorum Ministrorum ad effectus Sacramenti Ordinis pergimus, quorum primus est gratia sanctificans, non quidem prima, sed secunda, seu gratiae augmentum: uti 1° docet S. Scriptura, 1. *ad Tim.* 4. *Noli negligere gratiam, quae est in te, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* 2° Hoc docent Patres: S. Chrysostomus *hom.* 1. *Hoc est, gratiam, quam accepisti ad Ecclesiae institutionem.* Auctor Libri *de dign. Sac. c.* 5. *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam.* 3° Ita definit Florentinum in Decret. *Effectus est augmentum gratiae, ut quis sit idoneus minister.* Et Tridentinum *Sess.* 23. *cap.* 3. ait: *Scripturae testimonio, Apostolica Traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum est, per S. Ordinationem . . . gratiam conferri.* Et *can.* 4. *Si quis dixerit, per S. Ordinationem non dari Spiritum S. ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum S. . . . anathema sit.*

Gratia Sacramentalis Ordinis.

Schol. Praeter gratiam sanctificantem, confert etiam Ordo gratiam Sacramentalem, quae est ius fundatum in gratia sanctificante, ad accipienda a Deo auxilia supernaturalia, seu gratias actuales, in illustrationibus mentis, et piis motibus voluntatis consistentes, quibus Ordinatus illustratur et accenditur ad ea, quae sunt muneris sui Ordinis, sancte et utiliter peragenda.

Secundus

§ 1190. Secundus effectus Ordinis est, quod imprimat Characte-

rem indelebilem, quod probatum fuit (§ 911.); adeoque hic sufficiat retulisse aliqua testimonia veterum. S. Cyprianus *serm. de ablut. ped.* ait: *Nemo sacros Ordines iterum renovat.* Ergo ob impressum Characterem non iterantur. S. Augustinus *l. 2. contr. ep. Parmen. Utrumque Sacramentum est, et quadam consecratione datur; illud, cum baptizatur; istud, cum ordinatur; ideo in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterare.* Et in *Sermone de gestis cum Emerito*, etiam nomen Characteris ponit, ob quem Ordinatio iterari nequit. Hinc Tridentinum *Sess.* 23. *can.* 4. *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem . . . non imprimi Characterem, vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit.* effectus est Character.

Schol. Character imprimitur per omnes Ordines, qui sunt vera Sacramenta; non vero per eos, quibus ratio Sacramenti non convenit, nisi per Characterem deputationem ad aliqua ministeria, vel ad id, quod iterari nequit, velis intelligere. In singulis autem Ordinibus distinctus Character imprimitur; quia singuli habent distinctos et peculiares effectus: attamen in Ordinibus, in quibus plures et distinctae conferuntur potestates, uti in Presbyteratu, unicus Character imprimitur; quia unicum est Sacramentum, et unus Character ad omnes effectus sufficit. Denique in Ordine Sacramentum tantum, est res externa et sensibilis caeremonia, qua confertur: Res tantum, est gratia sanctificans, quae confertur: Res et Sacramentum simul, est Character, qui per rem externam significatur, et simul gratiam sanctificantem significat. An ob omnibus Ordinibus imprimatur?

§ 1191. Tertius effectus est, quod per Ordinationem homo transeat ad statum Clericorum, qui iure Divino distinguitur a statu laicorum. 1° Quia *ad Eph.* 4. *v.* 11. dicitur: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos; quosdam autem Prophetas; alios vero Evangelistas; alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* Et *Act.* 13. *v.* 2. dixit Spiritus S. *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Et *c.* 20. *v.* 28. *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit .... regere Ecclesiam Dei.* Ergo status Clericorum ex iure Divino ad officia spiritualia est destinatus, et a statu laicorum distinguitur. Et Trident. *Sess.* 23. *can.* 4. recte definit: *Si quis dixerit . . . eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit.* 2° Constat ex communi omnium nationum consensu, quae aliquos a plebe separatos ritu religioso initiarunt, ut rebus Divinis vacarent, ac Sacerdotio fungerentur: sic in lege naturae Primogeniti suae familiae Principes Sacerdotali dignitate decorabantur; uti ex Hebraeis refert S. Hieronymus. In lege Mosaica Deus separavit tribum Levi, et sibi applicuit, ut Sacerdotio fungeretur. Apud ipsos Ethnicos aliqui certo ritu ad Sacerdotii munia inaugurabantur, quos ut membra reipublicae a caeteris distincta memorat Aristoteles 7. *Polit.* 8. 3° Status Ecclesiasticus iure Divino est distinctus a statu politico (t. 2. § 470, 471.). Ergo etiam perso- Tertius effectus separatio a statu saeculari.

narum Ecclesiasticarum, seu Clericorum status, iure Divino distinguitur a statu laicorum.

Clericus quid? *Schol.* 1. Clericus, secundum vim nominis Graeci κλῆρος, *sortem* significat: sors vero haereditatem, quae sorte, non vero electione, homini advenit. Nomen autem sortis apprime ministris Ecclesiae convenit: tum quia sunt selecta Domini portio et haereditas: tum quia Dominus sorte illis, velut pars et haereditas obvenit. Laici vero dicuntur a λαός, quod *populum* significat. Iam ab antiquissimis temporibus ministri Ecclesiae appellantur Clerici, uti constat ex *Can. Apostol.* 12. 13. 15. Concilio Nicaeno, etc. Tertulliano *l. de Monogam.* Origene *hom.* 7. *in Ierem.* S. Augustino, Hieronymo, etc. Imo 1. *Petr.* 5. dicitur: *Neque ut dominantes in Cleris*, ubi S. Hieronymus nomine Cleri inferiores Ecclesiae ministros intelligit.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 2. Heterodoxi negant, statum Clericorum iure Divino distingui a statu laicorum, ita ut fidelium multitudo Pastores suos eligere, et ab officio, ita ut desinant omnino esse ministri, deponere possit. I. Quia *Act.* 1. a multitudine electus est S. Mathias. Et *Act.* 6. S. Stephanus. Et *ad Gal.* 3. *Omnes vos unum estis in Christo Iesu Resp.* Populus quidem olim ministros eligere, non vero ordinare poterat. S. Paulus in iis, quae sunt necessaria ad salutem, omnes nos pares esse vult; non vero in ordine ad ministerium Ecclesiasticum. II. S. Petrus c. 5. totam Ecclesiam Clerum vocat: *Neque ut dominantes in Cleris. Resp.* Nomen *Cleri* S. Hieronymus *ep. ad Nepot.* ad solos Clericos restringit. Sed esto, nomen *Cleri* ad universos fideles extendatur; manebit tamen, ministros Ecclesiae cultui Divino totaliter addictos esse praecipuam Domini sortem, sicuti Levitae in V. L. erant specialis Dei haereditas. III. Tertullianus *exhort. ad castit.* ait c. 7. *Nonne et laici Sacerdotes? nam Apoc.* 1. *dicitur: Fecit nos Regnum, et Sacerdotes Deo.* Et ibid. *Differentiam inter Ordinem et plebem constituit Ecclesiae auctoritas, et honor per Ordinis consessum sanctificatus a Deo. Resp.* Tertullianus vocat omnes Sacerdotes metaphorice, laudis sacrificia offerentes, sicuti Reges, affectibus suis dominantes. Deinde differentiam inter Ordinem et plebem constituit Ecclesiae auctoritas ex parte quoad electionem, non vero quoad Ordinationem, quam esse a Deo Tertullianus indicat per illa verba: *Et honor per Ordinis consessum sanctificatus a Deo.*

Quartus effectus Hierarchia. § 1192. Quartus effectus est, quod per sacram Ordinationem constituatur quis in *Hierarchia Ecclesiastica*, quae est potestas hominum sacris Ordinibus initiatorum ordinata, debitum in subditos retinens principatum.

Quid ad eam requiratur? *Schol.* Hierarchiae nomen occurrit in Scriptis S. Thomae, S. Bonaventurae, S. Maximi, S. Gregorii M. et S. Dionysii Areopagitae, qui libros *de coelesti et Ecclesiastica Hierarchia* scripsisse dicitur; quos tamen nonnulli Critici illi denegant, et modo post saeculum quartum exaratos esse contendunt. Ad Hierarchiam requiritur 1. Ordo sacer. 2. Iurisdictio ordinaria, vel delegata cum dignitate, qualem

v. g. habet Vicarius generalis Episcopi. Actus Hierarchici sunt, purgare, illuminare, et perficere. Scientia et charismata non quidem sunt aliquid essentiale Hierarchiae Ecclesiasticae, quia in Pastore, qui caret scientia et sanctitate, manet Character, in quo fundatur sacer Ecclesiae principatus: sunt tamen conditiones, sine quibus actus Hierarchici licite et debito modo exerceri non possunt.

§ 1193. 1. Datur igitur Hierarchia Ecclesiastica. Nam in Ecclesia habentur Ordines Sacri, qui sunt vera Sacramenta (§ 1150. 1154. 1159. 1160.): deinde datur etiam Iurisdictio Spiritualis, non tantum directiva (t. 2. § 470.), sed etiam coactiva per censuras (t. 2. § 487.) Ergo datur Hierarchia Ecclesiastica (§ 1192. Schol.) *Datur Hierarchia Ecclesiastica.*

2. Haec Hierarchia ex institutione Divina constat ex tribus Ordinibus: 1. Episcopis, et quidem supremo Episcopo, scilicet Romano Pontifice, qui primatum honoris et iurisdictionis habet in tota Ecclesia (t. 1. § 31.) Deinde Episcopis, qui iure Divino potestatem tum Ordinis, tum Iurisdictionis Presbyteris sunt superiores (§ 1159.) Deinde 2. constat ex Presbyteris, qui Actus Hierarchicos exercere possunt (§ 1157.) 3. Ex ministris, saltem Diaconis, quibus subinde cura plebis Christianae commissa fuit; uti patet ex synodo Antiochena c. 1. Illiberitana c. 77. et olim Romae erant Diaconi Cardinales, Diaconias administrantes (§ 1153. Schol. 1.): Et Diaconi baptizare, et praedicare possunt (§ 1152.).

Schol. Protestantes negant, dari Hierarchiam Ecclesiasticam; quia Christus principatum Apostolis suis interdixit, *Matth.* 20. *Principes gentium dominantur eorum . . . Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Resp.* Christus non prohibuit principatum spiritualem; sed docet, quomodo Apostoli illa potestate uti debeant, nimirum per charitatem spiritus, sibi invicem serviendo. Alia argumenta eorum iam alibi (t. 2. § 470., etc.) soluta fuerunt. *Solvuntur obiectiones.*

TRACTATUS XX.

De Matrimonio.

CAP. I.

De Matrimonii definitione, et nominibus.

§ 1194. Septimum novae Legis Sacramentum est *Matrimonium*, quod est coniunctio maritalis viri et foeminae, inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens divinitus instituta, in signum coniunctionis Christi cum Ecclesia, habens promissionem gratiae, ad uniendos simul coniugum animos, ac prolem pie ac sancte in fide Christiana educandam. *Matrimonium quid?*

***Schol.* 1. Matrimonium quatuor habet nomina: 1. Dicitur *Matrimonium*, a matris nomine, non iam adepto, sed spe et omine mox** *Varia eius nomina.*

adipiscendo. Matrimonium autem potius vocatur, quam Patrimonium; quia licet pater sit sexus praestantior, matri tamen foetus ante partum est onerosus, in partu dolorosus, post partum laboriosus. 2. *Nuptiae*, a velamine; quo caput nubentis obvolvebatur; quod antiqui obnubere vocabant. 3. *Connubium*, et in Pandectis Florentinis ita describitur: uxoris iure ducendae facultas; et cum nuptiae dicantur a velamine, connubium est cum alio ea velare, quae Christianam modestiam et pudicitiam laedere possunt. 4. *Coniugium*, quasi duorum, scilicet maris et foeminae ad idem iugum alligatio. Graeci Matrimonium vocant γάμος a γαμέω uxorem duco.

Quomodo considerari possit? *Schol.* 2. Matrimonium sub triplici ratione considerari potest; vel prout est *contractus civilis*, et reipublicae paci consulit, amicitias, affinitates et foedera inter cives auget: vel prout *contractus naturalis*, in officiam naturae ad propagationem et conservationem generis humani ordinatus: et prout est contractus civilis et in officium naturae, definitur: Coniunctio maritalis viri et foeminae, inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens: vel prout est Novae Legis *Sacramentum*, coniugibus gratiam conferens, concupiscentiam refraenans, illisque remedium procurans, et pia prolis educatione Ecclesiam ditans. Cum vero ratio Sacramenti civilem et naturalem contractum in Matrimonio supponat, et contractus illi ad dignitatem Sacramenti a Christo elevati fuerint, de Matrimonio sub utraque ratione spectato hic agendum erit.

Art. 1. *De Matrimonii honestate.*

Matrimonium est licitum. § 1195. Matrimonium est licitum et honestum. Nam 1° *Matt.* 19. *v.* 4. *et* 5. ait Christus: *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et foeminam fecit eos? et dixit: propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit homo non separet.* Item Christus ipse *Ioan.* 2. nuptias in Cana Galilaeae praesentia sua sanctificavit. Et Apostolus 2. *ad Cor.* 7. *v.* 28. ait: *Si acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccavit.* Et 1. *ad Tim.* 4. opposita sententia velut fidei contraria damnatur: *In novissimis diebus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum . . . prohibentium nubere.* 2° Ita doceat Patres. Clemens Alex. *l.* 3. *Strom.* Tertullianus *l.* 1. *contr. Marc. c.* 29. *Sic et connubii res non ut mala securem et falcem admittit sanctitatis... quia si nuptiae non erant, sanctitas nulla est.* S. Augustinus *l.* 1. *de Nupt. et concup. c.* 4. *Copulatio maris et foeminae generandi causa, bonum est naturale nuptiarum.* 3° Natura a Deo instituta inclinat ad prolis generationem, per quam conservatur genus humanum, qui finis per actum coniugalem obtinetur. Ergo ille malus non est, sed in eo mediam virtutis invenitur.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* Simon Magus, Saturninus, Tatianus, Marcion, Manichaei, et Priscillianistae Matrimonium appellarunt opus diaboli, scortatio-

nem, et impudicitiae negotium; et nuptias non a Deo, sed a Satana esse introductas. I. Quia Matrimonium impedit a coelesti gloria, uti patet in illo *Luc.* 14. *v.* 20. *Uxorem duxi, et ideo non possum venire.* Et 1. *ad Rom.* 8. *v.* 8. *Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt.* Et *ad Gal.* 6. *v.* 8. *Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem.* Et 1. Cor. 7. *v.* 6. Matrimonium solum secundum *veniam et indulgentiam*, adeoque non sine culpa conceditur. *Resp. Luc.* 14. vitium uxorati, non vero matrimonii fuit, quod se per curam rei domesticae a cura coelestium abstrahi permiserit. Deinde qui in carne sunt, sinunt sibi dominari libidinem; non vero, qui carne corruptibili bene utuntur. Locus ad Galatas ita explicatur: Qui facit opera sua ad obsequendum carnali concupiscentiae, referet mortem sempiternam: qui vero facit ea in Spiritu S. recipiet vitam aeternam. Venia seu veniale solum peccatum est in iis, qui prôpter incontinentiam non vero generationem prolis, ultra necessitatem utuntur Matrimonio. II. Matrimonium magis accendit libidinem: sine ea opus coniugale coniuges non exercent, et peccatum originale generatione carnali propagant. *Resp.* Matrimonium est remedium libidinis, quo si male utantur, vitium ipsorum est, non vero Matrimonii. Concupiscentia non est finis concubitus, sed procreatio liberorum, licet cum ea concupiscentia, sicuti manducatio cum comestione, coniuncta sit. Generatione contrahitur peccatum originale, cuius causa non sunt nuptiae, sed voluntaria transgressio primi hominis. III. Puerperium in L. V. purificatione egebat, *Lev.* 12. Ergo non erat innoxium. *Resp.* Purificationes antiquae non supponebant semper peccatum; sed erant immonditiae solum legales, uti pollutio omnino involuntaria.

Art. 2. *De Matrimonii Auctore.*

§ 1196. Matrimonium, prout est officium naturae, non solum est licitum, sed etiam a Deo institutum. Nam Deus illa fecit, et dixit, quae positivae institutionis Matrimonii vim et rationem referunt. Sic iuxta naturae intentionem, 1. creavit masculum, et foeminam. 2. finem et utilitatem Matrimonii designavit, *Gen.* 2. *v.* 18. *Non est bonum, hominem esse solum; faciamus ei adiutorium simile sibi:* Hebraice כנגדו (*Cenegdo*) *coram eo*, et iuxta Iudaeos: *quae apud illum sit.* 3, ad ostendendam arctissimam coniunctionem, foeminam ex viri latere formavit. 4. hoc ipsum intelligens Adam, instinctu Divino dixit; *Gen.* 2. *v.* 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea . . . Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Quibus verbis Christus *Matth.* 19. subiunxit: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* **Matrimonium ut officium naturae a Deo est institutum.**

Schol. Nonnulli Graeci, inter quos S. Damascenus *l.* 2. *de fide*, *c.* 30. et Heuthymius *in Ps.* 50. putant, nuptias non esse ex prima naturae institutione ante peccatum, sed ex peccato duntaxat originem traxisse. Verum ex modo dictis apparet, Matrimonium inter **Matrimonium an sit de lege naturae?**

Adamum et Evam, iam ante peccatum in Paradiso institutum, et initum fuisse: et quod ante peccatum fuit in officinm naturae, post peccatum factum est remedium concupiscentiae. Quare etiam ex ipsa lege naturae matrimonium, prout est officium naturae, originem trahit: natura enim etiam secluso peccato inclinat hominem ad prolis generationem, quae in lucem edita, per nutritionem, et educationem ad perfectum deduci debet secundum corpus et animam: quod requirit certos parentes indissolubili vinculo colligatos, in quo natura Matrimonii consistit.

Art. 3. *De Matrimonii essentia.*

Matrimonium non consistit in copula. § 1197. Essentia autem Matrimonii non constitit in usu, seu copula carnali. 1° Quia inter Adamum et Evam verum fuit Matrimonium, antequam commiscerentur; post eiectionem enim ex Paradiso modo coiverunt, *Gen.* 2. 2° Patet ex praxi Ecclesiae, quae verum censet esse Matrimonium inter senes, et inter eos, qui ante consummationem Matrimonii in Religione approbata solemniter profitentur; ac inter eos, qui vel mutuo consensu, vel voto ad continentiam se astringunt; in quibus omnibus nulla copula intervenit. 3° S. Chrysostomus *hom.* 32. *in Matth.* ait: *Matrimonium non facit coitus, sed voluntas.* S. Ambrosius *l. de institut. Virg. c.* 6. *Cum iungitur puella, coniugium est, non cum virili admixtione cognoscitur.* Et S. Augustinus *l. de nupt. et concup. c.* 11. ait: *Quibus vero placuit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiae in perpetuum continere, absit, ut inter illos vinculum coniugale rumpatur; imo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quae charius concordiusque servanda sunt, non voluptuariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum.* Deinde iuxta Tridentinum *Sess.* 24. aliud est Matrimonium ratum, aliud consummatum. Ergo etiam Matrimonium ratum verum est, licet coniuges se mutuo non tangant. 4° Ratio est, quia usus rei, de qua contrahitur, non spectat ad essentiam contractus, sed est aliquid ad eum consequens: sic perfectus est contractus emptionis domus, licet emptor eam non incolat, dummodo rei emptae dominium acquirat. Ergo contractus Matrimonii eo ipso perficitur, quod coniuges potestatem in corpora sibi tradunt, licet ea nunquam sint usuri.

Solvuntur objectiones. *Schol.* 1. Iulianus Pelagianus, teste S. Augustino *l.* 5. *contr. Iulian.* docuit, essentiam Matrimonii consistere in carnali coniunctione. I. Quia *ad Eph.* 5. Apostolus coniunctionem corporum ad Matrimonium requirit, *v.* 31. *Erunt duo in carne una. Resp.* His verbis non designatur usus Matrimonii, sed mutua translatio dominii in corpus, quae ab usu separari potest. II. S. Augustinus *l.* 19. *contr. Faust. c.* 29. ait: *Matrimonium ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat foemina nubere, nisi ut mater fiat.* Et c. *Institutum, cau.* 27. *q.* 2. *Non dubium est, illam mulierem non pertinere ad Matrimonium, cum qua docetur non fuisse commixtio sexus.* Et S. Leo *ep.* 92. *c.* 4. ait: *Cum societas nuptiarum ita sit a principio instituta, ut praeter*

commixtionem sexuum non habeant in se nuptiae coniunctionis Christi et Ecclesiae Sacramentum. *Resp.* S. Augustinus Manichaeos refutans, ex ipso vocabulo Matrimonii ostendit, causam duntaxat gignendorum liberorum, non vero explendae libidinis, esse debere, ut uxores ducantur. In *c. Institutum*, verba citata sunt Gratiani, uti constat ex emendatione Decreti, cuius auctoritas hic nihil probat. Item verba S. Leonis corrupta sunt; ita enim sonant: Cum societas nuptiarum ita a principio sit instituta, ut praeter sexuum *coniunctionem* haberet in se Christi et Ecclesiae Sacramentum; dubium non est, eam mulierem non pertinere ad Matrimonium, in qua docetur, nuptiale non fuisse mysterium. Hinc docet S. Leo, non omnem mulierem iunctam viro esse uxorem; nec concubinam esse nuptam, III. Ad substantiam Matrimonii spectat translatio dominii, et mutua potestas in corpora; quod dominium, si non referatur ad actum, inutile est, quia inutilis est venditio praedii cum pacto, ut alter eo nunquam utatur*:* imo si copula non est de essentia Matrimonii, etiam frigidi, duo mares, frater cum sorore, et voto castitatis obstricti Matrimonium inire possent; quia mutua animorum consensio, et traditio corporum ad mutua vitae onera in illis esse potest. *Resp.* Dominium ab actu in contractu Matrimonii seiungi potest, cum praeter liberorum generationem Matrimonium alia commoda afferat, scilicet mutuam fidem, vinculum charitatis, familiae regimen, communionem bonorum, et connubium insolubile, significans coniunctionem Christi cum Ecclesia; sicuti etiam dominium praedii ab usu separari potest, si vendens ex solo dominio sibi retento utilitatem percipere possit. Frigidi, duo mares, frater et soror sunt inepti ad transferendum dominium suorum corporum, quod ius radicale ad copulam requirit. Voventes castitatem etiam a vinculo coniugii se abstinere velle promittunt, quia hoc sine singulari Dei gratia frangendi voti maximum est irritamentum.

Schol. 2. Plura in Matrimonio occurrunt: mutuus consensus: contractus externus: mutua corporum traditio: nexus et vinculum ex contractu resultans: ius unius ad alterum: consummatio Matrimonii in copula. Quaeritur ergo, in quonam horum essentia Matrimonii consistat. Ex modo dictis constat, essentiam Matrimonii non consistere in copula, licet Theologi communiter doceant, in Matrimonio radicaliter quidem includi ius ad copulam propter mutuam corporum traditionem; sed sine actuali copula, et sine consensu sive implicito sive explicito in illam, firmum posse stare coniugium. Rursus essentia Matrimonii, prout est officium naturae, non consistit in mutuo consensu, aut contractu externo; quia hic consensus est causa efficiens Matrimonii, quae rei essentiam formaliter non constituit. Item essentia Matrimonii non consistit in mutua traditione corporum, aut mutua obligatione ad reddendum debitum, aut mutuo coniugum iure; quia haec omnia sunt aliquid Matrimonium consequens, et verum potest esse Matrimonium sine corporum

In quo consistat essentia Matrimonii?

traditione, et mutua obligatione ad usum Matrimonii etiam confuse et implicite spectata; uti patet in iis, qui ex mutuo consensu se obligant ad servandam continentiam. Proinde essentia Matrimonii consistit in nexu seu vinculo perpetuo, quod ex consensu interno, et pactione externa inter virum et mulierem resultat: tum quia Matrimonium definitur per coniunctionem, quae est vinculum, quo coniuges formaliter, et non tantum effectivo ligantur: tum quia Catechismus Concilii Tridentini *p.* 2. *de Matr.* ait: *Ex iis patet, Matrimonii naturam et rationem in illo vinculo consistere:* tum quia Matrimonii essentia consistere debet in aliquo firmo et stabili, sicuti ipsum Matrimonium aliquid firmum est, quod solum est vinculum, seu nexus utriusque coniugis, qui est relatio realis fundata in actione externa et reali, seu contractu externo, per quem coniuges inter se mutuo obligantur in iis, quae pertinent ad officia Matrimonii. Dices I. Matrimonium, sicuti alii contractus, consistit in fieri: et vinculum illud non est aliquid sensibile. Ergo ad rationem Sacramenti non potuisset elevari. *Resp.* Matrimonium quoad causam efficientem consistit in aliquo transeunte, scilicet mutuo consensu; quoad rationem vero formalem, quantum ad id, quod est res et Sacramentum simul, consistit in permanenti seu illo vinculo, quod licet in se non sit sensibile, causae tamen eius sensibiles esse possunt, nimirum verba consensum exprimentia, quae sunt Sacramentum tantum. II. Vinculum est aliquid consequens Matrimonium, quod veluti omnis contractus formaliter in consensu mutuo verbis, vel nutu expresso consistit. *Resp.* Vinculum illud est quidem effectus mutui consensus, non vero effectus Matrimonii; sed potius formaliter ipsum Matrimonium, quod praesuppositive, causaliter et effective est verus contractus; non vero est verus contractus formaliter, quasi in eo essentia Matrimonii consisteret.

Art. 4. *De veritate Matrimonii inter B. V. Mariam, et S. Ioseph.*

An inter B. V. et S. Ioseph verum Matrimonium fuerit?

§ 1198. Cum vero essentia Matrimonii in usu et copula non consistat (§ 1197.), hinc inter Beatissimam Virginem Mariam, et S. Iosephum verum fuit Matrimonium. 1° Quia in S. Scriptura S. Iosephus *vir* Beatissimae Virginis, et Beatissima Virgo *uxor* S. Iosephi appellatur, *Matth.* 1. *v.* 16. *et* 19. *Vir eius*, ἀνὴρ *maritus v.* 20. *Noli timere, accipere Mariam coniugem tuam*, γυναῖκα *uxorem v.* 24. *Accepit coniugem suam*. Deinde *Matth.* 13. *Luc.* 3. *Ioan.* 6. constat, Iudaeos vulgo in ea opinione fuisse, Iesum esse filium verum Iosephi, cuius opinionis licet falsae non alia causa fuit, quam quia notum erat, inter B. V. Mariam, et S. Iosephum verum contractum esse Matrimonium; alioquin sine dubio Iudaei Christo obiecissent, quod ex fornicatione genitus fuisset. 2° S. Augustinus *l.* 23. *contr. Faust. c.* 20. ait: *Neque enim Ioseph quia concubitu non permixtus, ideo non maritus.* Et *l.* 1. *de Nupt. et Conc. c.* 11. fuse huius Matrimonii veritatem demonstrat, et inter alia dicit: *Omne itaque nuptiarum bonum*

impletum est in illis parentibus Christi, Proles, Fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum: Fidem quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium. 3° Matrimonii essentia sine copula constare potest. Ergo verum inter Beatissimam Virginem et S. Iosephum fuit.

Schol. 1. Qui docent, essentiam Matrimonii in copula consistere, dicunt, verum Matrimonium inter B. Virginem et S. Iosephum non fuisse. Haec sententia iuxta Benedictum XIV, *de Fest. B. V. Festo Despons.* saltem est temeraria; iuxta P. Suarez haeretica. Non obstat I. Quia non est verosimile in V. L. S. Iosephum cum Beatissima Virgine ex alio fine connubium iniisse, quam gignendorum liberorum, quia non suscitantes semen olim maledicti erant: imo S. Iosephus Beatissimam Virginem gravidam inveniens, voluit occulte eam dimittere, *Matth.* 1. *v.* 19. quod illi, si vera uxor fuisset, non licuisset, nisi dato libello repudii, *Deut.* 24. *v.* 1. *Resp.* In Lege foecunditas praeceptum non erat, sed promissio; et suscitare prolem ad illos solum spectabat, quorum fratres sine liberis uxore superstite defuncti erant. Libellus repudii uxoribus viro exosis dandus erat, quod non fuit in S. Iosepho: voluit autem Beatissimam V. Mariam occulte dimittere, vel quia de eius castitate, sine peccato tamen ob ignorantiam Mysterii Incarnationis, dubitavit, uti censet S. Augustinus *ep.* 54. vel iuxta alios Patres; quia cognito Mysterio Incarnationis, se Matris Dei consortio indignum reputabat: vel quia videns eam gravidam, suspenso iudicio, perplexione cruciatus, modo ab Angelo Mysterium, quod B. V. Maria ex humilitate prodere noluit, edoctus fuit. II. S. Epiphanius *haer.* 78. ait: *Videbatur uxor, et non erat.* S. Hieronymus *contr. Helvid.* uxorem non dictam esse, nisi quatenus nomine uxoris more S. Scripturae sponsa intelligitur. S. Augustinus *serm.* 17. *de temp. Concepit Virgo, antequam sponsum haberet; parit, antequam nubat.* Et S. Gregorius *l.* 2. *hom.* 26. *in Evang.* ait de S. Ioseph: *Qui tamen ad eius nuptias non pervenit. Resp.* SS. Patres agunt contra haereticos perpetuam Virginitatem Deiparae negantes, et nomine nuptiarum copulam carnalem intelligunt. III. Inter S. Iosephum et B. V. Mariam non potuit esse verum Matrimonium post emissum ab ea perpetuae Virginitatis votum, quod nuptiis repugnat. *Resp.* Licet B. V. Maria ob votum ne implicite quidem in usum Matrimonii consenserit; verum tamen fuit eius Matrimonium, tum propter unionem animorum, tum propter ius et potestatem mutuae corporum traditionis, quamvis Deo revelante sciverit, S. Iosephum hoc iure nunquam esse usurum; hinc non obstante voto, Deo sic volente, Matrimonium hoc inire potuit.

Solvuntur obiectiones.

Schol. 2. Rationes, cur B. V. Maria, etiam post emissum votum perpetuae Virginitatis, Matrimonium cum S. Iosepho Deo sic volente inierit, variae sunt. 1. Ex parte Christi, ne tamquam illegitime natus a Iudaeis et Infidelibus abiiceretur. Ita S. Ambrosius *in Luc.* 2. Ut Christus haberet aliquem, per quem more solito, scilicet virum, Ge-

Rationes, cur B. V. desponsata fuerit

nealogia sua texeretur. 3. Ut partus Virginis diabolo occultaretur, 4. Ut Christus in tenera aetate nutritium haberet. Ex parte B. V. Mariae habere virum conveniebat. 1. ne a Iudaeis lapidaretur: S. Hieronymus. 2. Ut ab infamia vindicaretur: S. Ambrosius *sup. Luc.* 3. Ut haberet ministrum in suis necessitatibus, maxime in fuga in Ægyptum. Ex parte nostra conveniens fuit, 1. ut testimonio S. Ioseph probaretur, Christum de Virgine natum esse. 2. Ad refutandos haereticos nuptias damnantes.

CAP. II.

De Sacramento Matrimonii.

Matrimonium est verum Sacramentum N. L.

§ 1199. Matrimonium ab initio ad officium naturae institutum Christus in nova Lege ad dignitatem Sacramenti evexit; adeoque Matrimonium est verum ac proprie dictum N. L. Sacramentum. 1° Hoc probatur ex S. Scriptura. *Ad Eph.* 5. *v.* 32. de Matrimonio dicitur: ***Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.*** Putant quidem nonnulli Theologi, uti Vasquez *d.* 2. *de Matr. c.* 6. Estius *in* 4. *d.* 26. et Iuenin *diss.* 11. ex S. Scriptura hoc dogma Catholicum efficaciter probari non posse, sed tantum ex Traditione. Verum ex citato textu satis efficaciter ita demonstratur: In hoc loco omnia requisita ad verum N. L. Sacramentum reperiuntur: 1. Signum sensibile, seu contractus externus, rem sacram significans; quia dicitur Sacramentum magnum in Christo et in Ecclesia, Graeco *εἰς Χειστὸν καὶ εἰς τηὺ ἐ' κκλησίαν*, ***in Christum et in Ecclesiam,*** id est, ad Christum et Ecclesiam tamquam rem siginficatam relatum. Ubi sane Apostolus non unionem Christi cum Ecclesia, uti volunt heterodoxi, sed Matrimonium Christianorum vocat magnum Sacramentum, quia pronomen *hoc*, quo Apostolus utitur, est demonstrativum rei, de qua agitur, scilicet de Matrimonio Christianorum, de quo Apostolus ibidem ait: *Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* 2. Adest institutio Christi, uti paullo post ostendetur. 3. Est signum efficax gratiae, quia ibi Apostolus hortatur coniuges ad mutuam dilectionem, exemplo Christi diligentis Ecclesiam: ***Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus Ecclesiam;*** et ut hoc probet, et eis persuadeat, dicit, unionem maritalem esse signum coniunctionis Christi cum Ecclesia, et magnum Sacramentum, quod ad hoc praestandum gratiam confert: ita fere argumentatur Trident. *Sess.* 24. *c. un. de Matrim.* 2° Probatur ex Traditione: Matrimonium enim semper inter res sacras certo Religionis ritu celebratas habitum fuit. S. Ignatius *ep. ad Polycarp.* coniugium ex sententia Episcopi vult celebrari, *ut sit secundum Dominum.* Tertullianus *l.* 2. *ad uxor.* ait, illud *confirmari oblatione, obsignari benedictione.* Concilium Carthaginense IV. *cap.* 13. S. Ambrosius *ep.* 10. *ad Vigil.* Innocentius I. *ep. ad Victric.* benedictionem nuptiarum recensent. Certe hac preces et benedictio-

nes adhibitae non fuissent, nisi Matrimonium pro caeremonia sacra et vero Sacramento habitum fuisset. Deinde Patres Matrimonium in proprio sensu Sacramentum appellant. S. Ambrosius *l.* 1. *de Abrah.* c. 7. ait: *Quis sic egerit, alteri nuptam ducens, peccat in Deum, cuius legem violat, gratiam solvit; et ideo, quia in Deum peccat, Sacramenti caelestis amittit consortium.* S. Chrysostomus *hom.* 56. *in Gen. Sacramentum sunt nuptiae, et imago dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam declaravit.* S. Augustinus Matrimonium passim vocat Sacramentum, et quidem in proprio sensu, quia Matrimonium Christianorum Matrimoniis Gentilium et veterum Patriarcharum opponit: et *l. de bon. coni. c.* 24. ait: *Per omnes gentes bonum nuptiarum, atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti.* Et *l. de fide et oper. c.* 7. *In Ecclesia nuptiarum non solum vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur.* Rursus Patres dicunt, Matrimonio annexam esse gratiae promissionem. S. Cyrillus Alexand. *l.* 2. *in Ioan. c.* 12. docet, Christum sanctificasse coniugium, et *gratiam* nuptiis praeparasse, ut adytus hominis in hanc vitam benediceretur. S. Innocentius I. *ep. ad Probum*: *Statuimus, fide Catholica suffragante, illud esse coniugium, quod primitus erat Divina gratia fundatum, conventumque secundae mulieris, priore superstite, nec divortio eiecta, nullo pacto posse esse legitimum.* Et S. Augustinus *l. de bon. coni.* totus est, ut Sacramenti Matrimonii dignitatem, utilitatem et efficaciam demonstret. 3° Accedunt Concilia: Constantiense *Sess.* 15. Florentinum in Decreto, et Tridentinum *Sess.* 24. *can.* 1. *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Legis Evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, neque gratiam conferre; anathema sit.* 4° Ratio congruentiae est, quia Matrimonium est ad procreationem et bonam educationem prolis, et ad remedium contra peccatum fornicationis, ad quod utrumque gratia requiritur. Ergo conveniens fuit, ut in Lege gratiae a Christo ad rationem Sacramenti eveheretur.

Schol. 1. Lutherus et Calvinus negant, Matrimonium esse verum Sacramentum. I. Quia tantum dicitur Sacramentum ab Apostolo latissime, id est, μυστήριον; non enim consistit in re sacra exterius applicata: pugnat cum Sacramento Ordinis: et ne quidem secundam gratiam confert; alias is, qui servata antea castitate a statu hoc perfectiori ad minus perfectum, scilicet Matrimonium, transiret, augmentum gratiae acciperet. *Resp.* Matrimonium est symbolum coniunctionis Christi cum Ecclesia secundum naturam et gratiam, adeoque verum Sacramentum, quod per verbum μυστήριον exprimitur, cum aliud non habeamus. Deinde in Matrimonio signum externum est contractus mutuus sacro ritu celebratus, vel Sacerdotum vel contrahentium ministerio. Nec Matrimonium pugnat cum Sacramento Ordinis, cum etiam coniugatus ex consensu uxoris ordinari possit; sed tantum status cum statu, sicuti res minus perfecta cum perfectiori.

Solvuntur obiectiones.

Continens, dum contrahit Matrimonium, crescit in gratia; sed si talis continens propter Deum humanas nuptias non iniisset, plus gratiae apud Deum inivisset, quam sit illa, quae per Sacramentum datur. II. Magister Sententiarum *d.* 26. *in* 4. negat, Matrimonium esse proprie dictum Sacramentum. Idem tenet Durandus, et S. Bonaventura hanc sententiam haereticam non appellat. *Resp.* Si Magister Sententiarum et alii ex defectu definitionis universalis Ecclesiae contrarium docuerint, deserendi sunt. Interim S. Thomas Magistrum Sententiarum benigne interpretatur, quod solum voluerit, Matrimonium primario ad remedium concupiscentiae institutum esse, non vero ad confirmandum in gratia, uti reliqua Sacramenta vivorum; quia tamen remedium hoc sine gratia efficax esse nequit, eam non exclusit. Durandus vero inquirendo, non affirmando loqui videtur. II. Sic usus coniugii gratiam conferret, et contrahentes de pecunia seu dote pacisci non possent. *Resp.* Usus coniugii est officium, non vero pars nec essentialis nec integralis Sacramenti: datur quidem gratia ad hunc usum intra limites Christianae modestiae exercendum; sed ipse usus gratiam non confert. Pacta dotalia non spectant Matrimonium, quatenus est Sacramentum, sed quatenus est contractus civilis, et referuntur ad onera Matrimonii, non vero ad gratiam Sacramenti.

An Matrimonium in L. nat. et vet. fuerit Sacramentum?

Schol. 2. Quaeritur, an Matrimonium in Lege naturae vel scripta, fuerit verum Sacramentum. Affirmant Catharinus *opusc. de Matr.* et Lannoius *de regia in matr. potestate.* Verum hanc sententiam non esse satis tutam censet Bellarminus *l.* 1. *de Sacr. Matr.* c. 5. et Vasquez *disp.* 2. *de Matr. c.* 3. ait, esse expresse damnatam. Hinc dicendum est 1. Si Sacramentum late sumatur pro signo rei sacrae, tunc dici potest, Matrimonium in Lege naturae et scripta fuisse Sacramentum, quia ex primaria sui institutione in Paradiso habet, quod sit signum coniunctionis Christi cum Ecclesia. Hinc Tertullianus *l. de ani.* c. 11. ait: *Adam statim prophetavit magnum illud Sacramentum in Christum, et Ecclesiam, dicens: Hoc nunc os ex ossibus meis.* Et S. Augustinus *l.* 9. *de Gen. ad litt.* c. 19. *Evigilans Adamus tamquam Prophetiae plenus, cum ad se adductam costam mulierem videret, eructavit continuo, quod magnum Sacramentum commendat Apostolus: Hoc nunc os, etc.* Et ipsi Gentiles agnoverunt, aliquid inesse Matrimonio, quod ad Religionem certo ritu pertineret, et ideo non sine sacrificiis et religiosis caeremoniis nuptias celebrarunt. 2. Dicendum: si Sacramentum proprie, quale in L. nova Christus instituit, sumatur, tunc non potest dici, Matrimonium in Lege naturae et scripta fuisse Sacramentum: nam Florentinum in Decreto Matrimonium inter Sacramenta N. L. recenset, quae a veteribus distingui probat ex eo, quod vetera gratiam non conferrent, sicut eam nova conferunt. Et Trident. *Sess.* 24. *de Matr.* ait, *Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratiam praestare, atque merito inter Sacramenta N. L. a Patribus, Conciliis, et universa Traditione Ecclesiae annumerari.* Ex quibus apparet, Matrimonium

in Lege naturae et scripta non fuisse signum efficax gratiae. Ergo proprium Sacramentum non fuit. Dices I. Matrimonium esse proprium Sacramentum, probatur ex illo *ad Eph.* 5. *Sacramentum hoc magnum est*, ubi Apostolus loquitur de Matrimonio Adami, et Evae, et dicit, naturam Matrimonii in eo consistere, ut vir et mulier sit una caro; quod solum in Adamo et Eva proprie, in aliis nonnisi per imitationem verificatur. *Resp.* Ex Apostolo solum colligitur, Matrimonium Adami solum praefigurasse unionem Christi cum Ecclesia, et Matrimonium Christianorum; adeoque lato sensu Sacramentum fuit. In omni Matrimonio vir et mulier est una caro; sed solum Matrimonium Christianorum ex institutione Christi est signum efficax gratiae. II. Plures Patres vocant Matrimonium Adami, Sacramentum. *Resp.* Loquuntur in sensu latiori, modo explicato.

Schol. 3. Matrimonium inter Christianos potest esse validum in ratione contractus naturalis et civilis quoad vinculum; quod tamen non sit validum in ratione Sacramenti, quia Christus Matrimonium ad rationem Sacramenti elevando, non abstulit ab eo naturalem et civilem obligationem, quam ex reciproco contrahentium consensu habuerat. Ergo si a Christianis solum ut contractus naturalis et civilis iniretur sine omni intentione suscipiendi Sacramentum, esset validum in ratione contractus, non vero in ratione Sacramenti. Non licet tamen Christianis in Matrimonio separare rationem contractus a ratione Sacramenti, quia haec separatio foret gravis irreverentia; quia tenentur ritu Christiano contrahere, nec ponere obicem gratiae Sacramentali, quam Christus Matrimonio adiunxit.

An inter Christianos sine Sacramento Matrimonium sit validum?

Schol. 4. Matrimonium inter Infideles legitime contractum, verum quidem est, ratum ac firmum, quia est validus contractus naturalis et civilis; non tamen est verum Sacramentum, quia illius Infideles sine Baptismo non sunt capaces. Matrimonium etiam fidelis cum Infideli non est Sacramentum, quia consensus ex parte Infidelis non est materia capax Sacramenti, utpote contractus hominis, qui non potest suscipere Sacramentum, et non habentis ullam intentionem celebrandi Sacramentum. An vero Matrimonium inter Infideles contractum transeat in Sacramentum, quando uterque per Baptismum ad fidem convertitur; disputant Theologi. Nonnulli affirmant, si intendant Matrimonium more Christiano innovare; quia sic fit Matrimonium Christianum, et fiunt habiles ad contrahendum. Alii negant, quia novus consensus novum Sacramentum facere nequit, cum repetitus consensus non afferat novam materiam et formam, sed priorem solum ratificet. Denique Matrimonia haereticorum, si intentione saltem generali intendunt facere id, quod Christus instituit, et facit Ecclesia, licet intentione particulari non credant suscipi Sacramentum, sunt vera Sacramenta, si omnia requisita habeant: licet ob haeresim sint peccato sacrilegii polluta.

An inter Infideles sit Sacramentum?

§ 1200. Sacramentum Matrimonii a Christo Domino institutum est: nam omnia Sacramenta a Christo in N. L. instituta fuerunt (§

Christus Sacramen-

tum Matrimonii institut. 912.). Sed Matrimonium est N. L. Sacramentum (§ 1199.). Ergo a Christo institutum fuit. Id quod magis patebit ex Scholio sequenti.

Quando institutum? *Schol.* Sacramentum Matrimonii a Christo iustitutum fuit, quando in Cana Galilaeae nuptias sua praesentia honestavit, eisque benedixit. Ita enim tenent Patres. S. Cyrillus Alex. *l.* 2. *in Ioan.* docet, Christum sanctificasse coniugium, et gratiam nuptiis praeparasse, quando aquam in vinum in Cana-Galilaeae convertit. S. Augustinus *tr.* 9. *in Ioan.* ait, ideo Christum nuptiis interesse voluisse, ut castitatem coniugalem firmaret. S. Maximus *hom. de Epiphan.* ait : *Vadit ad nuptias Dei Filius, ut, quas dudum potestate constituit* (scilicet in ratione contractus humani), *nunc praesentiae suae benedictione sanctificet* (scilicet adiungendo dignitatem Sacramenti).

CAP. III.

De materia, et forma Matrimonii.

Materia remota Matrimonii. § 1201. Materia remota Sacramenti Matrimonii sunt corpora contrahentium, quia sunt obiectum contractus Matrimonialis. Quaenam autem sit materia proxima et forma, disputant adhuc Theologi. Unde sit.

Materia proxima et forma. *Schol.* Navarrus et alii docent, consensum internum mutuum contrahentium esse materiam Matrimonii; formam vero, verba vel signa externa hunc consensum exprimentia: et Ioannes Maior verba pro materia, et consensum internum pro forma assignat. Verum hoc modo tota materia et forma non essent signum sensibile; quod tamen ad Sacramentum requiritur. Vasquez vult, contrahentium corpora esse materiam Matrimonii; consensum vero per verba explicatum, esse formam. Sed corpora sunt solum materia remota, et Matrimonium consistit in actione transeunte. Richardus censet, verba unius coniugis esse materiam Matrimonii, et verba alterius esse formam. Ast hoc modo nonnisi materia vaga, et pro libitu contrahentium variabilis assignatur. Catharinus in *opusc. de Matr. c.* 1. putat, verba et actus contrahentium esse materiam Matrimonii; formam vero esse verbum Dei sanctificans Matrimonium, cum dixit *Gen.* 2. *et Matth.* 19. *Propter hoc relinquet homo patrem, etc.* Ex quo sequitur, Deum esse Ministrum huius Sacramenti. Verum sic confunditur institutio cum essentia Matrimonii. Deus contra communem Theologorum fit Minister, cum tamen solus homo a Deo pro administrandis Sacramentis destinatus sit: nec datur moralis coniunctio inter materiam et formam. Maldonatus censet, totam illam externam coniunctionem, et societatem viri et uxoris, quae ab omnibus percipitur, esse materiam : significationem vero coniunctionis Christi et Ecclesiae esse formam. Ast sic forma non esset sensibilis, nec consisteret in verbis vel aliquo aequivalenti; quod tamen Florentinum ad omnia Sacramenta requirit. Denique Canus et Tournely volunt, materiam Matrimonii esse actus contrahentium; formam vero verba Sacerdotis,

quibus coniuges coniungit. Sed haec sententia supponit, Sacerdotem esse ministrum Sacramenti Matrimonii; quod suo loco refutabitur. Dicendum igitur est, verba seu signa coniugum, quibus mutuum consensum exprimunt, esse sibi invicem materiam et formam Sacramenti Matrimonii secundum diversas considerationes; nam quatenus per illa mutuo sua corpora in coniugum invicem tradunt, habent rationem materiae: in quantum vero per ea corporum traditionem sibi mutuo factam acceptant, habent rationem formae. Nam in contractibus civilibus traditio, prout sensibili signo facta, habet rationem materiae; acceptatio vero verbis expressa habet rationem formae, quia traditio est quid determinabile, et perficitur per acceptationem, quae se habet per modum determinantis; sed Matrimonium in ratione contractus non differt a reliquis contractibus civilibus, neque prout Sacramentum est, habet materiam diversam a seipso, prout contractus est: ergo traditio et acceptatio verbis vel alio signo facta est materia et forma illius. Dices I. Ad Sacramentum requiruntur res et verba, et quidem realiter distincta: ergo sola verba non possunt esse materia et forma Matrimonii. *Resp.* Nomine rerum intelliguntur ea omnia, quae sunt vice earum et determinabilia per alia signa ad significandum, et nomine verborum ea, quae determinant, quae in contractu etiam nutus et litterae esse possunt; sicuti in Sacramento Poenitentiae verba confitentis, sunt relate ad verba Absolutionis materia. Eodem modo in Matrimonio verba tradentis, et acceptantis se habent. Deinde inter materiam et formam Florentinum realem distinctionem non assignat: imo licet materia totalis Matrimonii copulatim sumpta, et forma totalis sumpta relate ad invicem realiter non distinguantur; si tamen unaquaeque materia divisim accipiatur, distinguitur realiter a forma partiali, qua perficitur: verba enim coniugis exprimentia traditionem proprii corporis habent rationem materiae, et realiter distinguuntur a verbis alterius, quibus traditionem acceptat, et quae se habet per modum formae. II. Verba, quibus mutuus consensus in acceptatione reciproca corporum exprimitur, non significant effectum Sacramenti, nec aliquid sacrum: imo in locis, ubi Tridentinum non est receptum, copula carnalis est signum sufficiens acceptationis; adeoque foret forma Sacramenti *Resp.* Verba illa apud Christianos non solum unionem corporum, sed etiam animorum ad similitudinem unionis Christi cum Ecclesia ex institutione sua significant; et licet forte coniuges nil sacrum cogitent, volunt tamen facere, quod facit Ecclesia; et hinc ex eadem institutione significant etiam effectum spiritualem, scilicet unionem spiritualem Christi cum anima. Deinde non est absurdum dicere, ad initium illius copulae gratiam Divinam nullo obice posito infundi; et tunc, notat P. Berti, consensui in individuam vitae consuetudinem per copulam expresso, non vero operi carnali gratia attribuitur. III. Consensus mutuus est indifferens ad esse Sacramentale. *Resp.* Determinatur per intentionem fidelium contrahentium, qui volunt facere, quod facit Ecclesia, et quod Christus instituit.

Art. 1. *De qualitate consensus ad Matrimonium.*

Ad Matrimonium requiritur consensus verus de praesenti.

§ 1202. Ad Matrimonium valide contrahendum requiritur consensus verus et mutuus de praesenti. Nam Matrimonium est vinculum mutui et perpetui amoris, et animorum ac corporum coniunctio, quae sine consensu mutuo non habetur; quia nemo eligit aliquid, quod non diligit, et translatio dominii corporum non fit per legem, adeoque per consensum: unde nec Princeps, nec Respublica, nec Deus ipse hunc consensum supplere potest, quia est causa formalis licet extrinsecca Matrimonii. Ex quo etiam sequitur, quod hic consensus debeat esse verus, sincerus, internus, et non fictus, ac deliberatus ob obligationem gravem, quam post se trahit; et quidem de praesenti, quia per promissionem, vel verba de futuro, fiunt tantum Sponsalia.

Solvuntur obiectiones

Schol. Dices I. Florentinum dicit, consensum *regulariter* requiri ad Matrimonium, adeoque non semper. Et *c. Is, qui fidem, de Sponsal.* dicitur, quod per copulam inter sponsos habitam contrahatur Matrimonium, et non admitti probationem dissensus; imo, si forte non adsit consensus, cum ab Ecclesia suppleri. Et *c. fin. de cond. appos.* dicitur validum Matrimonium, sub conditione impossibili contractum, ubi certe consensus deest. *Resp.* Concilium loquitur de consensu formali et expresso, qui regulariter adesse debet, licet subinde virtualis sufficiat; et talis adest per copulam. In Matrimonio vero sub conditione impossibili Ecclesia non supplet consensum, sed illum in foro externo adfuisse iudicat; si tamen coram Deo vere non fuit, Matrimonium non est validum. II. Ecclesia potest aliquem cogere ad Episcopatum, qui est Matrimonium spirituale: ergo etiam ad Matrimonium carnale, non expectato eius consensu; maxime quia Respublica potest transferre dominium corporis in alium sine eius consensu, sicuti potest tradere dominium bonorum subditorum aliis, dominis etiam invitis. *Resp.* Ecclesia potest cogere tantum, ut aliquis ad Episcopatum ponere consensum obligetur. Item in iis, quae essentialiter electionem et voluntatem civium non exigunt, potest Respublica dominium unius transferre in alium; quia tunc quis est magis civis Reipublicae, quam sui iuris: non autem in illis, quae liberum consensum requirunt, uti est Matrimonium. III. In contractu venditionis sufficit obligatio ex verbis resultans, sine interno consensu se obligandi ergo etiam in Matrimonio. *Resp.* Disparitas est, quia in contractu coniugali non tantum corporum, sed etiam animorum fit coniunctio, quae sine vero consensu non intelligitur.

Resolvuntur casus.

Coroll. Pract. 1° Qui ficto animo init Matrimonium, duplex peccatum committit; sacrilegii contra reverentiam Sacramenti, et iniustitiae ac iniuriae, quam alteri parti bona fide contrahenti irrogat; adeoque ad damna inde alteri provenientia compensanda obligatur, licet ipsum Matrimonium sit invalidum. In foro tamen externo deceptor compellitur ad cohabitandum cum decepta, quia pro hoc foro stat praesumptio violenta, nec deceptori creditur, etsi iurato affirmet, se

ficte contraxisse, cum in causa tam ardua locum non habeat iuramentum suppletorium in favorem proprium: in foro vero interno creditur quidem coniugi asserenti fictionem; prohibendus tamen est, ne cum alia contrahat, sed praestito vero consensu Matrimonium redintegret, ut hoc modo parti laesae satisfiat, et scandalum evitetur. In nonnullis tamen casibus deceptor ad Matrimonium non obligatur, sed alio modo damnum illatum resarcire potest: 1. Si decepta pro virgine se falso iactitaverit, quia sic deceptio deceptione compensatur. 2. Si ex tali matrimonio scandala, et malae sequelae timeantur. 3. Si deceptor dignioris conditionis fuerit. 4. Si decepta, fraude detecta, aliam compensationem recipiat. 5. Si deceptor aliud postea Matrimonium vero consensu contraxit; in quo casu, si postea iudex Ecclesiasticus deceptorem ad prius Matrimonium ficto contractum compellat, et illo nulla ratione effugere possit, quominus deserta posteriore legitima uxore, priori putatitiae adhaereat; potest quidem aliquamdiu illi cohabitare, ut ecclesiae praecepto satisfaciat, potius tamen Excommunicationis sententiam secundum formam externam humiliter sustinere debet, quam ut in copulam consentiat, quae foret adultera. 2° Si Matrimonium ex defectu veri consensus sit invalidum, adeoque revalidandum, Parochus praemisso pio colloquio in praesentia bonorum amicorum ex talibus coniugibus tenetur elicere novum consensum, quaerendo v. g. nonne vultis in Matrimonio pacifice vivere, sicuti bonos Christianos decet? tunc uterque facile affirmative respondebit, quin pars innocens de fraude aliquid advertat.

§ 1203. Porro consensus hic debet esse vel verbis, vel aliis signis externis inter personas habiles expressus. Nam Matrimonium, si spectetur ut Sacramentum, debet esse signum sensibile. Ergo requirit consensum externe manifestatum: imo vero si spectetur etiam ut contractus, signa externa requirit, quia nec traditio, nec acceptatio dominii corporum sine signis externis innotescit. **Requiritur consensus exterius manifestatus.**

Schol. Dices I. *C. Matrimonium de Spons. duorum*, dicitur, solum consensum requiri ad Matrimonium: et promissio aliarum rerum pure mentalis, obligat. Ergo etiam Matrimonii. *Resp.* Solus consensus signo externo declaratus dicitur in citato capitulo sufficere, et ly *solum*, consensum parentum vel copulam excludit. Neque promissio interna, utpote ab alio non acceptata, obligationem parit. II. *C. Tuae, de Spons. duor.* dicitur: *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum; sed necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de praesenti.* Ergo manifestatio solum pro foro externo requiritur. *Resp.* Solum statuitur, requiri verba formalia, ut consensus in foro externo facilius probari possit, cum alia signa externa, uti nutus, sint magis aequivoca. III. Votum solo interno consensu fieri potest. Ergo et Matrimonium. *Resp.* Disparitas est, quod votum fiat Deo, qui verbis non eget: Matrimonium fit inter homines, apud quos consensus internus sine signis non cognoscitur. **Solvuntur obiectiones.**

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Consensus non debet necessario declarari per verba formalia, sed alia etiam signa sufficiunt; hinc etiam surdi et muti Matrimonium contrahere possunt: *c. Cum apud, de Spons.* Si autem signa dubia adhibeantur et aequivoca, peccatur mortaliter, ob periculum gravissimarum litium, nisi consuetudo loci excuset. 2° Ad exprimendum consensum sufficiunt haec verba: accipio te in meam coniugem; verba autem consensum de futuro significantia non sufficiunt: v. g. eris uxor mea. Haec tamen verba: tenebo te in uxorem meam ex hoc tempore, sufficiunt, *c. Ex parte de Spons.* Quando verba sunt dubia, si de mente contrahentium constet, illi standum erit: si de ea non constet, sumenda sunt secundum usum communem. 3° Si puella rogaretur, an velit de praesenti cum aliquo contrahere, et ipsa taceat coram patre et matre pro ipsa repromittentibus, sufficit ad Matrimonium, *c. un. de Spons. impub.* Quod tamen non admittunt Salmanticenses, si extranei pro puella respondeant. 4° Uterque contrahens simul consensum ponere debet, non simultate physica, sed morali, quae ex prudentis arbitrio, quantum ad tempus, metienda est.

Art. 2. *De Matrimonio contracto sub conditione.*

Matrimonium sub conditione initum quando valeat? § 1204. 1. Matrimonium contractum sub conditione relata in praesens, et praeteritum, v. g. contraho tecum, si sis dives, etc. statim valet, si conditio vera sit; et non valet, si conditio falsa fuerit: *l. Cum ad praesens, ff. de reb. creditis.* Ratio est, quia ex voluntate convenientium contractus legem accipit. Si igitur ea sit contrahentium voluntas, ut, si hoc existat, stipulatio rata sit; si non existat, stipulatio sit irrita; ita statim erit, sicut inter se convenerunt.

2. Matrimonium vero contractum sub conditione honesta relata in futurum, v. g. accipio te in meam uxorem, si pater tuus consenserit; suspenditur usque ad conditionis eventum: *c. Super eo, de condit. appos.* Ratio est, quia conditio proprie dicta, et in futurum relata suspendit actum, cui apponitur. Quod tamen intelligendum est, si conditio apponatur in ipso contractu; si enim contractu absoluto consensus sit perfectus, conditio illi apponi non potest.

3. Matrimonium denique contractum sub conditione, quae eius substantiae repugnat, ipso iure est irritum. Ratio est, quia etiam alii contractus cum conditione substantiae contractus contraria, iure naturae sunt invalidi. Ergo etiam Matrimonium, uti declaratur *c. fin. de cond. appos.* siquidem consensus in conditionem contrariam substantiae Matrimonii, tollit consensum in substantiam Matrimonii.

An novus consensus post eventum conditionis requiratur? *Schol.* Quaeritur, an Matrimonium sub conditione de futuro contractum, posita deinde conditione statim perficiatur, sine novo consensu posito. *Respondetur* affirmative; tum quia in *l. Potior, ff. Qui potiores in pignor.* dicitur: *Cum semel conditio extitit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset;* tum quia consensus de futuro conditionatus: v. g. acci-

piam te, si pater mille in dotem dederit, eveniente conditione sine novo consensu purificatur, et fiunt Sponsalia absoluta: *c. 1. de Sponsal. in 6.* Ergo etiam consensus de praesenti conditionatus: accipio te in meam uxorem, si pater mille dederit, eveniente conditione sine novo consensu purificatur, et transit in Matrimonium purum et absolutum Dices I. *c. Super eo, de condit. appos.* dicitur de aliquo contrahente sub conditione, si pater consenserit, illum, nisi voluntas patris postea intercedat, nequaquam cogendum esse ad contrahendum Matrimonium. Ergo si voluntas patris accedat, cogendus est ad Matrimonium; adeoque per eventum conditionis non fit absolutum. *Resp.* Pontifex hic non definit, an novus consensus sit apponendus; et per ly *ad contrahendum Matrimonium,* intelligit consummandum Matrimonium, de qua consummatione consultus fuit. II. Caetera Sacramenta a futuro eventu pendere non possunt. Ergo nec Matrimonium. *Resp.* Sacramentum Matrimonii hoc proprium habet, quod fit per modum contractus, et naturam caeterorum contractuum sequatur; qui, si sint conditionati, purificata conditione sine novo consensu fiunt absoluti.

Coroll. Pract. 1° Matrimonia sub conditione maxime de futuro contracta, ob gravissima incommoda, quae ex iis oriri possunt, non-nisi ex gravissima causa sunt permittenda. 2° Conditio de praeterito vel praesenti non suspendit quidem Matrimonium quoad valorem; suspendit tamen quoad usum licitum ob periculum fornicationis, donec impletio conditionis cognoscatur: si autem conditio de futuro sit apposita, impleta conditione, licet non sit necessarium novum consensum ponere, melius tamen in praxi novus consensus coram Parocho et duobus testibus ponitur, ut de Matrimonio absoluto in foro externo testari possint. 3° Conditiones ab intrinseco ex natura rei necessariae in determinatione suarum causarum, v. g. contraho tecum si cras sol oriatur; vel necessariae ab intrinseco ex suppositione Divinae Providentiae, v. g. si pater tuus sit absolute moriturus, non suspendunt contractum, et habentur pro impletis, suntque expressiones certitudinis voluntatis, quasi aliquis diceret: contraho tecum, quam certo sol est cras oriturus, etc. 4° Conditiones generales omnibus contractibus intrinsecae, v. g. si consenseris: si Deus velit: si non adsit impedimentum; si sumantur eo modo, quo insunt, non suspendunt contractum, et habentur pro non appositis: si vero alio modo accipiantur, quo non insunt, v. g. si probetur, te consensum dedisse: si Deus velit, voluntate approbationis: si constiterit, non subesse impedimentum; contractum suspendunt usque ad eventum conditionis. 5° Si qui iure impediti contrahant sub conditione dispensationis obtinendae, non quidem peccant, si impedimentum sit dispensabile: sed tenentur tamen dispensationem petere, qua obtenta, Matrimonium per novum consensum coram Parocho et testibus celebrare debent, quia haec videtur esse mens dispensantis, ut Matrimonium modo post dispensationem in facie Ecclesiae valide contrahatur. 6° Si quis Ma-

Resolvuntur casus.

trimonium cum duabus sub conditione contrahat, illud validum est, cuius conditio prius impletur; quia hoc praeindicat alteri Matrimonio per eventum conditionis necdum purificato. Si conditiones utrinsque Matrimonii simul eveniant, neutrum est validum, quia incertitudo vitiat Matrimonium, *c. Ex litteris, de Sponsal.* 7° Valide contrahitur Matrimonium cum intentione adulterandi; a coniuge sine causa se separandi; prolem occidendi; aliam ducendi uxorem, si fidem Matrimonii violaverit: non tamen valet, si haec in pactum deducantur, quia substantiae Matrimonii adversantur. Valet tamen Matrimonium, si quis contrahat cum intentione illo nunquam utendi, petendo debitum; non autem valet, si conditio vel pactum adiiciatur, quo ius seu potestas Matrimonii impeditur: v. g. accipio te ita, ut in perpetua continentia vivamus, vel Religionem profiteamur, vel nunquam a me debitum petas, vel ego tibi reddere non tenear; quia haec pacta sunt contra substantiam Matrimonii, quae in iure utendi, et obligatione praestandi corpus consistit. 8° Conditio impossibilis, turpis, et contra bonos mores, si suspendat actum, et eum valere non faciat, nisi dependenter a conditione; irritum reddit Matrimonium: si autem sit tantum modus contractui adiectus, quem non suspendit, sed validum supponit; antequam impleatur, et substantiae Matrimonii non repugnet; illud irritum non reddit, sed pro non adiecta habetur, quia talis modus contractum validum supponit. Vid. *cap. ult. de cond. appos.* 9° Licitum est Matrimonium ad Morganaticam, *Desponsatio ad manum sinistram*, ea lege contractum, ut uxor, et liberi ex ea nati dono nuptiali, vulgo *Dote*, tempore Sponsalium determinato sint contenti, et a caeteris bonis avitis, titulis et dignitatibus abstineant, ut bona familiae prioris Matrimonii conserventur; nam hoc fini Matrimonii non repugnat.

CAP. IV.

De Ministro Matrimonii.

Minister Matrimonii.

§ 1205. Minister Sacramenti Matrimonii est vel Sacerdos coniuges benedicens, vel ipsi contrahentes: cumque Ecclesia necdum definiverit, quis horum determinate minister sit, hinc libere adhuc de hac re in Scholis disputatur.

Quis sit Matrimonii?

Schol. Guillielmus Parisiensis, Canus, Petrus de Marca, Tournely etc. docent, ministrum huius Sacramenti esse Sacerdotem coniuges benedicentem, et haec verba: *Ego vos coniungo*, proferentem: hanc sententiam temeritatis accusat Vasquez, sed immerito; nam propugnata est in Concilio Tridentino a Cano, uno ex primariis Sorbonae Doctoribus, uti narrat Pallavicinus *l.* 23. *hist. c.* 9. Verumtamen magis placet sententia, quae ipsos contrahentes ministros Sacramenti Matrimonii esse statuit. 1. Quia Concilium Florentinum ait: *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.* Sed haec verba proferuntur a contrahentibus.

Ergo illi conficiunt Sacramentum; de Sacramento enim ibi agit Eugenius, et non de Matrimonio, prout contractus est. Item Tridentinum *Sess.* 24. *de ref. Matr. cap.* 1. ait, clandestina Matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse Matrimonia, *quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit*. Et *can.* 11. benedictionem nuptiarum *inter caeremonias* solum recenset. Ergo sine Sacerdote Matrimonium est Sacramentum; quod ex his locis Tridentini satis bene colligitur, quod iterum non de solo contractu, sed de Sacramento agit, licet de hoc nihil expresse definiverit. 2. Nostra sententia nititur communiori veterum Theologorum consensu, uno excepto Guillielmo Parisiensi, a quorum sententia non est facile recedendum: et S. Thomas *in* 4. *d.* 26. *q.* 2. *a.* 1. ait: *Verba, quibus consensus exprimitur, sunt forma huius Sacramenti; non autem benedictio Sacerdotis, quae est quoddam Sacramentale.* Quam sententiam S. Thomas nullibi retractavit. Deinde S. Congregatio Conc. declaravit, non esse de substantia Sacramenti Matrimonii, ut Parochus loquatur, sed satis esse, *si* praesens sit, et intelligat, quid agatur: imo ipsum Tridentinum requirit Parochi et testium praesentiam, non ut Sacerdos sit minister, sed ut vitentur incommoda ex clandestinis Matrimoniis oriri solita. Et in plurimis Latinorum et Graecorum Ritualibus, quae P. Marteue *t.* 2. *de ant. rit.* collegit, habentur solae benedictiones annuli, coronae, thalami, poculi, quin adsit alicuius formae Sacramentalis vestigium. Item teste Dominico Soto *t.* 2. *in* 4. in nonnullis locis haec formula usurpabatur: *Ego vos sponso, et Sacramentum confirmo.* Et Rituale Salisburgense hanc formam praescribit: *Matrimonium in facie Ecclesiae inter vos, me annuente, contractum, Deus confirmet; et ego illud approbo, perficio, atque solemnizo, in nomine P. et. F. et. S. S.* Quae verba non videntur conficere Sacramentum, sed factum supponunt. 3. Colligitur ex praxi hodierna Ecclesiae: nam in illis locis, ubi Tridentinum est receptum, quando aliqui contrahunt in facie Ecclesiae cum occulto impedimento, eo per dispensationem sublato, sufficit, ut clam iterum sine Sacerdote contrahant, ex declaratione Pii V. cumque tunc Matrimonium validum esse incipiat, nec liceat separare rationem contractus a ratione Sacramenti; signum est, tunc Matrimonium fieri Sacramentum. Deinde Matrimonia haereticorum sine benedictione Sacerdotali contracta, sunt Sacramentum, licet sacrilegio pollutum; alias enim monendi essent haeretici ad fidem redeuntes, ut coram Parocho rursus contraherent percepturi Sacramentum; quod est contra praxim. 4. Christus hoc Sacramentum instituens, contractum Matrimonialem iure naturali et civili validum ad dignitatem Sacramenti evexit, et hinc eosdem voluit esse Sacramenti huius ministros, quos contractus naturalis: sed ministri contractus sunt contrahentes: ergo etiam Sacramenti. Dices I. Patres communiter affirmant, coniugia sanctificari, etc. benedictione Sacerdotis, et ob hanc vult Concilium Carthaginense IV. ut coniuges eadem nocte in virginitate permaneant. *Resp.* Patres solum volunt, nu-

ptias in facie Ecclesiae esse celebrandas, ut per benedictionem Sacerdotis firmiorem nexum acquirant; in cuius benedictionis caeremonialis reverentiam eadem nocte virginitatem imperavit Concilium Carthaginense. II. Si admittatur Sacerdos pro ministro Matrimonii, eiusque benedictio pro forma, contra adversarios melius ex Traditione probatur Sacramentum Matrimonii. *Resp.* Probatio nostra salva manet, quia benedictio est caeremonia sacra, pro rite celebrando Sacramento adhibita. III. Trident. *Sess.* 24. *de ref. Matr. cap.* 1. requirit, ut Sacerdos in Matrimonio celebrando illa verba dicat: *Ego vos in Matrimonium coniungo.* Et Concilium Coloniense an. 1536. Cameracense a. 1567. et Rituale Romanum, Sacerdotem pro ministro assignant. *Resp.* Tridentinum conformiter suis dictis loquitur, et solum vult, quod Sacerdos ut testis coniuges coniunctos declaret. Concilium Coloniense et Rituale Romanum dicunt, Sacerdotem esse ministrum Sacramenti Matrimonii quoad caeremoniam accidentalem seu benedictionem, non quoad esse Sacramenti. IV. Contrahentes non habent intentionem conficiendi Sacramentum, et nulla verba sacra adhibent. Ergo non sunt ministri. *Resp.* Contrahentes eo ipso, quod velint Matrimonium celebrare ritu Christiano, habent intentionem conficiendi Sacramentum; et sic eorum verba, quatenus significant coniunctionem Christi cum Ecclesia, sunt sacra. V. S. Thomas *l.* 4. *contr. gentes c.* 78. probat, Matrimonium esse Sacramentum, quia per ministros Ecclesiae dispensatur. Et Evaristus *ep.* 1. ait, Matrimonia sine Sacerdote contracta non esse Matrimonia, sed adulteria. *Resp.* S. Thomas loquitur de ministro caeremoniali. Evaristus vocat illa Matrimonia adulteria, quia non sunt licita; imo post Tridentinum sine praesentia Parochi etiam sunt invalida.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Sponsi in peccato mortali Matrimonium contrahentes, probabilius non peccant graviter, indigne administrando Sacramentum, cum non sint ministri specialiter ad hoc consecrati, licet graviter peccent, Sacramentum indigne suscipiendo. 2° Procurator contrahendo pro principali, non debet esse in statu gratiae; quia tantum nomine principalis sui agit, qui eo saltem tempore pro digne suscipiendo in statu gratiae esse debet, quo Procurator actu contrahit.

CAP. V.

De subiecto Matrimonii.

Subiectum Matrimonii. § 1206. Subiectum Matrimonii sunt vir et mulier, nullo impedimento dirimente ligati: quia Matrimonium est coniunctio maritalis viri et foeminae, inter legitimas personas individuam vitae consuetudinem retinens, *etc.* (§ 1194.)

An Matrimonium per Procuratores contra- *Schol.* Matrimonium inter absentes per Procuratores contrahi potest, et valet in ratione contractus civilis et naturalis; quia cum Procuratores sint loco principalium cum plena potestate contrahendi, ideo, quod ipsi faciunt, censentur facere principales contrahentes, e.

fin. de Procur. in 6. Ut autem Matrimonium per Procuratores contractum in ratione contractus sit validum, debet 1. Procurator habere a suo principali speciale maudatum ad contrahendum Matrimonium cum certa persona, nec debet hoc mandatum excedere. 2. Hoc mandatum exequi debet per seipsum, et non per alium substitutum, nisi specialis facultas ad substituendum ei a principali data fuerit. 3. Eo tempore, quo Procurator contrahit, eius potestas non debet esse revocata, ne quidem tacite; alias enim nullum foret Matrimonium, licet de revocatione Procurator nihil audivisset. Verum ulterius quaeritur, an Matrimonium inter absentes fideles per Procuratorem, vel per litteras contractum sit Sacramentum. Durandus *in* 4. *d.* 26. et Canus *de loc. Theol. l.* 8. *c.* 6 *ad* 3. negative respondent: et Petrus do Ledesma vult, Matrimonium per litteras contractum nec in ratione contractus, nec in ratione Sacramenti esse validum. Sed dicendum 1. Matrimoniom per Procuratores inter absentes contractum esse verum Sacramentum; tum quia hoc Matrimonium est validum in ratione contractus civilis: ergo etiam in ratione Sacramenti, quia Christus contractum civilem validum ad dignitatem Sacramenti evexit: tum quia in tali Matrimonio habetur vera materia et forma, scilicet consensus verbis expressus, et acceptatio (§ 1201. Schol.), et praesentia Parochi, ac duorum testium: ergo est verum Sacramentum; unde illi etiam favet ius Canonicum, *c. Procurator*, *de Procurat. in* 6. et Ecclesia illud permittit, et de eo indicat. 2. Dicendum, Matrimonium per litteras contractum esse verum Sacramentum; quia contractus civiles fieri possunt per litteras: ergo etiam Matrimoniales; nam litterae succedunt loco contrahentium, sicuti Procuratores: si ergo lectis eorum litteris coram Parocho et testibus, traditio corporum et acceptatio per mutuas litteras fiat, in ratione contractus et Sacramenti Matrimonium perficitur. Dices 1. Alia Sacramenta absentibus conferri non possunt, et ne quidem Sacramentum Poenitentiae, licet alias absens iudicialiter absolvi possit: ergo nec Sacramentum Matrimonii. *Resp.* Disparitas est, quod Sacramentum Matrimonii habeat pro materia contractum civilem validum, qui etiam inter absentes iniri potest. In Sacramento Poenitentiae, verba ore prolata ex institutione Christi sunt essentialia, et ad praesentem dirigi debent; et sententia iudicialis fori interni, ubi accusator reus et testis idem est, et certae in eo dispositiones requiruntur iudici cognitae, in absentem pronunciari nequit (§ 1069.): in Matrimonio vero pro verbis alia signa externa sufficiunt, et contractus validus etiam inter absentes celebrari potest. II. Collatio Sacramenti est actio personalis, et receptio passio personalis: ergo per Procuratores fieri nequit. *Resp.* Procurator non recipit Sacramentum; sed est tantum conditio, qua posita, principalis recipit Sacramentum. III. Sic fieret, ut si Procurator eo tempore contrahat, quo vir et mulier, pro quibus contrahit, dormiunt, dormientes recipiant gratiam, vel in peccato mortali existentes, in somno mortaliter peccent. *Resp.* Non est absurdum, dormientem recipere gratiam, vel peccare, si voluntas moraliter perseveret, uti patet in Baptismo.

clum sit validum?

CAP. VI.

De impedimentis Matrimonii.

Impedimentum Matrimonii quid? § 1207. Ut vir et mulier Sacramentum Matrimonii valide suscipiant, nullo impedimento dirimente ligari debent (§ 1206.) Est autem *Impedimentum* in genere omne illud, quod contractum Matrimonii vel nullum vel illicitum reddit.

Impedimenta dirimentia. *Schol.* Impedimenta Matrimonii alia sunt *dirimentia*, quae contractum Matrimonii nullum reddunt, ex eo, quod aliquid essentiale illi desit; ita ut cum tali impedimento non fiat verum Matrimonium, et contractus dirimatur, non quasi verum matrimonium dirimatur, sed quod Matrimonium de facto solum et non iure contractum, irritum reddatur. Impedimenta dirimentia sunt quindecim, scilicet:

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Ætas, Affinis, si Clandestinus, et Impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto:
Haec socianda vetant connubia, facta retractant.

Ex his impedimentis nonnulla sunt iuris naturalis, scilicet:

Mens aegra, et Coniux, Vis, Error, Ineptia, Sanguis.

Alia sunt iuris Ecclesiastici, scilicet:

Ordo sacer, Votum, necnon Sponsalia firma,
Atque duplex Crimen, quadruplex Cognatio, Raptus,
Si Baptisma deest, Ætas, Testes, Parochusve.

Prohibentia. Alia sunt impedimenta *prohibentia*, seu *impedientia*, quae impediunt Matrimonium contrahendum, sed non dirimunt contractum, et sunt sequentia:

Ecclesiae vetitum, necnon tempus Feriarum,
Atque Catechismus, Crimen, Sponsalia, Votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Per Ecclesiae vetitum intelligitur prohibitio Superioris Ecclesiastici, ne quis Matrimonium contrahat. Tempus Feriarum certa tempora denotat, quibus celebratio nuptiarum ab Ecclesia prohibetur. Per Catechismum denotatur impedimentum, quod olim ab eo contrahebatur, qui respondebat pro infante, quando supplebantur Caeremoniae Baptismi in necessitate collati; quod hodie sublatum est. Criminis nomine intelliguntur quaedam crimina in antiquis Canonibus expressa; quorum rei a Matrimonio contrahendo prohibebantur, suntque sequentia:

Incestus, Raptus sponsatae, Mors muliebris,
Susceptus propriae sobolis, mors Presbyteralis,
Vel si poeniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat: prohibent haec coniugium sociandum.

Verum etiam haec hodie per non usum sublata sunt. Denique Sponsalia legitime contracta, et nondum dissoluta, et votum simplex perpetuae castitatis, vel ingrediendi et profitendi Religionem, vel susci-

piendi S. Ordinem, vel non nubendi, Matrimonium contrahendum impediunt. Quare hodie adhuc restant quatuor impedimenta prohibentia, scilicet:

Ecclesiae vetitum, Tempus, Sponsalia, Votum.

De quibus omnibus nunc per ordinem agendum est, Prius tamen videndum an Ecclesia habeat potestatem statuendi impedimenta dirimentia.

Art. 1. *De iure Ecclesiae statuendi impedimenta Matrimonii.*

Ecclesia potest statuere impedimenta dirimentia.

§. 1208. Ecclesia habet ius et auctoritatem statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia. 1° Apostolus 1. *ad Cor.* 7. disparitatem cultus docuit eo ipso esse impedimentum Matrimonii dirimens, quando permisit mulieri fideli a viro infideli discedere, si infidelis converti, et sine iniuria Creatoris cohabitare nolit. 2° Constat ex Traditione. Siricius P. *ep. ad Himer.* statuit, ne Monachi, aut S. Virgines Matrimonium contrahant. S. Leo M. *ep.* 92. *ad Rustic.* statuit, Presbyteros uxorem ducentes, ab operibus nuptiarum cessare debere. S. Gregorius M. *l.* 11 *ep.* 64. Augustino Anglorum Episcopo rescripsit, tertia vel quarta generatione connubia fidelium licenter iungi, a secunda omnino abstinendum esse; cum noverca misceri gravissimum esse scelus; cum cognata quoque prohibitum esse coniugium. Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum, consanguinitatis gradus praescripsit, inter quos coniugia iungere non possent. 3° Constat ex Conciliis. Concilium Eliberitanum a. 313. statuit can. 61. incertas esse nuptias cum sorore uxoris suae, aut cum privigna. Concilium Ancyranum a. 314. *can.* 11. sancivit, nullum esse Matrimonium cum desponsatis puellis a viro raptis, quamvis raptor delibaverit florem virginitatis. Concilium Neocaesareense eodem anno *can.* 1. confirmat impedimentum Ordinis. Concilium Chalcedonense a. 451. *can.* 16. tradit, non licere Monacho, et Virgini Deo consecratae nuptias contrahere. Concilium Lateranense IV. a. 1215. impedimenta consanguinitatis ad quartum gradum restringit. Hinc Tridentinum *Sess.* 24. *can.* 4. recte definit: *Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.*

Solvuntur obiectiones.

Schol. 1. Lutherus et Calvinus, et prolixius Marcus Antonius de Dominis Spalatensis Archiepiscopus et Apostata *l.* 5. *de republ. Christ.* docent, nullam Ecclesiae facultatem inesse statuendi impedimenta Matrimonium impedientia, ex eo, quod Matrimonium non sit Sacramentum, sed merus contractus civilis, et politicus. Cum vero haereticam hanc sententiam damnasset Tridentinum, Ioannes Launoius in *op. de reg. in Matrim. potestate*, distorta vocabuli *Ecclesiae* acceptione vult, eo nomine intelligi personas Regum, et impedimenta per Ecclesiam induci, quae per Reges inducuntur; et auctoritatem statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia tam proprio et nativo iure pertinere ad solos Principes Saeculares, ut Ecclesia eam

exercere non possit, nisi vel usurpatione, vel saltem indulgentia et concessione Principum. Rationes contra hanc Ecclesiae potestatem sunt; I. Matrimonium saltem supponit contractum civilem: sed soli Principes leges irritantes contractum civilem statuere possunt: ergo, etc. *Resp.* Matrimonium est contractus simul et Sacramentum; adeoque Ecclesia de eo leges irritantes ferre potest. II. Sic mutaret Ecclesia materiam Sacramentorum, irritando contractum civilem. *Resp.* Ecclesia non mutat materiam, quae semper est, et manet contractus validus; sed solum in nonnullis casibus hanc materiam subtrahit, dum aliquas personas ad contrahendum inhabiles declarat; sicuti qui anferret aut immutaret aquam, non mutaret materiam Baptismi, sed eam solum subtraheret. III. Ecclesia nequit irritare contractum iure naturae validum. Ergo nec impedimenta Matrimonii statuere. *Resp.* Lex Ecclesiastica et civilis perficit naturalem, adeoque contractum iure naturae validum irritare potest, quia natura dictat, ut legibus Superiorum obtemperetur.

An Princeps saecularis impedimenta statuere possit?

Schol. 2. Reges et Principes saeculares iure sibi proprio constituere possunt impedimenta Matrimonium dirimentia. Nam 1. hoc probat ipsa praxis Principum, qui nonnulla impedimenta dirimentia statuerunt, non usurpatione iuris Ecclesiastici, quia de hac Ecclesia nunquam conquesta fuit, imo vero eorum leges approbavit: non iure ab Ecclesia accepto; hoc enim ex nullo decreto vel Concilio probari potest. 2. Pontifices latas a Principibus leges circa Matrimonium commendarunt et approbarunt. Concilium Milevitanum II. postquam statuisset, maritum, qui dimiserat uxorem, alteri nubere non posse, decrevit, supplicandum Imperatori, ut lege sua idem prohiberet. Lateranense I. *can.* 5. legem, quae prohibet Matrimonia inter consanguineos, confirmat auctoritate legis civilis. Et Siricius, S. Leo et Nicolaus I. citati, impedimenta statuentes, legis praesidio nituntur. Et. S. Thomas. *in* 4. *d.* 34. *q.* 1. ait: *Matrimonium in quantum est in officium naturae, statuitur iure naturae: in quantum est in officium communitatis, statuitur iure civili: in quantum est Sacramentum, statuitur iure Divino.* Et ideo ex qualibet dictarum legum potest persona effici ad Matrimonium illegitima. 3. Matrimonium includit contractum civilem; sed hic potestati Principis civilis quoad directionem et valorem subest, quem elevando ad Sacramentum Christus iurisdictioni civili non subduxit, sed efficaciam Sacramenti solum addidit: ergo Princeps, Matrimonii valorem determinare potest, quatenus est contractus civilis. Verum quaeres, an tunc, si contractus civilis a Principe saeculari irritetur per accidens et praeter intentionem saecularis potestatis, sequatur, nullum esse Sacramentum ex defectu ipsius materiae. *Respondetur* negative, nisi etiam potestas Ecclesiastica ad idem impedimentum constituendum concurrat: nam duae potestates, Ecclesiastica scilicet et politica, ita a Deo institutae et ordinatae sunt, ut nedum inter se pugnent, sed mutuo in statuendis impedimentis se foveant, et adiuvent. Quippe Principes Catholici edocti, quod Matri-

monium Christianorum sit res sacra, sua auctoritate conferunt, ut sacri Canones, qui ad nuptias spectant, religiose observentur. Sic Carolus M. in suis *Capitularibus* agens de nuptiis, ait *l. 5. n. 5. Sic Gregorius sensit. Sic Canones prohibent copulari.* Sic Oratores Galli in Concilio Tridentino a Patribus nomine Caroli IX. postularunt, ut iuberent irritari Matrimonia Clandestina, et ea, quae filiifamilias insciis vel invitis parentibus contraxissent. Ergo persuasum semper fuit, necessarium esse utriusque potestatis Ecclesiasticae et civilis concursum, ut aliqua impedimenta Matrimonii inducantur, cum coniugalis contractus simul sit civilis, et Sacramentalis.

Coroll. Pract. 1° Impedimenta Matrimonii dirimentia nonnisi universalibus Ecclesiae Canonibus a Summo Pontifice, seu Concilio generali statui possunt: nec illa obligant Infideles infidelibus Principibus subiectos, ac proinde Matrimonia eorum cum his impedimentis celebrata; sunt valida. Haeretici tamen obligantur legibus Ecclesiae, etiam quoad impedimenta dirimentia iure ecclesiastico statuta: adeoque si cum tali impedimento in haeresi contrahant, et postea convertantur, vel dispensatio peti debet, vel Matrimonium dirimi. 2° Rationabilis consuetudo legitime praescripta, et tacite a legitimis Superioribus approbata, impedimenta dirimentia inducere potest, quia habet vim legis. Ad praescriptionem vero contra illa quadraginta anni requiruntur, sicuti etiam per consuetudinem legitime introductam impedimenta iuris Ecclesiastici abrogari possunt. 3. Est peccatum mortale, scienter cum impedimento dirimente naturali seu Ecclesiastico contrahere Matrimonium, ob violationem gravis legis; et quidem peccatum sacrilegii. 4° Si impedimentum sit utrique coniugi notum et indispensabile, coniuges saltem a thoro separari debent: si vero subsit periculum incontinentiae, vel impedimentum sit publicum, etiam a cohabitatione separari debent. Quod si impedimentum sit dispensabile, petenda est dispensatio, abstinendo interim a copula, et obtenta dispensatione ponatur novus consensus, etiam coram Parocho et testibus, si fieri possit. 5° Si Confessarius deprehendat impedimentum dirimens ante contractum Matrimonium, hortetur, ut sponsi ante dispensationem desistant: si omnibus paratis, nuptiae sine damno vel infamia differri non possint, suadeat, ut contrahant sub conditione dispensationis obtinendae, abstinendo ab omni copula et actibus turpibus, usque dum obtineatur. Si Confessarius advertat impedimentum, post contractum mala fide Matrimonium ob scientiam, vel dubium praecedens, debet indicare poenitenti, ut Matrimonium solvat, vel abstinendo a venereis dispensationem petat. 6° Si unus coniugum impedimentum dirimens certo sciat, debitum nec petere nec reddere potest, et pars in bona fide existens ius illud petendi non habet: *c. Inquisitioni de sent. Excom.* si vero dubitet adesse impedimentum, debitum reddere, sed petere non debet. Si utrinque bona fide contractum sit Matrimonium, et neutra pars de valore dubitet, Confessarius autem impedimentum advertat; si non adsit spes, ut Matri-

Resolvuntur casus.

monium coniuges dissolvant, aut revalident, et grave scandalum, aut damnum prolibus immineat, non tenetur eos monere, quia actus frustraneus nullibi praecipitur.

ART. 2. *De impedimentis dirimentibus, ac 1° de errore et conditione.*

Error. § 1209. Primum impedimentum iure naturae dirimens Matrimonium est *Error*, quando aliud pro alio putatur.

Quotuplex? *Schol.* Error alius est *Personae*, cum una persona pro alia supponitur. Alius est *Fortunae*, quando putatur esse dives, qui est pauper. Alius *Conditionis*, quando putatur esse liber, qui est servus. Alius *Qualitatis*, quando putatur esse bonus, qui est malus. Error dicitur versari circa qualitatem personae intrinsecam, v. g. circa nobilitatem, virginitatem: vel extrinsecam, v. g. divitias. Si una pars se talem fingat, qualis non est, ut aliam ad Matrimonium inducat, errori coniungitur fraus, et dolus. Rursus error alius est *Antecedens*, qui dat causam contractui, et sine quo non contraheretur, ita ut actus fiat involuntarius: alius est *Concomitans*, qui non dat causam contractui, nec facit involuntarium, sed tantum non voluntarium.

Error est impedimentum dirimens. § 1210. 1. Error personae circa eius substantiam, iure naturae irritum reddit Matrimonium, quia tollit consensum; nam si error personae sit antecedens, facit contractum Matrimonii involontarium circa substantiale eius obiectum, scilicet personam a contrahente determinatam: si sit concomitans, facit saltem negative involuntarium, quia incognitum non potest esse actu volitum. Ergo uterque tollit consensum absolute ad contractum necessarium.

2. Error vero circa qualitatem personae, v. g. nobilitatem, divitias, virtutem, virginitatem, bonam, vel malam indolem, etc. licet proveniat ex dolo alterius contrahentis, et det ansam contractui, Matrimonium non irritat, quia manet consensus absolutus in personam, quae est obiectum directum et substantiale contractus. Ergo sicut defectus accidentium non tollit substantiam rei, ita nec tollit consensum in rem. Deinde hic error solum tollit consensum circa rem ignoratam, scilicet qualitates; non vero circa rem cognitam, scilicet personam. Ergo consensum circa substantiam non tollit. Certe si error circa qualitates irritaret Matrimonium, vix ullum subsisteret: quotidiana enim sunt coniugum lamenta; si te novissem esse talem, nunquam te accepissem.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* Si contrahens actualem voluntatem habeat, et expressam conditionem apponat, non accipiendi hanc mulierem in uxorem, nisi nobilis sit, virgo, vel dives, ita ut error qualitatis redundet in personam, non est validum Matrimonium ex defectu consensus.

Conditio est impedimentum dirimens. § 1211. 1. Secundum impedimentum dirimens est *Conditio* seu status servitutis, qua quis ita est sub dominio alterius, ut eum pro libitu vendere, etc. possit. Error igitur conditionis servilis irritat Matrimonium: c. *Proposuit, de coniug. serv.* ubi Alexander III. ait, separandum esse Matrimonium, *quando liber ignoranter contraxit cum*

ancilla, nisi postea hoc sciens illam cognoverit. Et *c.* 3. Urbanus III. statuit: Quod si alicubi ex consuetudine, partus sequatur conditionem patris, natus ex libero, et ancilla liber sit, et ut liber Matrimonium contrahat.

2. Hoc tamen impedimentum est solummodo iuris Ecclesiastici; nam stante errore conditionis, manet substantialis consensus in hanc determinatam personam. Ergo nihil est, quod contractum iure naturae dirimat (§ 1210.).

Coroll. Pract. 1° Per servum in impedimento conditionis intelligitur servus in sensu Iuris Romani, seu mancipium. Quod si servus Matrimonium contrahat cum serva, etiam invito domino, valide contrahit, *c. Dignum est, de coniug. serv.* Item si liber conditionem servilem illius partis, cum qua contrahit, sciat, Matrimonium valet, *c. fin. de coni. serv.* 2° Matrimonium cum servo originario et adscriptitio (*Famulo*), validum est; quia talis non est servus proprie dictus. Resolvuntur casus.

Art. 3. *De impedimento Voti.*

§ 1212. Tertium impedimentum dirimens Matrimonium est *Votum* solemne castitatis in Religione approbata emissum, quod dirimit Matrimonium post ipsum votum celebratum. Ita 1° statuit Concilium Toletanum I. circa annum 400. *can.* 16. Triburiense, a 895. Romanum, a. 743. *c.* 5. Toletanum IV. a. 570. *c.* 5. Lateranense II. a. 1139. *cap.* 7. Et Tridentinum *Sess.* 24. *can.* 9. *Si quis dixerit... Regulares castitatem solemniter professos posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica vel voto... anathema sit.* 2° Siricius P. *ep.* 1. *c.* 6 Monachos et Sanctimoniales, si Matrimonia contrahere praesumpserint, excommunicari, et in ergastulis usque ad finem vitae includi iubet. S. Gregorius M. *l.* 1. *ep.* 40. *ad Anthem.* scribit, Monachos, qui uxores duxerint, separandos esse a coniugibus. 3° Per vota solemnia status vitae in perfectiorem mutatur: fiunt illa, pracvia matura deliberatione, et sine populi scandalo non mutantur. Ergo iuste Matrimonium dirimunt. Votum solemne in Religione dirimit Matrimonium.

Schol. 1. Lutherus *l. de captiv. Babyl.* admisit, votum continentiae esse legitimum impedimentum Matrimonii; sed in aliis libris postea scriptis semper negavit, votum etiam solemne castitatis esse impedimentum dirimens Matrimonium, et de facto ducta uxore Sanctimoniali, hanc suam sententiam practice probavit. Quia S. Malchus Monachus teste S. Hieronymo uxorem duxit, et cum ea usque ad finem vitae permansit. *Resp.* Nullum fuit inter S. Malchum et illam foeminam Matrimonium, quam coactus finxit, se ducere uxorem; nam eius vir adhuc vivebat: sed fuit solum sancta et spiritualis societas sub nomine nuptiarum. II. S. Augustinus *l. de bon. viduit. c.* 10. improbat eorum sententiam, qui nuptias virginum post votum, adulteria dicunt. Et S. Leo *ep.* 2. *ad Rust.* censet, Monachum post Professionem nubentem, castigandum quidem esse, sed non memini Solvuntur obiectiones.

Matrimonii dirimendi. Et S. Bernardus *ep.* 76. censuit, non videri sibi tutum, uxorem illam, quam duxerat Monachus, non consentientem dimittere, nisi prius Episcopalis auctoritas accesserit. *Resp.* Haec testimonia solum probant, olim nec semper nec ubique irritum fuisse Matrimonium, post emissum solemne votum castitatis. Id quod mox magis apparebit.

An votum iure naturae dirimat Matrimonium? *Schol.* 2. Quaeritur, an votum solemne castitatis in Religione approbata, iure naturae dirimat subsequens Matrimonium. Affirmant communius Thomistae. Verum nobis videtur, quod votum solemne dirimat Matrimonium iure tantum Ecclesiastico; 1. Quia solemnitas voti habetur tantum iure Ecclesiastico, uti patet ex *c.* un. *de vot. in* 6. Ergo cum votum simplex iure naturae non dirimat Matrimonium, imo sit tantum impedimentum prohibens: etiam votum solemne iure naturae non dirimit Matrimonium, sed tantum iure Ecclesiastico. 2. Varia antiqua Concilia Matrimonia cum voto solemni contracta poenitentiae quidem subiiciunt, sed irrita non declarant; et S. Augustinus *l. de bon. viduit. c.* 10. reiicit sententiam eorum, qui asserebant, lapsarum a sancto proposito foeminarum, si nupserint, non esse coniugia. 3. Habemus varias dispensationes Summorum Pontificum, qui in voto solemni pro contrahendo Matrimonio dispensarunt, uti videre licet t. 2. § 840. Schol. Ergo votum solemne, Matrimonium dirimit solo iure Ecclesiastico. Dices. I. Tridentinum ait, Clericos, in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares solemniter professos non posse valide Matrimonium contrahere. Ergo distinguit inter Clericos, et Regulares; et vult in illis iure naturae Matrimonium dirimi. *Resp.* Haec asserta distinctio est omnino arbitraria; nam Tridentinum ideo Clericorum et Regularium meminit, ut ostendat, votum in utrisque solemne esse. II. Votum solemne dissolvit Matrimonium ratum iure divino. Ergo etiam Matrimonium subsequens. *Resp.* Disparitas est, quia prius constat nobis ex Traditione, uti suo loco dicetur, non vero posterius. III. Sic Papa posset hanc constitutionem, et impedimentum voti tollere; adeoque Monachus tunc sine dispensatione valide nuberet. *Resp.* Professio Religiosa solum impedit ex natura sua, ut licite Matrimonium contrahi non possit, non autem iure naturae dirimit; nam votum solemne et Matrimonium quoad vinculum stant in eo, qui cum licentia uxoris post consummatum Matrimonium solemniter profitetur. IV. Per votum solemne aliquis se totum Deo tradit. Ergo iuri naturae repugnat, si per Matrimonium alteri se tradat. *Resp.* Professus ita se tradit Deo, ut saltem ex natura rei possit contrahere Matrimonium; nam ille, qui votum simplex castitatis emisit, etiam se tradidit Deo ad caste vivendum; et tamen valide, etsi illicite Matrimonium contrahit.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* Religiosus Matrimonium contrahens, ipso facto Excommunicationem incurrit, et fit irregularis: *Clem un. de Consang. et Affin.* Eamdem poenam incurrit contrahens cum Moniali.

Art. 4. De impedimento cognationis.

§ 1213. Quartum impedimentum dirimens Matrimonium est *Cognatio*, quae triplex est: Carnalis, Spiritualis, et Legalis. *Cognatio carnalis* seu consanguinitas, est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium: seu est propinquitas sanguinis inter personas, quae ab eodem stipite seu progenitore immediate vel mediate descendunt. Cognatio carnalis quid?

Schol. 1. Theologi et Canonistae distinguunt consanguinitatem per lineas et gradus. *Linea* est ordinata collectio personarum ab eodem stipite descendentium, diversos continens gradus: stipes vero est persona illa, a qua caeterae originem trahunt. *Gradus* est mensura distantiae consanguineorum inter se, et a communi stipite. Linea alia est *recta*, quae est in medio posita, et continet illas personas, quarum una ab altera originem ducit: dicitur recta, quia continet gradus directos, per quos ad progenitores ascenditur, et ad progenitos descenditur, ad neutrum latus deflectendo; et hoc modo linea recta alia est *ascendentium*, alia *descendentium*. Linea *transversa* seu *collateralis* ad latus deflectit, et illas personas continet, quae omnes quidem ab uno stipite descendunt; ita tamen, ut neutra earum per generationem descendat ab altera, uti frater, soror, etc. Linea transversa alia est *aequalis*, quando personae consanguineae a communi stipite aequali numero graduum distant, v. g. frater et soror a patre: alia est *inaequalis*, quando personae a communi stipite inaequali numero graduum distant, v. g. Caius eiusque neptis a fratre. Linea consanguinitatis et gradus quid?

Schol. 2. Ad computandos gradus consanguinitatis tres regulae statuuntur. *Prima* est pro linea recta, iure tam Canonico, quam civili recepta: *Tot sunt gradus, quot personae, una dempta*. Vel: *Tot sunt gradus, quot generationes intercedunt*. Sic si respicias patrem et filium, generatio proxima una est: si personas, duae sunt: ergo dempta una persona, scilicet patre, in linea recta descendente filius a patre distat uno gradu. *Secunda* regula iure Canonico pro linea transversa aequali, est: *Quo gradu distant personae a communi stipite, eodem distant inter se*. Sic respectu fratris, et sororis, communis stipes est pater, a quo uno gradu distat frater, et soror: ergo uno gradu distant inter se. *Tertia* regula respectu lineae transversae inaequalis iure Canonico, est: *Quo gradu remotior persona distat a communi stipite, eodem distant personae inter se*. Hinc si unus distet a communi stipite duobus gradibus et alter tribus, contingunt se in tertio gradu. Pro iure civili sine ulla distinctione inter lineas statuitur unica haec regula: *Tot sunt gradus, quot sunt generationes*. Vel: *Tot sunt gradus, quot personae, una dempta*: *L.* 10. § 9. *ff. de gradibus*. Adeoque de iure civili non datur gradus primus in linea transversa; sed frater et soror iam distant duobus gradibus. Pro clariori explicatione serviet sequens arbor consanguinitatis, in qua numerus Romanus denotat gradus iuxta ius Canonicum, quod in Matrimonio obser- Modus gradus computandi.

vandum est; alter numerus denotat gradus secundum ius civile, quod in rebus haereditatis observatur. Hunc modum computandi gradus consanguinitatis ex iure Canonico carpunt Brentius in *Confess. Wittemberg*. et Beza *l. de repud. et divort*. voluntque, modum iuris civilis esse servandum. Verum licet modus computandi civilis bonus sit, melior est tamen Canonicus quoad Matrimonium; quia sic in linea transversa etiam primus gradus assignari potest: unde etiam ipsi Lutherani rationem supputandi Canonicam observant.

Consanguinitas dirimit Matrimonium in linea recta in infinitum.


§ 1214. 1. Consanguinitas in linea recta dirimit Matrimonium in infinitum, saltem iuxta probabiliorem, sive illa orta sit ex copula licita, sive illicita seu fornicaria. Nam 1° *L. Nuptiae, ff. de rit. nupt.* dicitur: *Nuptiae consistere non possunt inter eas personas, quae in numero parentum, liberorumve sunt, sive proximi, sive ulterioris gradus sint usque ad infinitum*. Ergo cum sacri Canones in hac materia non statuant contrarium, censentur sequi ius civile: *c. 1. de nov. oper. nuntiat.* 2° Tridentinum quoad consanguinitatem ortam ex copula illicita nihil immutavit, licet impedimentum affinitatis ex copula illicita ortum ad secundum gradum restrinxerit. Ergo cum ius non distinguat, nec nos distinguere debemus: praesertim quia per generationem fornicariam aeque communicatur idem sanguis, sicuti per coniugalem.

In transversa usque ad quartum gradum inclusive.

2. Consanguinitas vero in linea transversa dirimit Matrimonium, usque ad quartum gradum inclusive. Ita statuit Concilium Lateranense IV. *can.* 50. Cuius decreti hae rationes assignari possunt: 1° Quia parentibus et consanguineis debetur specialis reverentia, cui repugnat actus coniugalis, qui sine turpitudine et irreverentia exerceri nequit. 2° Quia consanguinei plerumque in eadem domo habitant, vel saltem conveniunt, optimo Matrimonia inter eos prohibentur; tum ne nimis praepropere Matrimonia contrahant; tum ut incestus evitentur, et scandalis ansa praescindatur. 3° Quia per Matrimonia homines vinculo necessitudinis colligantur; quod magis extenditur, si inter extraneos solum nuptiae permittantur. 4° Quia si amori naturali consanguineorum, amor coniugalis superveniret, amor carnalis nimium exeresceret.

Solvuntur objectiones.

Schol. 1. Lutherus in *l. de captiv. Babyl.* nonnisi usque ad secundum gradum in linea transversa Matrimonium dirimi contendit, et reliquos gradus ab Ecclesia additos omnino reiicit. I. Quia *Levit.* 18. Deus non prohibuit Matrimonia, nisi usque ad secundum gradum in linea inaequali. Ergo prohibitio male ad ulteriores gradus extenditur; et maxime quia Christus ipse ultra hos gradus alios non statuit. *Resp.* Populo Judaico restringenda fuit lex Matrimonii, ut opes in eadem tribu conservarentur, et quia pronus erat ad repudiandas uxores, cui malo per amorem erga consanguineos medela afferri poterat. Christus vero determinationem graduum Ecclesiae reliquit. II. Concilium Epaonense *c.* 30. Turonense II. *c.* 11., etc. ad secundum gradum solummodo impedimentum consanguinitatis extendunt. *Resp.* In hac


IV Abavus Abavia 4
IV Propatruus Proamita 5
III Proavus Proavia 3
IV Proavunculus Promatertera 5
IV Horum Filius Filia 6
III Patruus magnus Amita magna 4
II Avus Avia 2
III Avunculus magnus Matertera magna 5
IV Horum Filius Filia 6
IV Nepos Neptis 7
III Sobrinus Sobrina propior 5
II Patruus Amita 3
I Pater Mater 1
II Avunculus Matertera 3
III Sobrinus Sobrina propior 5
IV Nepos Neptis 7
IV Proaepos Proneptis 8
III Horum Filius Filia 6
II Amitinus Amitina 4
I Frater 2
Petrucius
I Soror 2
II Consobrinus Consobrina 4
III Horum Filius Filia 6
IV Proaepos Proneptis 5
IV Nepos Neptis 7
III Horum Filius Filia 5
II Huius Filius Filia 3
I Filius Filia 1
II Huius Filius Filia 3
III Horum Filius Filia 6
IV Nepos Neptis 7
IV Nepos Neptis 6
III Nepos Neptis 4
II Nepos Neptis 2
III Nepos Neptis 4
IV Nepos Neptis 6
IV Pronepos Proneptis 5
III Pronepos Proneptis 6
IV Pronepos Proneptis 5
IV Abnepos Abneptis 4

ARBOR AFFINITATIS.

				IV Abavus *Abavia* 4	*IV* Abavus *Abavia* 4				
			IV Propatruus *Proamita* Proavuncol. *Promatertera* 5	*III* Proavus *Proavia* 3	*III* Proavus *Proavia* 3	*IV* Propatruus *Proamita* Proavuncul. *Promatertera* 5			
		IV Horum Filios *Filia* 6	*III* Mag. Patr. *Mag. Amita* *Mag. Avunc.* *Mag. Materi.* 4	*II* Avus *Avia* 2	*II* Avus *Avia* 2	*III* Mag. Patr *Mag. Amita* *Mag. Avunc.* *Mag. Matert.* 4	*IV* Horum Filius *Filia* 6		
	IV Eorum *Nepos* *Neptis* 7	*III* Sobrinus *Sobrina* *propior* 5	*II* Patrinus *Amita* Avuncolus *Matertera* 3	*I* Pater *Mater* 1	*I* Pater *Mater* 1	*II* Patrinus *Amita* Avunculus *Matertera* 3	*III* Sobrinus *Sobrina* *propior* 5	*IV* Eorum *Nepos* *Neptis* 7	
IV Eorumdem Pronepos *Proneptis* 8	*III* Horum Filius *Filia* 6	*II* Amitinus *Amitina* Consobrinus *Consobrina* 4	*I* Frater *Soror* 2	*Cajus*	*Caja*	*I* Frater *Soror* 2	*II* Amitinus *Amitina* Consobrinus *Consobrina* 4	*III* Horum Filius *Filia* 6	*IV* Eorumdem Pronepos *Proneptis* 8
	IV Eorum Nepos *Neptis* 7	*III* Horum Filius *Filia* 5	*II* Horom *Filius* *Filia* 3	*I* Filius *Filia* 1	*I* Filius *Filia* 1	*II* Horum *Filius* *Filia* 3	*IV* Horum Filius *Filia* 5	*IV* Eorum Nepos *Neptis* 6	
		IV Eorum Nepos *Neptis* 6	*III* Eorum Nepos *Neptis* 4	*II* Nepos *Neptis* 2	*II* Nepos *Neptis* 2	*III* Eorum Nepos *Neptis* 4	*IV* Eorum Nepos *Neptis* 7		
			IV Eorumdem Pronepos *Proneptis* 3	*III* Pronepos *Proneptis* 3	*III* Pronepos *Proneptis* 3	*IV* Eorumdem Pronepos *Proneptis* 5			
				IV Abnepos *Abneptis* 4	*IV* Abnepos *Abneptis* 4				

re disciplina antiqua varia fuit; sed hac non obstante, Ecclesia eam legem in re mutabili ferre potuit. III. Ratio Concilii Lateranensis extendentis hoc impedimentum ad quartum gradum, scilicet quia homo ex quatuor humoribus et elementis constat, est ridicula. *Resp.* Est tantum ratio congruentiae; verior est, quia homines raro quartum gradum vivendo attingunt, et in eo vis sanguinis a stipite tracti videtur deficere, ex eo, quod homo ex quatuor elementis constet, ubi primo ignea, mox aerea, deinde aquea, denique vis terrea perit.

Quinam gradus in re naturae prohibeantur?

Schol. 2. Quaeritur, in quibus gradibus iure naturae consanguinitas dirimat Matrimonium. Illi, qui Henrico Angliae Regi suaserunt, non potuisse Papam dispensare, ut acciperet uxorem fratris sui defuncti, voluerunt, omnes gradus *Lev.* 18. assignatos, iure naturae dirimere Matrimonium. Item Scotus, Caietanus, etc. docent, Matrimonia consanguineorum in primo gradu lineae transversae, iure naturae non esse irrita. Dicendum est 1. Non omnes gradus *Lev.* 18. assignati, iure naturae dirimunt Matrimonium: tum quia *Lev.* 20. Matrimonium in primo gradu consanguinitatis et affinitatis in linea recta, et in gradu consanguinitatis primo etiam in linea transversa, morte punitur, *v.* 11. 12. 14. In secundo vero gradu consanguinitatis in linea transversa, et in primo et secundo gradu affinitatis lineae transversae, poena leviori castigatur, *v.* 19. 20. Ergo non omnes aequaliter iure naturae prohibentur. Deinde Iacob duas sorores Liam et Rachel in primo gradu affinitatis in linea transversa duxit. Moyses natus est ex coniugio nepotis cum amita דדה, *(Dodah)* scilicet Iochabed, quae patruelis seu patrua *Exod.* 6. *v.* 20. Amitam dicitur, quod nomen Hebraicum clare indicat; quod sane hi homines non fecissent, si gradus illi iure naturae prohibiti fuissent. Rursus *Lev.* 18. prohibetur Matrimonium nepotis cum amita, et matertera; non vero patrui vel avunculi cum nepte ex fratre vel sorore, Item prohibetur coniugium cum uxore fratris defuncti; non tamen cum sorore uxoris, cum tamen idem sit utrobique gradus. Ergo iure naturae non prohibentur illi gradus. Denique *Deut.* 25. *v.* 5. praecipitur, ut, si quis absque liberis moriatur, ducat frater eius uxorem illius. Ergo hic gradus in Levitico, ubi ab hoc casu praescinditur, iure naturae non prohibetur: sane quod nomine fratris, germanus intelligatur, ex historia Ruth apparet. 2. Dicendum. In primo et secundo gradu consanguinitatis lineae rectae ascendentium et descendentium, et in primo gradu lineae transversae, iure naturae irritum est Matrimonium: reliqui vero gradus prohibentur tantum iure Ecclesiastico; id quod probant rationes tum in hoc paragrapho allatae, tum quia barbarae etiam gentes in illis gradibus Matrimonia semper exhorruerunt, cum sint contra reverentiam parentibus et fratribus debitam; et Ecclesia nunquam in illis gradibus dispensavit. Dices I. Omnes gradus *Lev.* 18. prohibiti, dicuntur *abominationes*, *v.* 29. et prohibentur cum aliis vitiis iure naturae prohibitis, uti cum Idolatria *v.* 21. cum Sodomia *v.* 22, etc. Ergo et ipsi iure naturae prohibentur. *Resp.* Dicuntur abominationes,

quia iure positivo prohibentur; et a gentibus extra Matrimonium in iis peccatur: quo modo etiam cum aliis peccatis iure naturae prohibitis coniunguntur. II. S. Paulus 1. *ad Cor.* 1. dicit, Matrimonium cum noverca nec audiri inter gentes. Et *Matth.* 14. *v.* 4. S. Joannes dixit Herodi: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Resp.* S. Paulus loquitur de Matrimonio cum noverca, vivente adhuc patre: 2. *ad Cor.* 7. Et S. Joannes de uxore fratris viventis. III. Filii Adami Matrimonium cum sororibus contraxerunt. Abraham duxit sororem suam, *Gen.* 20. dixit enim, esse filiam patris sui et non matris. Thamar fratrem suum Amnon virum petiit, 2. *Reg.* 13. Et Adonias novercam suam Abisag, 3. *Reg.* 2. *Resp.* Filii Adami cum sororibus contrahentes, urgente necessitate, et Deo dispensante hoc fecerunt. Sara fuit soror Abrahae, id est consanguinea, et neptis ex patre, seu filia fratris sui Aran; hanc vocat filiam patris sui, scilicet patris Abrahae, qui erat avus Sarae; mater vero Abrahae non erat mater Abrahae, nec avia Sarae, quia Aran pater Sarae non erat frater Abrahae uterinus, sed tantum ex patre: et quia Abraham erat minor natu, quam Aran et Nachor, quibus ob dignitatem suam solum praeponitur; ideo iam 37. annorum esse potuit, quando Saram genuit. Thamar serio locuta non fuit, sed in perplexitate et angustiis posita fratrem suum maritum expetiit. Adonias rem illicitam postulavit. IV. Martinus V. teste S. Antonino, dispensavit in Matrimonio fratris cum sorore: et Concilium Agathense *c.* 61. et Epaonense aiunt: *Si quis germanam uxorem acceperit.* Ergo primus gradus in linea transversa consanguinitatis iure naturae non prohibetur. *Resp.* Martinus tantum in primo gradu affinitatis dispensavit ex copula fornicaria. Concilia citata corrigenda sunt, iuxta lectionem Concilii Turonensis II. *c.* 2. scilicet: *Si quis germanam uxoris suae acceperit.*

Cognatio spiritualis.

§ 1215. **Cognatio altera, est *spiritualis*, quae est propinquitas personarum, ex collatione et susceptione Sacramentorum Baptismi, et Confirmationis proveniens.**

Quotuplex?

Schol. Iure antiquo species cognationis spiritualis erant: 1. *Paternitas* inter baptizantem vel confirmantem, et Patrinos ex una, et baptizatum vel confirmatum ex altera parte. 2. *Compaternitas* inter baptizantem vel confirmantem, et Patrinos ex una, et parentes baptizati vel confirmati ex altera parte, quae vocabatur compaternitas *directa.* 3. *Indirecta* vero se extendebat ad uxorem baptizantis vel confirmantis, et patrinos, *c. Martinus, de cogn. spirit. Confraternitas* intercedebat inter baptizatum vel confirmatum ex una, et inter naturales proles baptizantis vel confirmantis ex altera parte, *c.* 1. *et* 2. *de cogn. spir.* Sed iure novo Tridentini sola manet paternitas et compaternitas directa.

Cognatio spiritualis dirimit Matrimonium.

§ 1216. Cognatio spiritualis dirimit Matrimonium contrahendum iure Ecclesiastico, 1. inter baptizantem vel confirmantem, et baptizatum vel confirmatum. 2. Inter baptizantem vel confirmantem, et parentes baptizati vel confirmati. 3. Inter patrinum vel matrinam, et

baptizatum vel confirmatum. 4. Inter patrinum vel matrinam, et inter parentes baptizati vel confirmati. Ita Tridentinum *Sess.* 24. *c.* 2. *de ref.* Huius impedimenti iam meminerunt veteres citati *caus.* 30. *q.* 1. Idem statuit Iustinianus *t.* 4. *C. l.* 2. *leg.* 26. Tribus primis saeculis ob paucitatem Christianorum hoc impedimentum non videtur in usu fuisse: interim iam ante finem saeculi IV. obtinuit, cum Iulius, Innocentius, et Coelestinus PP. saeculo 4° de hac re consulti fuerint, uti patet cit. *caus.* 30. *q.* 1. *et c. Pervenit;* in quo, loco: *Mulieres recipiant alium virum,* legendum est: *Recipiant illum virum, a quo quoad thorum separatae erant.*

Coroll. Pract. 1° Cognatio spiritualis Matrimonium iam contractum non dirimit; quod proinde pater baptizans vel levans propriam prolem non contrahit, nec iure petendi aut reddendi debitum iuxta P. Pieler privatur, quia nullo iure claro hoc statuitur. 2° Ut baptizans contrahat cognationem spiritualem, debet Baptismus esse validus, non tamen requiritur, ut sit solemnis; hinc sponsus in necessitate baptizans prolem suae sponsae hoc impedimentum contrahit, et dissolvuntur Sponsalia. 3° Patrinus assistens quando tantum supplentur caeremoniae Baptismi, et Procurator loco alterius infantem levans, non contrahunt cognationem spiritualem; bene vero eius principalis. 4° Patrinus ad hoc officium designatus esse debet; alioquin non contrahit hanc cognationem; debet etiam physice tangere infantem, et habere intentionem exercendi munus Patrii. Si plures praeter unum et unam contra Tridentinum fuerint designati, et omnes simul tangant, omnes hanc cognationem contrahunt: si successive tangant, solus primus vel duo primi unus et una eam contrahunt. Ita S. Congregationem declarasse testatur Gallemart. Resolvuntur casus.

§ 1217. Tertia Cognatio est *legalis,* seu propinquitas orta ex adoptione, seu assumptione in filium. Cognatio legalis.

Schol. Adoptio alia est perfecta seu *arrogatio,* quando persona extranea sui iuris ex Principis rescripto ita transit in potestatem et familiam adoptantis, ut perinde ac filius legitimus naturalis fiat eius haeres necessarius, tam ab intestato, quam ex testamento. Adoptio *imperfecta* est, quando persona extranea constituta sub sui patris naturalis seu avi potestate, solius Magistratus auctoritate in filium seu nepotem assumitur, quin transeat in familiam, et potestatem adoptantis, cuius non sit haeres necessarius ex testamento, licet succedat ab intestato: § *Instit. de adopt.* Cognatio legalis rursus dividitur in *Paternitatem,* quae est inter adoptantem et adoptatum, et ab eo descendentes: *l.* 55. *ff. de rit. nupt. Fraternitatem,* quae est inter adoptatum, et filios naturales adoptantis: *l.* 17. *eod.* Et *affinitatem,* quae est inter adoptantem et uxorem adoptati, et adoptatum et uxorem adoptantis: *l.* 14. *eod.* Quotuplex?

§ 1218. Cognatio legalis iure Ecclesiastico dirimit Matrimonium contrahendum, 1. inter adoptantem, et adoptatum, et posteros adoptati. 2. Inter uxorem adoptantis et adoptatum, et vicissim inter uxo- Cognatio legalis dirimit Ma-

trimonium. rem adoptati et adoptantem. 3. Inter filios vel filias adoptantis, et adoptatum. Ita statuitur *l. Adoptivus, ff. de rit. nupt.* quae lex approbatur a iure Canonico, *c. un. de cogn. leg.* cuius ratio est, amor et reverentia specialis, quam adoptatus debet adoptanti.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Sola adoptio perfecta seu arrogatio, impedimentum cognationis legalis inducit. 2° Inter personas, quae sunt in linea recta ascendentium, et descendentium, nunquam soluta etiam adoptione valet Matrimonium: *l. 17. ff. de rit. nupt.* inter personas vero, quae adoptione interveniente sibi a latere iunguntur in linea transversa, impedimentum durat, quamdiu durat adoptio, qua vel per mortem, vel per emancipationem soluta, cessat impedimentum, et filius adoptivus potest ducere filiam naturalem adoptantis. Ita Benedictus XIV. *l. 7. de Synod. c. 36.*

Art. 5. *De impedimento criminis.*

Crimen. § 1219. Quintum impedimentum Matrimonii est *crimen*, seu inhabilitas ad contrahendum Matrimonium, orta vel ex adulterio, vel ex coniugicidio, vel ex machinatione mortis facta coniugi, cum proposito alterius Matrimonii contrahendi.

Crimen dirimit Matrimonium. § 1220. Crimen adulterii, vel coniugicidii, vel machinationis mortis factae coniugi cum proposito alterius determinati Matrimonii, dirimit Matrimonium subsequens iure Ecclesiastico. Ita statuitur in variis Conciliis relatis *can. 31. q. 1.* et *c. Super hoc*: et *c. Propositum, de eo, qui duxit, etc.* Ratio est, quia in Matrimonio nil atrocius fingi potest, quam ut coniux coniugi fidem non solum non servet, sed etiam vitae eius insidietur, cum quo summa amicitia devinctus esse debuisset.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Ex adulterio duobus modis contrahitur impedimentum criminis. Primo, si adulteri, durante legitimo Matrimonio, licet non consummato, aliud Matrimonium de praesenti contrahere attentent. Secundo, si adulteri promissionem faciant inter se de contrahendo Matrimonio: ad quod impedimentum requiritur, ut promissio fiat, vivente priori coniuge: ut adulterium sit completum copula perfecta, et uterque sciat, alteram partem esse coniugatam: ut promissio externa ab altero sit acceptata, licet non requiratur repromissio: et ut promissio non sit ficta; etsi P. Engl putet, etiam fictam promissionem sufficere ob votum captandae mortis coniugis. 2° Ex coniugicidio seu machinatione mortis, impedimentum criminis contrahitur, tum per adulterium una cum coniugicidio: tum per coniugicidium sine adulterio, et per machinationem mortis coniugis, effectu subsecuto, ex mutua conspiratione et intentione, ut duo conspirantes Matrimonium contrahant: *c. 1. de eo, qui duxit, etc.* Hinc solum coniugicidium, hoc impedimentum non inducit; sed requiritur, ut vel adulterium perfectum praecedat ex utraque parte, cum animo contrahendi Matrimonium cum adultera: vel ut absente adulterio, saltem accedat promissio ex utraque parte, et intentio Matri-

monii de futuro vel de praesenti facta personae determinatae: *c.* 1. *de conv. Inf.* Deinde mors non tantum attentata, sed etiam executioni data esse debet, saltem ab uno complice: et si adulterium non praecessit, requiritur consensus utriusque partis in machinationem mortis: *c.* 1. *de conv. Inf.* 3° Impedimentum criminis non incurrit, qui coniugem occidit, non ut cum altera contrahat, sed tantum liberius peccet; vel molesto coniugio se liberet; vel si ex animo cum aliqua persona indeterminata, non vero cum complice adulterii nubendi coniugem occidat; vel si pars coniugicidii ignara, illud postea tantum approbet. 4° Hoc impedimentum non oritur, si promissio, durante adhuc priori Matrimonio, sit dissoluta: nec contrahitur ab Infidelibus, utpote lex Ecclesiastica; contrahitur tamen ab ignorantibus, quia non est pura poena, sed inhabilitas ob votum captandae mortis.

Art. 6. *De impedimento disparitatis cultus.*

§ 1221. Sextum impedimentum est *Cultus disparitas*, iure Ecclesiastico dirimens Matrimonium inter fidelem et Infidelem; id est, baptizatum et non baptizatum, et vicissim, v. g. Iudaeum et Christianum. Cultus disparitas.

§ 1222. Cultus disparitas dirimit Matrimonium hominis baptizati cum non baptizato. Ita colligitur ex *c. Cave*, *can.* 28. *q.* 1. Extant etiam leges Imperatorum Valentiniani, et Valentis *l.* 5. *Cod. Theod.* *l.* 14. quibus declarantur connubia Christianorum cum Infidelibus irrita, et morte plectenda. Quae leges sensim ita obtinuerunt, ut ante saeculum 12^{um} eiusmodi coniugia ubique haberentur invalida, uti constat ex Magistro Sententiarum, qui *l.* 4. *d.* 39. scribit, non valere Matrimonia Christianorum cum Infidelibus: quod post ipsum una voce docuerunt omnes Theologi et Canonistae. Cultus disparitas dirimit Matrimonium.

Schol. 1. Matrimonia fidelium cum Infidelibus non sunt irrita iure naturali, quia non omnino adversantur fini Matrimonii, cum ex eis proles nasci, et catholice educari, quamvis difficilius, quam si ambo coniuges essent fideles, possint; et certe valida fuerunt Matrimonia Estheris cum Assuero. S. Caeciliae cum Valeriano, S. Monicae cum viro Ethnico, S. Clotildis cum Clodoveo. Et licet Patres illorum temporum, uti Tertullianus, et S. Cyprianus improbarent eiusmodi coniugia; non tamen irrita esse dixerunt. Deinde haec Matrimonia non sunt irrita iure Divino positivo, quia nec in veteri, nec in Novo Testamento ullum praeceptum reperitur, quo illa irritentur. Ergo solo iure Ecclesiastico sunt irrita. Quo iure?

Schol. 2. Ecclesia prioribus quinque saeculis toleravit Matrimonia legitima fidelium cum Infidelibus. Quod patet ab exemplis Sanctorum (Schol. praec.) allatis, et ex S. Hieronymo, qui *l.* 1. *contr. Iovinian.* coniugia Infidelium cum fidelibus frequentissima fuisse refert; quem morem improbat quidem S. Augustinus *l. de fid. et oper. c.* 19. testatur tamen: *Quoniam re vera in Novo Testamento nihil inde praeceptum est; ideo aut licere creditum est, aut velut dubium derelictum.* An Matrimonia cum Infidelibus olim fuerint licita?

Toleravit ergo saltem in nonnullis circumstantiis Ecclesia haec coniugia, quando remoto omni periculo subversionis, spes erat promovendae utilitatis publicae rei Christianae, vel conversionis partis infidelis: similiter toleravit Matrimonia fidelium cum Catechumenis, uti patet in Constantino M. Valentiniano iuniore, et ex usu, quo olim nonnisi provectae aetatis ad Baptismum accedebant. Generaliter tamen et praescindendo a certis circumstantiis, Matrimonia fidelium cum Infidelibus ob periculum perversionis Ecclesia prohibuit; tum quia 1. *ad Cor.* 7. Apostolus ait: *Nubat tantum in Domino*, id est, homini Christiano, uti exponit Tertullianus *l.* 5. *contr. Marc. c,* 7. S. Hieronymus *l.* 1. *contr. Iovinian. c.* 3. et S. Thomas in hunc locum : et 2. *ad Cor.* 6. *Nolite iugum ducere cum Infidelibus*: tum quia Concilium Eliberitanum *c.* 15. statuit: *Gentilibus minime in Matrimonium dandae sunt Virgines Christianae.* Quod idem praecipit Concilium Carthaginense III. *c.* 12. Chalcedonense *c.* 14. 9. Agathense *c.* 67. Et S. Ambrosius *l.* 1. *de Abraham c.* et rationes huius praecepti affert, scilicet ob periculum subversionis, ob unitatem spiritus, quae debet esse inter coniuges, et ob Dei vocationem, quia a Deo praeparatur viro uxor ; quod non possunt dispares fide credere. Quod vero Matrimonia fidelium cum Infidelibus sint iure Divino illicita et prohibita, certo probari vix potest. Contrarium enim patet ex S. Augustino paullo ante citato, et non colligitur clare ex S. Paulo, quia illud : *Nubat tantum in Domino*, S. Chrysostomus ita exponit : ut cum temperantia, et amore suscipiendae prolis Matrimonium contrahatur. Illud vero : *Nolite iugum ducere cum Infidelibus*, solummodo consilium innuere potest; vel de nimia familiaritate Christianorum cum Infidelibus intelligitur, per quam eorum errores promoventur; nam in Graeco legitur ἑτεροζυγοῦντες, *adiutores Infidelium.*

An Matrimonium Catholici cum Haeretica sit validum?

Schol. 3. Catholici cum haereticis Matrimonium valide contrahunt; tale enim Matrimonium non est irritum iure naturali aut Divino, quia ad veritatem Sacramenti non requiritur in suscipiente fides: nec etiam iure Canonico, quia nullus Canon illud irritans produci potest. Illicita tamen sunt Matrimonia Catholicorum cum haereticis*:* haec enim prohibentur in Concilio Chalcedonensi *c.* 14. *Non oportet cum hominibus haereticis miscere connubia.* Quod etiam statuit Laodicenum *can.* 10., etc. cuius ratio est periculum perversionis, prava prolis educatio, et rixarum frequentia. Haec tamen Matrimonia non sunt iure naturae nec Divino prohibita, si periculum perversionis absit: unde Romanus Pontifex per dispensationem illa licita facere potest; imo post Gregorium XIII. Clemens VIII. dispensavit cum duce Barriensi, ut Catharinam Henrici IV. Francorum Regis sororem haereticam duceret: Urbanus VIII. a. 1625. dispensavit, ut Henrica Ludovici XIII. Galliae Regis filia, Anglorum Regi haeretico nuberet: et Benedictus XIII. dispensavit cum foemina Pisana, ut haeretico Anglo nuberet. Profanatio Sacramenti, quae in hoc casu ex parte Acatholica sequitur, est per accidens respectu partis Catholicae, quae

utitur iure suo, nec intendit alteram impellere ad peccatum, sed tantum eius voluntate ad id faciendum disposita utitur.

Coroll. Pract. 1° In Germania et aliis partibus Septentrionalibus, in quibus Catholici mixti cum haereticis communi iure vivunt, consuetudo obtinuit, ut connubia inter se inire possint, si coniugi Catholico liberum permittatur sine periculo perversionis in fide orthodoxa persistere, maxime si in aliquo casu morali evidentia constet, nullum esse periculum scandali, perversionis, aliorumque incommodorum subsequentium: in dubio, ad Papam, vel ad Episcopum in Germania spectat rem examinare, et contrahendi licentiam concedere. 2° Si Matrimonio Catholici cum haeretica pactum adiiciatur, ut liberorum alii, puta masculi, patrem fidelem, foeminae vero matrem haereticam sequantur; impium et irritum est, quia ad utrumque spectat cura, liberos suos in vera fide et Religione educandi. Resolvuntur casus.

Art. 7. *De impedimento vis.*

§ 1223. Septimum impedimentum dirimens Matrimonium est *Vis* quae est metus gravis, vel absolute vel respective cadens in virum constantem, aut foeminam, iniuste incussus ad extorquendum Matrimonium. Vis.

Schol. Metus est, instantis periculi vel futuri mali mentis trepidatio. Alius est *levis*, qui concipitur de levi malo tum secundum se, tum secundum personam timentem: alius est *gravis*, seu cadens in virum constantem, qui versatur circa grave malum vel in se, scilicet, quod est gravius illo, ad quod evitandum eligitur; vel respectu timentis, quo modo mulieri potest esse aliquid grave malum, quod tamen non est viro. Metus gravis oriri potest vel a causa interna, uti ad conservandam vitam; vel a causa externa, v. g. latrone mortem minitante. Rursus metus *iustus* dicitur, si a Iudice vel Superiore ob iustam causam incutiatur: *iniustus* est, si contra iustitiam inferatur: *reverentialis* est, futuri mali existimatio, quod ab illis timemus, in quorum potestate sumus, et quos revereri tenemur. Quotuplex?

§ 1224. Vis, vel gravis metus iniuste incussus, dirimit Matrimonium: c. *Cum locum*: et c. *Veniens, de Spons.* Et ratio est, quia Matrimonium est vinculum mutui amoris indissolubile, ad mutuam vitae consuetudinem et perfectam prolis generationem et educationem ordinatum, quibus metus ad contractum et consensum extorquendum incussus, obstat. Ergo dirimit Matrimonium, non solum in foro externo, sed etiam interno; quia iura dicunt, talem metu adactum cum alia contrahere posse. Vis vel metus dirimit Matrimonium.

Schol. Matrimonium ex gravi metu iniuste incusso contractum non est invalidum iure naturali, sed tantum Ecclesiastico; quia metus iniuste incussus non tollit naturam consensus ad Matrimonium requisiti: non defectu plenae libertatis, quam etiam metus iuste incussus non tollit: nec ratione iniuriae illatae, quia etiam in Matrimonio, ex Quo iure?

gravi metu iniuste ad alium finem, quam ad contrahendum Matrimonium incusso, est iniuria, quae tamen non irritat Matrimonium.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Gravis metus iuste incussus non dirimit Matrimonium, vel si etiam iniuste sit incussus, non tamen ad extorquendum consensum in Matrimonium, sed ad alium finem. 2° Contrahens ex metu, si verba materialiter solum proferat sine consensu in Matrimonium, solum venialiter peccato mendacii peccat, quia materiam Sacramenti non apponit. Item quando quis nescit, vel non advertit, Matrimonium metu contractum esse nullum, ob ignorantiam invincibilem non peccat, etsi verum consensum ponat: si vero metu adactus sciat, Matrimonium esse nullum, et tamen verum consensum etiam cum iuramento ponat, non peccat: tum quia iuramentum non est falsum, quod de vero consensu testatur: tum quia tunc contrahens non facit Matrimonium irritum, sed contractum ab Ecclesia irritatum, qui non est materia Sacramenti, ponit, qui ob gravem metum poni non prohibetur. 3° Metus debet esse circa grave malum, mortis, mutilationis, amissionis status, maioris partis bonorum, et respective ad personam timentem gravis esse debet. 4° Metus reverentialis, nisi alia mala timenda, et quidem gravia illi coniuncta sint, non irritat Matrimonium. 5° Si coniux sciat, nullum fuisse Matrimonium metu contractum, et postea sponte habeat copulam cum coniuge, animo eum ut coniugem habendi, hoc ipso validum redditur Matrimonium: Item alia signa ad ratificandum tale Matrimonium sunt amplexus affectu maritali, cessante metu, diuturna cohabitatio per annum, etc. per copulam autem gravi metu extortam, quae est fornicaria, non ratificatur; 6° Matrimonium metu contractum, etiam iuramento firmatum, non est validum, nec iuramentum obligat, quia censetur sub conditione emissum, si Matrimonium sit validum.

Art. 8. *De impedimentis Ordinis, et Ligaminis.*

Ordo. § 1225. Octavum impedimentum dirimens Matrimonium est *Ordo* sacer, scilicet Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus.

Ordo dirimit Matrimonium. § 1226. Ordo sacer Subdiaconatus, Diaconatus et Presbyteratus dirimit Matrimonium contrahendum iure Ecclesiastico; non vero dirimit contractum ante susceptionem sacri Ordinis: Ita habetur *c. de Diacono. Qui Clerici, etc.* et Tridentino *Sess.* 24. *can.* 9. Quod vero iure Ecclesiastico tantum dirimat, colligitur ex dictis (§ 1212. Sch. 2.). Denique quod non dirimat Matrimonium antea contractum, habetur in Extrav. Ioannis XXII. *de voto, etc.*

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Clericus in Sacris uxorem ducens, praeter Excommunicationem latae sententiae et Irregularitatem, statim ab Ordine deponendus est, et ab illegitima uxore separandus, iuxta Const. *Etsi Pastoralis*, Benedicti XIV. 2° Qui post contractum Matrimonium invita uxore suscipit Ordinem sacrum, si Matrimonium non consummaverit, inducendus est, ut profiteatur in Ordine Religioso, ut per Professionem Matrimonium solvatur: si noluerit, etiam per

Censuras compelli debet, ut omissis functionibus Ordinis ad uxorem redeat, eique debitum reddat, quod tamen ob votum S. Ordini annexum petere nequit; et defuncta uxore, nequit transire ad alias nuptias ob impedimentum Ordinis.

§ 1227. Nonum impedimentum Matrimonium dirimens est *Ligamen*, seu vinculum Matrimonii legitime contracti, licet non consummati, quod excludit secundas nuptias, nisi per mortem alterius coniugis solutum fuerit. Christus enim Matrimonium ad primaevam suam revocans originem, pluralitatem uxorum sustulit. Ligamen

Schol. Impedimentum Ligaminis excludit *Polygamiam* seu pluralitatem uxorum, vel quando unus vir plures uxores, vel una uxor plures viros habet; adeoque de Polygamia hic etiam agendum est. Polygamia quid?

Art. 9. *De Polygamia.*

§ 1228. Ligamen posterius Matrimonium durante adhuc priori dirimit, adeoque Polygamia irrita est et illicita. Hoc innuit 1° S. Scriptura: *Luc.* 16. v. 18. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur, et qui dimissam a viro ducit, moechatur.* Hoc est, verum Matrimonium non contrahit. Et 1. *ad Cor.* 7. *v.* 10. Apostolus ait: *Iis autem, qui Matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam.* Nec obstat, quod in Graeco legatur, παραγγέλλω, *denuntio*: hoc enim sumitur pro *praecipio*; imo iuxta Swarzium in *Lexic.* tanta est vocis huius vis, ut etiam Imperatorum iussa designet. Et licet hi textus solum videantur prohibere Polygamiam virorum; ex paritate tamen coniugii etiam de pluralitate uxorum intelliguntur. 2° Ita docent Patres. S. Ambrosius *l.* 1. *de Abraham*: *Non licet tibi, uxore vivente, ducere aliam.* S. Augustinus *l.* 2. *de adult. coni. c.* 6. *Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit: esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir eius, non si fornicetur.* Similia habent Innocentius I. *ep. ad Exuper. c.* 6. Nicolaus I. *ad Bulg.* Innocentius III. *c. Gaudemus, de Divort.* Unde recte definit Tridentinum *Sess.* 24. *can.* 2. *Si quis dixerit, licere Christianis, plures simul habere uxores, et hoc nulla lege Divina esse prohibitum; anathema sit.* Rationes huius praecepti patebunt ex sequentibus. Polygamia est illicita.

Schol. 1. Lutherus in *propos. de Bigam. Episc. prop.* 65. *et* 66. et *in Gen. c.* 16. Polygamiam plurium uxorum esse licitam docuit; et a. 1539. Philippo Hassiae Landgravio permisit, vivente uxore, alteram ducere. I. Quia etiam Patriarchae veteres, Abraham, Iacob, David plures simul uxores habuerunt. *Respondet* Calvinus, veteres Patriarchas plures uxores ducendo, peccasse. Verum certum est, veteres Patriarchas plures uxores ducendo, non peccasse, sed Deum cum iis dispensasse, uti ex sequentibus patebit. II. Gregorius II. *ep. ad Bonif.* relata *cau.* 32. *q.* 7. *c. Quod proposuisti*, ait: *Si mulier infirmitate correpta, non valuerit debitum viro reddere . . . bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiae vacaret; sed quia hoc magnorum est,* Solvuntur obiectiones.

ille, qui se non poterit continere, nubat magis: non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas praepedit, non detestabilis culpa excludit. Resp. Gregorius concessit iuveni aliam uxorem ducere; quia cum prior esset impotens, Matrimonium cum illa nullum fuit. III. Socrates *l.* 4. *hist. c.* 20. refert, Valentinianum seniorem legem tulisse, ut cuique volenti liceret duas uxores habere legitimas, eamque in singulis civitatibus divulgasse; qua divulgata, ipse Iustinam duxit uxorem, licet Severa, quam antea duxerat, adhuc viveret. *Resp.* Si vera est Socratis narratio, peccavit Valentinianus, et lex eius recepta non fuit. Sed cum alii coaevi Scriptores huius legis non meminerint, videtur esse supposititia.

An Polygamia sit contra ius naturae? *Schol.* 2. Quaeritur, an Polygamia plurium uxorum sit contra legem naturae. Pro quo notandum, Matrimonium habere triplicem finem. Principalis est procreatio prolis, et educatio. Secundarius est mutuum obsequium in communicatione bonorum et operum inter coniuges. Tertius est Sacramentum, et significatio coniunctionis Christi cum Ecclesia. Certum est polyviriam, qua una mulier multis viris nubit, esse contra ius naturae; nam hoc adversatur fini Matrimonii primario, scilicet generationi prolis, cum experientia probet, meretrices plerumque esse infoecundas: et fini secundario, quia incertus foret prolium pater, qui tamen ad congruam earum sustentationem necessarius est. Dicendum etiam videtur, Polygamiam seu pluralitatem uxorum sub uno viro, esse contra legem naturae. 1. Quia *Gen.* 2. *v.* 24. dicitur: *Erunt duo in carne una:* sed duorum in una coniunctio Polygamiam excludit, quia non duo, sed tres vel quatuor essent in carne una; ergo Polygamia est contra primam Matrimonii originem, uti Christus eam prohibens, *Matth.* 19. *v.* 8. ait: *Ab initio autem non fuit sic.* 3. Patres Lamechum duas uxores accipientem, violatae Legis, non certe alterius, nisi legis naturae, quae tunc solum vigebat, accusant: uti Tertullianus *l. de exhort. castit. c.* 5. S. Hieronymus *l.* 1. *contr. Iovin. c.* 8. Nicolaus I. *ep. ad Lotharium.* 3. Patet ex duplici ratione; quarum prima est, quod pluralitas uxorum detrahit fini secundario, cum unus vir concupiscentiae plurium uxorum remedium afferre non posset; si enim copuletur uni, altera forte indigebit eius consortio. Altera est, quod per Polygamiam impediatur congrua prolis educatio, dum n. praedilectio inter proles unius et alterius, et per rixas et dissidia bonum pacis perturbatur. Illud tamen addendum est, quod Polygamia directe fini primario Matrimonii non adversetur, sed tantum fini secundario, quia unus vir non solum plures uxores foecundare potest, sed etiam bonae prolium educationi providere: et ideo etiam Deus ex mox dicendis in Polygamia olim dispensavit: Dices I. S. Ambrosius *l.* 1. *de Abraham c.* 4. ait: *Cum Abraham duxit Agar, non commisit in legem, sed legem praevenit.* Et S. Augustinus *l.* 22. *contr. Faust. c.* 47. docet, pluralitatem uxorum factam esse licitam *per consuetudinem,* quae nequit introduci contra ius naturae. Et Theodoretus *q.* 67. *in Gen.* ait:

Neque natura, neque lex ulla, tum scripta olim plures ducere uxores prohibebat. *Resp.* S. Ambrosius loquitur de lege positiva, quae tempore Abrahae Polygamiam non prohibebat; cum quo stat, quod lege naturae prohiberetur. S. Augustinus loquitur de consuetudine, supponente Divinam dispensationem. Et Theodoretus vult, Polygamiam fini primario Matrimonii non adversari. II. Si Rex duxisset mulierem sterilem, et proles tamen pro salute publica foret necessaria, sane ratio naturalis suaderet, quod aliam ex consensu uxoris ducere posset. *Resp.* Licet in aliquo casu extraordinario Polygamia Reipublicae necessaria videatur, non sequitur, eam esse iure naturae licitam, etiam ex consensu uxoris, quae non potest in hoc cedere iuri suo; quia bonum publicum Matrimonii hanc cessionem prohibet.

An Deus in Polygamia olim dispensavit?

Schol. 3. Quia igitur Polygamia fini primario Matrimonii non repugnat (Schol. praec.); ideo Deus in pluralitate uxorum dispensavit 1. cum veteribus Patriarchis; nam illi plures uxores ducendo non peccarunt, uti docent Patres. S. Ambrosius *l.* 1. *de Abrah. c.* 4. *Coniugium Abrahae cum Agar, peccatum non fuit, sed mysterium.* S. Chrysostomus *hom.* 56. *Tunc enim, quia principia erant, permissum fuit, cum duabus, vel tribus, vel pluribus misceri, ut humanum genus propagaretur.* Et Innocentius III. *c. Gaudemus, de divort.* ait: *Nulli unquam licuit, plures uxores habere, nisi cui Divina revelatione concessum . . . per quam . . . Patriarchae, et alii viri iusti, qui plures leguntur simul habuisse uxores, ab adulterio excusantur.* 2. Dispensavit etiam cum omnibus aliis Iudaeis: tum quia *Deut.* 21. *v.* 15. *et* 16. dicitur: *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, et alteram odiosam, genueritque ex ea liberos . . . non poterit filium dilectae facere primogenitum, et praeferre filio odiosae.* Quae verba supponunt probatam apud Hebraeos consuetudinem plures ducendi uxores; cumque nullus Prophetarum hanc Polygamiam velut scelus redarguerit, et Iudaeis obiecerit, dispensationem supponunt. 3. Dispensavit etiam cum Gentilibus; quia Esther virgo pia nunquam Matrimonium Assneri uxorem iam habentis acceptasset, nec Mardochaeus vir timens Deum hoc illi suasisset, nec Iudaei ubique hoc Matrimonium approbassent, nisi notissimum fuisset, etiam Gentilibus pluralitatem uxorum licitam fuisse. 4. Denique haec dispensatio modo post diluvium a Deo facta fuit, quia nullus iustorum ante diluvium legitur plures habuisse uxores: primus Lamech hoc attentavit non sine gravi culpa et reprehensione: nec ratio ducta a multiplicatione generis humani pro statu ante diluvium urget, quia tunc longaeva hominum vita proli multiplicandae sufficiebat; post diluvium vero Polygamia permissa fuit, ut ita suppleretur defectus longioris vitae ad multiplicandum genus humanum, et populum Dei. Porro haec dispensatio antiquis facta, non habetur quidem expresse in S. Scriptura; colligi tamen potest ex illo *Gen.* 21. *v.* 12. ubi Dominus ait ad Abraham: *Omnia, quae dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Cum ergo Sara *c.* 16. *v.* 2. dixerit ad Abraham: *Ingredere ad ancil-*

lam meam Agar: hoc ex dispensatione Divina factum fuit. Deinde *Gen.* 16. *v.* 9. Angelus iubet, Agarem redire ad Abrabam: *v.* 11. dat eius filio nomen Ismael: *v.* 10. promittit illi multiplicationem seminis; quae omnia sunt signa coeli approbantis. Haec dispensatio facta antiquis Patribus ante Moysen, innotuit illis per inspirationem internam. Dices I. cum Calvino et Beza, qui antiquos Patriarchas plures uxores ducentes peccati arguunt. *Lev.* 18. *v.* 18. dicitur: *Mulierem unam ad alteram ne assumito.* Et *Deut.* 17. *v.* 17. *Non multiplicabit uxores.* Et S. Scriptura passim concubinas appellat mulieres, quae praeter uxorem Patriarchis adhaerebant. *Resp. Lev.* 18. vox אחתה *(achotah)* cum Vulgata reddi debet: *Mulierem ad sororem eius ne assumito*, uti habet versio Chaldaica, Samaritana, Syriaca, Graeca. *Deut.* 17. nimia uxorum pluralitas regibus prohibetur; unde Vulgata vertit: *Non habebit uxores plurimas.* Nomine concubinarum intelliguntur uxores minus principales, quarum liberi non succedebant in bonis avitis, uti patet *Gen.* 25. *v.* 6. non vero intelliguntur meretrices. II. S. Ambrosius *l.* 1. *de Abraham c.* 4. excusat factum Abrahami duas uxores accipientis ex eo, quod amore prolis hoc fecerit, et super eo poenitentiam egerit; quod etiam innuit S. Augustinus *l.* 16. *de Civ. c.* 25. *Resp.* S. Ambrosius aliquando de hac quaestione dubius fuit: demum se resolvit dicens, coniugium Abrahae cum Agar non fuisse peccatum, sed Mysterium. S. Augustinus vero *l.* 16. *de Civ. c.* 38. aperte fatetur, Polygamiam tunc fuisse licitam, quia nulla lex eam prohibebat.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Licet coniux longo tempore absit, non tamen licet nubere, quia ex longa eius absentia non resultat certitudo de eius obitu: *c. In praesentia, de Sponsal.* sed certitudo mortis eius debet esse moralis, quae haberi potest tum ex libro Parochiali, tum ex productione testamenti, tum ex testimonio virorum probatae fidei. Unus vero testis hic non sufficit, nisi aliis coniecturis fulciatur, vel iuramentum accedat, et maior certitudo haberi non possit. Nec communis fama de morte coniugis sufficit, quae fallax est, nisi accedat testimonium duorum fide dignorum de auditu, vel absens coniux mare navigaverit, senex fuerit, in acie pugnaverit, et statuto tempore expectatus, et quaesitus non comparuerit. 2° Iudex in casu iudiciorum et probabilis praesumptionis mortis coniugis, nequit dare licentiam ad secundas nuptias transeundi; quia hae praesumptiones, quae apud varios iudices variant, publica scandala facile generant, sed indubitata certitudo requiritur. 3° Si quis bona fide Matrimonium contraxit, et dubium de morte coniugis suboriatur, tenetur diligenter inquirere, et interim a petendo debito abstinere, licet reddere teneatur. Si vero ambo coniuges mala fide contraxerunt, debitum nec petere, nec reddere licet, quia pro neutro stat possessio iuris. Si una pars mala fide contraxerit, debitum non licet petere; bene tamen reddere. 4° Si post contractum bona fide secundum Matrimonium, vir prioris Matrimonii postea vivus reperiatur, debet mulier ad priorem virum re-

dire, et secundum relinquere: filii vero ex secundo Matrimonio bona fide contracto nati, sunt legitimi, si tempore copulae bona fides perseveravit: si vero mala fides ex parte unius adfuerit, succedit illi quidem proles, sed non ille proli. Vid. Salmanticenses.

Art. 10. *De impedimentis publicae honestatis et aetatis.*

§ 1229. Decimum impedimentum dirimens est *Honestas*, seu publicae honestatis, quo nomine intelligitur propinquitas orta ex Sponsalibus, aut Matrimonio rato, non consummato; quam sponsus contrahit cum consanguineis sponsae, et vicissim sponsa cum consanguineis sponsi. Publica Honestas.

§ 1230. Impedimentum publicae honestatis dirimit Matrimonium iure novo Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 3. inter consanguineos sponsae in primo gradu cum sponso, et inter consanguineos sponsi in primo gradu cum sponsa. Et hoc quidem iure merito, quia Sponsalia sunt quoddam inchoatum Matrimonium, adeoque inducunt inchoatam affinitatem. Ergo sicuti perfecta affinitas est impedimentum dirimens in multis gradibus (ex dicendis); ita par erat, ut publica honestas in aliquo saltem gradu Matrimonium dirimeret. Honestas dirimit Matrimonium.

Schol. Quaeritur, an Sponsalia seu promissio de futuro Matrimonio mutuo consensu dissoluta, inducant impedimentum publicae honestatis. Respondetur affirmative; quia ita declaravit Congregatio Cardinalium, cuius decisionem approbavit Alexander VII. 10. Iul. a. 1658. teste Fagnano, super *c. Ad audientiam, de Sponsal.* et ratio est, quia Sponsalia per mortem dissoluta hoc impedimentum inducunt. Ergo etiam mutuo consensu dissoluta. Dices I. Tridentinum ait, per Sponsalia quacumque ratione invalida non induci hoc impedimentum. *Resp.* Supponit esse invalida ex defectu consensus, non vero per mutuam dissolutionem. II. Congregatio Cardinalium censuit, Sponsalia mutuo consensu soluta, esse invalida. Ergo inducunt hoc impedimentum. *Resp.* Haec declaratio non habetur in forma authentica; vel loquitur de Sponsalibus ex defectu consensus invalidis. An Sponsalia mutuo consensu dissoluta, illud inducant?

Coroll. Pract. 1° Sponsus tantum cum matre, sorore et filia suae sponsae; et sponsa cum patre, fratre et filio sui sponsi invalide contrahit Matrimonium: si autem impedimentum publicae honestatis oriatur ex Matrimonio tantum rato, non consummato, dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum inclusive, ex declarat. S. Pii V. in Bulla: *Ad Romanum*. 2° Impedimentum publicae honestatis non agit retro. Unde si quis contraxit Sponsalia de futuro, et deinde contrahit nova Sponsalia cum sorore prioris sponsae, secunda quidem sunt invalida, sed priora non irritantur, *c.* un. *de Spons. in* 6. 3° Impedimentum publicae honestatis non oritur ex Sponsalibus ficte contractis, quia non sunt valida: nec oritur ex Sponsalibus sub conditione pendente in futurum, usque dum conditio impleatur; secus vero, si conditio sit de praeterito vel futuro. 4° Matrimonium clandestinum, cum habeat vim Sponsalium, et Matrimonium impuberum inducit impedimentum publicae honestatis. Resolvuntur casus.

Ætas. § 1231. Undecimum impedimentnm dirimens est *Ætas*, si quis requisitam a legibus ad Matrimoninm contrahendum aetatem non attigerit.

Ex defectu aetatis irritum est Matrimonium. § 1232. Ad Matrimonium contrahendnm valide, regulariter reqniritur actas pnbertatis, scilicet in masculis annus 14^{us}, in foeminis annns 12^{us} completus, nisi malitia suppleat aetatem. Ita c. *Continebatur, de despons. impub.*

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Matrimonium ante legitimam aetatem contractnm, est qnidem graviter illicitum; si tamen malitia aetatem supplcat, et adsit sufficiens discretio rationis, et potentia generandi, valet Matrimonium: c. *De illis, de despons. impub.* 2° Matrimonium, quod impnberes contrahunt ante aetatem legalem, et naturalem, saltem vim habet in Sponsalibns de futnro, c. *un. de despons. impub. in* 6. 3. Papa dispensare potest, ut aliqni ante pnbertatem naturalem, sen habilem ad generandum contrahant Matrimonium; quia hoc impedimentum est solum inris Ecclesiastici: nam inre natnrae sufficit consensns, et corpora ad generandnm habilia, nnllo vero iure proxime habilia; unde adest solum impotentia cum tempore auferibilis, non vero perpetua, in qua dispensari neqnit: *c. Ubi non, de despon. imp.* 4° Si dubitetur, an malitia suppleat aetatem in ordine ad validum Matrimonium, declaratio ad Episcopum spectat: dispensatio vero ad solum Papam. Ita Benedictus XIV.

Art. 11. *De impedimento affinitatis.*

Affinitas. § 1233. Dnodecimum impedimentum dirimens est *Affinitas*, qnae est propinquitas personarum, ex copula carnali perfecta proveniens, sive copula sit licita, ut Matrimonialis, sive adultera, sive fornicaria.

Quotuplex? *Schol.* 1. Triplex olim fuit genns Affinitatis: primnm, si Maria fratri meo sit Matrimonio inncta, est mihi, et sorori meae affinis in primo genere: si autem fratre meo defnncto, eadem Maria nubat Petro, fit Petrus mihi et sorori meae affinis in secundo genere: si vero Maria defnncta, Petrus nubat cum Anna, fit mihi et consangnincis meis affinis in tertio genere. Verum Innocentius III. *c. Non debet, de Consaug. et Affinit.* secundam et tertiam affinitatis speciem abolevit, sola prima retenta.

Modus computandi gradus Affinitatis. *Schol.* 2. Pro dignoscendis gradibus Affinitatis est haec regnla: *Quo gradu quis distat in consanguinitate a viro, eodem affinitatis gradu distat ab eius uxore.* Sic si pater meus secundo nubat cum Maria, haec mihi fit affinis in primo gradu lineae ascendentinm. Si frater meus nubat cum Anna, haec mihi fit affinis in primo gradu lineae collateralis. Vide sequentem arborem Affinitatis, ubi stipes est duplex, mas, et foemina, copula carnali coniuncti, qui snnt principium affinitatis; gradus autem computantnr sicuti in consanguinitate (§ 1215. Schol. 2.), ita ut consanguineus uxoris in primo gradu sit affinis marito in eodem gradn, et vicissim.

Affinitas § 1234. 1. Affinitas orta ex copula Matrimoniali dirimit Matrimo-

nium inter virum et consanguineos uxoris, et vicissim usque ad quartum gradum. Ita statuitur in c. *Debet, de Consang. et Affinit.* et rationes allatae sunt § 1214. dirimit Matrimonium

2. Affinitas vero orta ex copula illicita perfecta, dirimit Matrimonium usque ad secundum gradum inclusive, uti decrevit Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 4. *de ref. Matrim.* Et ratio est, quia haec affinitas est vera, licet paullo imperfectior illa, quae ex legitimo Matrimonio oritur; unde non est causa, cur Matrimonium saltem in aliquibus gradibus non dirimat. Hinc 2. *Reg.* 20. legimus, decem concubinas David, quas filius eius Absalon violaverat, ab eodem David inclusas esse, et nunquam amplius cognitas; quia nimirum illae omnes factae fuerunt quasi nurus ob coniunctionem cum filio.

3. Affinitas, quam coniugatus contraxit cum coniuge, si cum eius consanguinea incestum committat, impedit illum, quominus debitum coniugale petere possit, licet innocenti coniugi reddere teneatur. Ita constat ex *c.* 1. iuncto *c. Discretionem, de eo, qui cognovit.*

Schol. Affinitas in nullo gradu neque lineae rectae, neque lineae collateralis iure naturae dirimit Matrimonium. De linea recta patet ex Concilio Agathensi *can.* 61. et Epaunensi *can.* 30. ubi prohibetur quidem Matrimonium privigni cum noverca; sed tamen additur, ut si ante prohibitionem contractum fuerit, non dissolvatur. Quod etiam statuitur de relicta uxore fratris vel avunculi, quod iure naturae esse irritum nemo Catholicorum dicit. Deinde Concilium Aurelianense II. *c.* 10. statuit, ut non solvantur Matrimonia ante Baptismum contracta cum relicta patris, filia uxoris, relicta fratris, sorore uxoris, sobrina, consobrina, relicta avunculi vel patrui: ergo censet, illa iure naturae esse valida. Quod vero affinitas etiam in linea transversa iure naturae non dirimat Matrimonium, patet ex dictis (§ 1214. Sch. 2.). Dices I. Concubitus privigni cum noverca vocatur fornicatio, qualis nec inter gentes auditur: 1. *ad Cor.* 5. *Resp.* S. Paulus loquitur de eo, qui adhuc vivente patre, novercam acceperat. II. In primo gradu affinitatis nunquam Ecclesia dispensavit: ergo iure naturae prohibetur. *Resp.* Cum in his Matrimoniis indecentia quaedam appareat, mirum non est, quod Catholici illa celebrare ausi non fuerint, nec dispensationem a Sede Apostolica postulaverint. An iure naturae?

Coroll. Pract. 1° Ad affinitatem contrahendam requiritur copula perfecta. 2° Consanguinei uxoris, et consanguinei mariti, licet vulgo dicantur affines, tamen inter se non contrahunt impedimentum affinitatis, quia deficit eius fundamentum, sive copula. Hinc duo fratres possunt Matrimonium contrahere cum duabus sororibus, sibi non consanguineis. Pater et filius valide contrahunt cum matre et filia alterius cognationis. Item valide contrahit filius Titii ex prima uxore cum filia eius privigna, seu nata ex alio marito. Item si viduus et vidua, copulentur, et adducant liberos ex priori Matrimonio, hi comprivigni valide inter se contrahunt Matrimonium. Frater vitrici potest ducere eius privignam: item Caius privignus vitrici sui matrem: item Caius Resolvuntur casus.

valide ducit successive Caiam et Titiam, quarum mariti erant fratres. Denique Titius valide contrahit cum privigna uxoris suae, et vitricus cum uxore privigni. 3° impedimentum affinitatis ob copulam fornicariam et illicitam, etiam ab ignorante contrahitur.

Art. 12. *De impedimento clandestinitatis.*

Clandestinitas. § 1235. Decimumtertium impedimentum dirimens est *Clandestinitas*, ex eo proveniens, quod quis, in loco ubi Tridentinum est receptum, non contrahat coram Parocho, et testibus.

Matrimonium clandestinum quot modis fiat? *Schol.* Matrimonium Clandestinum vi nominis est, quod clam et occulte contrahitur, nullo teste, per quem probari possit, praesente. Matrimonium clandestinum olim reputabatur, 1. Propter defectum praesentiae Parochi vel testium. 2. Propter defectum proclamationum seu Bannorum. 3. Propter defectum consensus parentum. 4. Propter defectum Benedictionis Sacerdotalis. Post Tridentinum vero solus defectus Parochi et testium Matrimonium reddit clandestinum.

Clandestinum Matrimonium est irritum. § 1236. *Primo.* Matrimonium coram Parocho, et duobus vel tribus testibus non contractum, in locis ubi Tridentinum est receptum, irritum est, et invalidum. Ita Tridentinum *Sess.* 24. *de ref. Matrim. cap.* 1. Et 1° quidem Tridentinum potuit nulla et irrita declarare clandestina Matrimonia; licet enim Christus pro materia huius Sacramenti determinaverit contractum civilem, limites tamen Ecclesiasticae potestatis non excedit, talem formam, et conditionem praescribere, qua non apposita, censeantur personae inhabiles ad contrahendum; ubi sane non mutat materiam Sacramenti, sed tantum impedit, ne debita materia ponatur: sicuti si quis ab aliqua civitate auferret aquam, non mutaret materiam Baptismi, sed eam tantum Sacramento subtraheret. 2° Tridentinum in hoc optime se gessit: tum quia Matrimonia clandestina pugnant cum fide Matrimonii, quam facile violant, qui sine testibus contrahunt, cum contractus legitimus probari non possit: tum quia pugnant cum bono prolis, cuius status et conditio fit incerta, nisi constet certis testimoniis, eam ex legitimo Matrimonio esse natam: tum quia pugnant cum Sacramento, cuius in primis dignitas violatur, dum neglectis Ecclesiae legibus, in statu peccati mortalis suscipitur: deinde saepe etiam vinculum violatur, dum ob defectum testium, relicta uxore clam ducta, alia in facie Ecclesiae ducitur; quam rationem etiam Tridentinum *Sess.* 24. *de ref. Matr. cap.* 1. insinuat. 3° Adeoque clandestina Matrimonia sunt illicita, quia Ecclesia illa semper detestata fuit, uti patet ex sex primis Canonibus *caus.* 30. *q.* 5. in quibus Evaristus, Hormisdas, et Nicolaus illa illicita esse declarant; et eadem improbantur iure Caesareo, *l. Uxorem*, *c. de repud.* imo nuptiis Ethnicorum aderat Sacerdos Cereris, uti Casalius *de rit. nupt.* ostendit. Item Innocentius III. et Concilium Lateranense IV. illegitimam declaravit sobolem ex clandestinis coniugiis susceptam, *c. Cum inhibitio, de clandest. despons.* ac demum Tridentinum loc. cit. ait: *Ecclesia Dei ex iustissimis causis*

illa semper detestata est, atque prohibuit. Et denique definit: ***Qui aliter, quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt; eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit et huiusmodi contractus nullos et irritos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit, et annullat.***

Solvuntur obiectiones.

Schol. 1. Contra iustitiam Decreti Tridentini irritantis Matrimonia clandestina insurgit Paulus Sarpi in *Historia Concilii*. I. Quia contra illud reclamarunt Cardinalis Ludovicus Simonetta Concilii Legatus, Cardinalis Moronus alter Legatus, Cardinalis Madrutius, et Antonius Patriarcha Ierosolymitanus, teste Pallavicino *l*. 23. *c*. 9. imo in illo Decreto repugnantia leguntur; dicitur enim, Matrimonia clandestina *rata et vera fuisse, quamdiu Ecclesia illa non irritavit*. Et deinde sequitur: *Nihilominus S. Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit:* detestari vero Sacramentum absurdum est. *Resp*. Citati Cardinales, re diligentius discussa, Decretum illud assumpserunt, uti *c*. 9. ostendit Pallavicinus. Deinde Ecclesia non detestabatur clandestina coniugia in se spectata, sed attenta contrahentium nequitia; quo sensu et nos detestamur Sacramenta sacrilege ministrata vel recepta. II. Si Parochi et testium praesentia ad Matrimonium semper necessaria non fuit, tunc solum est quid accidentale; adeoque fieri non potuit, ut tamquam aliquid essentiale ad Sacramentum requiratur. *Resp*. Haec praesentia solum requiritur, ut personae ad contrahendum sint habiles; non vero, ut contractus humanus sit, et liber.

An Matrimonia clandestina ante Tridentinum fuerint irrita.

Schol. 2. Quaeritur, an Matrimonia clandestina ante Tridentinum fuerint invalida. P. Sanchez putat, esse de fide, quod Matrimonia clandestina ante Tridentinum non fuerint invalida: sed bene notat D. Tournely, Tridentinum hoc nunquam definiisse, sed Theologis disputandum reliquisse. Nihilominus dicendum, Matrimonia clandestina ante Tridentinum nunquam fuisse invalida: quod 1. colligitur ex ipso Tridentino *Sess*. 24. *cap*. 1. *de ref. Matr*. ubi ait: *Dubitandum non est clandestina Matrimonia rata et vera fuisse, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit*. Quibus verbis innuit, Ecclesiam ante Tridentinum illa nunquam irritasse. 2. Si fuisset talis lex Ecclesiastica irritans, illius certe Tridentinum meminisset; praesertim cum Patres Concilii non defuerint, qui dubitarunt, an Ecclesia illa irritare posset. Dices I. Evaristus P. *c*. *Aliter, cau*. 30. *q*. 5. clandestina Matrimonia vocat adulteria, contubernia, stupra, fornicationes. Et Concilium Coloniense sub Paulo III. optat, ut Canon Evaristi ab aliquo Concilio generali renovetur, et clandestina Matrimonia tollantur. *Resp*. Clandestina Matrimonia vocantur adulteria, etc. tantum in foro externo, in quo Ecclesia praesumit, illa non esse valide contracta. Quo sensu etiam Concilium Coloniense loquitur, quod in hac re nihil definit. II. Quae contra leges fiunt, pro infectis, hoc est nullis, habentur: sed Matrimonia clandestina semper fuerunt prohibita: ergo

etiam nulla. *Resp.* Illud iuris procardicon intelligitur de legibus irritantibus, non vero pure probibentibus.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Si quis ex loco, ubi Tridentinum est receptum, se conferat cum sponsa in locum Acatholicum, ubi non est receptum, eo animo, ut Matrimonium clandestinum ibi contrahere possit, et illud coram ministro Lutherano contrahat, ac postea ad prius domicilium revertatur; invalidum est Matrimonium, ex declaratione Cardinalium Trid. Interpr. confirmata per Urbanum VIII. a. 1627. in Brevi: *Exponi nobis.* 2° Si sponsus spectet ad Parochiam, in qua Tridentinum est receptum, et sponsa ad Parochiam, in qua non est promulgatum, si Matrimonium contrahatur in Parochia sponsi, sine Parocho et testibus, est invalidum; si in Parochia sponsae, erit illicitum, sed validum, quia contractus quoad valorem pendent a legibus loci, in quo fiunt. Ita respondit S. Congregatio, teste Pignatelli *t. 5. consult.* 79. 3° Matrimonia Catholicorum, qui in locis Acatholico Principi subiectis sub gravi poena coguntur Matrimonium contracturi ministrum Acatholicum adire, ibique suum consensum in coniugium praestare: sunt nulla, si Tridentinum ibi sit promulgatum, nisi coram proprio Parocho aliove vices agente, et duobus testibus contrahant. Possunt tamen coram ministro, si sub gravi poena cogantur, consensum renovare, si minister habeatur pro mero politico et civili, sine superstitiosis caeremoniis. Ita Benedictus XIV. *de Synod. de Matr.* 4° Matrimonia Acatholicorum, cum non habeant proprium Parochum, sunt valida, licet Tridentinum apud eos aliquando promulgatum fuerit, ob necessitatem generalem, quia proprius Parochus haberi nequit; uti declaravit Benedictus XIV. in Bulla circa Matrimonia haereticorum in Hollandia. Hinc etiam Matrimonia haereticorum contracta coram ministro Protestante, in nostra Germania valent; quia lex Tridentini est impracticabilis. Saepius circa haec Matrimonia consultus fuit Pontifex: sed secundum regulas prudentiae non dedit responsum. 5° Parochus Catholicus licite et valide assistit Matrimoniis Acatholicorum suae Parochiae, quia est verus Parochus; et tantum est testis, non vero minister. 6° Decretum Tridentini receptum est in Hispania, Lusitania, Italia, Gallia, Hungaria, et Germania Catholica. Non est receptum in Anglia, Scotia, Hibernia, Suecia, Dania, Saxonia, Borussia, Pomerania, Turcia, et aliis infidelibus regionibus, et iuxta Wex etiam in confoederatis Belgii Provinciis. In dubio an sit receptum, non obligat. 7° Parochus debet esse proprius contrahentium, vel saltem unius, et quidem ratione domicilii, vel quasi domicilii, non vero originis. Debent autem Parochus et testes esse moraliter, et physice praesentes, ut sciant, quid agatur, et de contractu testari possint. Valide tamen assistit Parochus invitus, vel dolo inductus, dummodo percipiat, quid agatur. Item testes simul adesse debent cum Parocho moraliter et physice; non tamen requiritur, ut sint omni exceptione maiores, nec ad hoc rogati, quia aeque testimonium dicere possunt. 8° Ex licentia

praesumpta Parochi, non potest alius Sacerdos valide Matrimonio assistere; quia sic Matrimonium non contrahitur praesente Parocho, vel alio Sacerdote de eius licentia. 9° Vagi a quocumque Parocho copulari possunt, praemissa tamen diligenti inquisitione. Si una pars sit vaga, altera vero habeat quasi domicilium, probabilius videtur, quod debeant accedere ad Parochum, in cuius Parochia una pars habet quasi domicilium: cum Tridentinum observari debeat, in quantum fieri potest. 10° Milites, qui habent proprium Curatum, vel Missionarium Castrensem Catholicum, coram illo debent contrahere; quia hic est eorum Parochus, qui habet Parochiam ambulantem. Si vero proprium Sacerdotem non habeant, pro vagis habentur, quia omni hora ad abeundum parati esse debent; si tamen possint, et velint diutius alicubi manere, non sunt vagi. 11° Parochus Matrimonio assistens, non debet esse necessario Sacerdos, quia Tridentinum solum Parochum requirit. Item Parochus excommunicatus * (etiam vitandus) * et suspensus valide Matrimonio assistit, dummodo Parochiali Beneficio non sit privatus; quia non caret potestate praestandi suam qualificatam personam. * (Si tamen foret Haereticus publicus invalide Matrimonio assisteret, uti declaravit S. C. C. 1571. quia tunc ex Nicolao III. C. *noverit* desineret esse Parochus). * 12. Matrimonia clandestina saltem videntur habere vim Sponsalium, iuxta P. Layman. * (Verum contrarium declaravit S. C. C. a. 1585.: cum enim Matrimonia clandestina sint nulla tam in ratione contractus, quam Sacramenti, nullam pariunt obligationem naturalem, etsi iuramento firmata fuerint). *

Art. 13. *De proclamationibus Matrimonio praemittendis.*

§ 1237. 2° Matrimonium censetur clandestinum ex defectu *Proclamationum*, quae sunt publicae denunciationes Sponsalium. **Proclamationes quid?**

***Schol*. Proclamationes vocantur etiam *Banna*, a voce *Ban*, cuius usum Franci saeculo V. in Gallias invexerunt. *Ban* autem significat proclamationem futuri Matrimonii. Origo earum petitur a consuetudine veterum Christianorum, qui cum de ineundo Matrimonio deliberarent, Episcopos, et Sacerdotes consulebant, ex quorum arbitrio vota sua moderabantur, ne haeretico, Iudaeo, vel Apostatae implicarentur; quem morem insinuat S. Episcopus et M. Ignatius *ep. ad Polycarp*.** **Earum origo**

§ 1238. Proclamationes non sunt quidem ad essentiam Matrimonii eiusque valorem requisitae; trinae tamen proclamationes ante Matrimonium sub peccato mortali sunt praemittendae, nisi ex gravi causa dispensentur. Ita 1° statuit Concilium Lateranense IV. *cap.* 51. *Statuimus, ut, cum Matrimonia fuerint contrahenda in Ecclesiis, per Presbyteros publice proponantur, competenti termino praefinito, ut intra illum, qui voluerit, et valuerit, legitimum impedimentum opponat: et ipsi Presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat.* 2° Idem statuit Tridentinum *Sess.* 24. *de ref.* **Requiruntur ante Matrimonium.**

Matr. cap. 1. Praecipit S. Synodus, ut in posterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum; quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiae procedatur . . . Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem Parocho, et duobus, vel tribus testibus praesentibus, Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire iudicaverit, ut praedictae denuntiationes remittantur, quod illius prudentiae et iudicio S. Synodus relinquit.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Est peccatum grave unam ex tribus Proclamationibus sine gravi causa omittere. Illae autem debent fieri in diebus festivis, Dominicis, vel etiam ferialibus, quando ad Missarum solemnia magnus est populi concursus; et quidem debent fieri tribus diebus festivis continuis sine Festis intermediis; nec tamen foret peccatum grave, si unus vel alter dies festivus interponatur; secus, si multi interponerentur; imo etiam fieri possunt in tribus immediate continuis Festis, in quo servanda est consuetudo dioecesis. Quod si deinde inter duos menses Matrimonium postea non celebretur, promulgationes repeti debent, nisi aliud Episcopo videatur. 2° Promulgationes debent fieri in Ecclesia inter Missarum solemnia, vel post concionem aut alias publicas devotiones. Item debent fieri a proprio Parocho, vel altero ex eius commissione. Hinc si contrahentes spectent ad diversas Parochias, sub gravi peccato in Parochia utriusque Proclamationes fieri debent, de quibus Parochus Matrimonio assistens testimonium habere debet: si autem ob locorum distantiam, vel aliam rationabilem causam Proclamationes in Parochia utriusque fieri non possint, Parochus loci nativitatis testimonium dare debet, quod nec sibi, nec aliis examinatis de aliquo impedimento constet. 3° Circa vagos praecipit Tridentinum Parochis, ne illorum Matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint et re ad Ordinarium delata, licentiam ab eo obtinuerint. Quod etiam dicendum est de illis peregrinis, qui alibi fixum domicilium habentes, contrahunt in loco, ubi sunt ignoti; quod sine licentia Parochi domicilii valide fieri nequit. 4° Causae dispensandi in Proclamationibus sunt: 1. Quando timetur malitiosum impedimentum nuptiis ponendum. 2. Nimius pudor ob senium, et disparem conditionem. 3. Si Magnates contrahant. 4. Vicinitas temporum, quibus nuptiae prohibentur. 5. Si incontinentia, vel dissolutio Sponsalium timeatur. 6. Si renovetur Matrimonium ob occultum impedimentum irritum. 7. Si contrahentes sint vagi et ignoti. Dispensatio vero non ad Parochum, sed Episcopum spectat: in articulo mortis vero si Parochus concubinario

contrahenti assistat, per epikiam sine dispensatione declarare potest, legem Proclamationum non obligare. Quod si Parochus Matrimonio sine Proclamationibus assistere praesumat, triennio ab officio suspenditur: *c. cum inhibitio, de clandest. Despons.* 5° Si fideles aliquod impedimentum sive dirimens, sive prohibens circa denuntiatos sciant, debent illud sub gravi peccato Parocho indicare, tum ad impediendum peccatum proximi, tum ad consulendum reverentiae Sacramenti; ita tamen, ut si impedimentum dirimens coniunctum sit cum infamia, et ortum ex peccato mortali, debeat prius reus moneri: et si monitioni acquiescere nolit, nec a Matrimonio desistere, ad Parocham deferri, licet illud deferens sub sigillo aut iuramento accepisset, quia agitur de peccato vitando; potest tamen etiam suadere, ut prudenti Confessario aperiat, et dispensationem impetret. Cessat tamen obligatio manifestandi, si revelanti grave malum, sive in se, si forte sit complex delicti, sive aliunde, si timeatur grave scandalum publicum, vel innocenti grave damnum vitae, fortunae, honoris vel famae immineat; quia non tenemur cum tam gravi incommodo promovere correctionem proximi. 6° Qui ignorat Doctrinam Chistianam, debet prohiberi a Matrimonio: hinc sponsi ante Matrimonium examinari debent de necessariis necessitate medii, et praecepti, do actibus fidei, spei, charitatis, doloris de peccatis, de Matrimonio prout est Sacramentum, de obligationibus coniugum, etc.

Art. 14. *De consensu parentum ad matrimonia filiorum.*

§ 1239. *Tertio.* Matrimonium potest esse clandestinum ex defectu consensus parentum. Licet autem graviter peccent liberi, si sine legitima causa absque consensu parentum, vel iis insciis et invitis contrahant, quia contra reverentiam, obedientiam et gratitudinem iis debitam agunt; Matrimonium tamen a liberis insciis et invitis parentibus contractum, non est irritum et invalidum. 1° Non iure naturae; quia ex hoc sufficit solus consensus contrahentium. 2° Non iure positivo Divino; quia *Gen.* 26. Esau accepit duas uxores, quae ambae offenderant animum Isaaci, et Rebeccae, qui tamen coniugium non irritarunt. Jacob, *Gen.* 29. *et* 30. duas uxores duxit, et Tobias unam, insciis parentibus; quae tamen Matrimonia S. Scriptura irrita non declaravit. Cuius ratio esse potest, quia in illis, quae ad electionem status spectant, liberum esse hominem convenit, et soli Deo subiectum; quae libertas multum imminueretur, si Matrimonium a consensu parentum dependeret. Adeoque Tridentinum optime definit *Sess.* 24. *de ref. Matr. cap.* 1. et anathemate eos ferit, qui falso affirmant, Matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse.

Matrimonium ex defectu consensus parentum non est clandestinum irritum.

Schol. 1. Erasmus in *Colloquio de Matrim.* Matrimonia insciis, et invitis parentibus contracta, contra sensum naturae, veterum leges, et Mosaicam ac Evangelicam legem esse ait. Lutherus *Serm. de Matrim.* dicit, haec Matrimonia esse valida, si proles ex illis nata fuerit;

Solvuntur obiectiones.

secus, si nondum nata sit, in quo casu parentes ea confirmare vel irritare possunt. Calvinus ea absoluto irrita esse affirmat. I. Quia Apostolus *ad Col.* 3 iubet, filios obedire parentibus, quod vel maxime tenet in contrahendo Matrimonio. *Resp.* Excipiuntur semper ea, in quibus liberi sunt iuris sui, uti est status electio; ubi tamen peccant, si sana parentum monita non sequantur. II. *C. Nostrates, caus.* 30. *q.* 5. dicitur: *Nuptialia foedera consensu eorum, qui haec contrahunt et eorum in quorum potestate sunt, celebrantur.* Et c. *Placuit, caus.* 36. *q.* 2. dicitur, quod iustas nuptias contrahant filiifamilias, *dum consensum habent parentum, in quorum potestate sunt.* Et c. *Videtur, de his, qui in Matr. accus. etc.* dicitur: *Si parentes non interfuerint, et consensum non adhibuerint, secundum legem nullum est Matrimonium.* *Resp.* Canones loquuntur de honestate, non vero de necessitate; uti habet Glossa c. *Sufficiat, caus.* 28. *q.* 2. In capitulo, *Videtur,* Coelestinus II. ait, parentes admitti in dirimendo Matrimonio, *quoniam unusquisque genealogiam suam scire allaborat:* addit autem, si non admittantur in testificationem Matrimonii contrahendi gratia, *secundum leges* nullum fieri Matrimonium: sed intelligit leges civiles, non vero Canonicas. III. Definitio Tridentini contra solemnes postulationes Oratorum Galliae fuit edita. Et Theodosius, Valentinianus, Iustinianus, Henricus II. a. 1556. et Henricus III. a. 1579. Reges Galliae, ac Carolus V. a. 1540. et Philippus IV. a. 1623. pro Belgio Matrimonia insciis et invitis parentibus contracta irritarunt. Cuius ratio est, quia voluntas liberorum iure naturae est in voluntate parentum. *Resp.* Oratores Galliae quidem illud postularunt; sed re mature discussa, contrarium statutum fuit: imo solum petitum fuit, ut certus annorum numerus statueretur, quo elapso, filii sine consensu parentum coniugium inire possent. Leges civiles effectum suum solum obtinent quoad effectus civiles; non vero quoad valorem Matrimonii, unde solum illicita, non vero invalida declarantur, imo Carolus V. in decreto Augustano a. 1548. ea aperte valide declarat. Quippe voluntas liberorum est sub voluntate parentum, antequam filii usum perfecti iudicii attigerint, non vero, si attigerint; et tunc solum sunt sub voluntate parentum quoad usum, curam et dispositionem bonorum paternorum, non vero quoad status electionem.

An olim fuerint irrita Matrimonia contracta sine consensu parentum?

Schol. Tournely putat, iure Ecclesiastico antiquo nulla et irrita fuisse Matrimonia liberorum sine consensu parentum contracta; sed melius dicitur, haec Matrimonia etiam iure antiquo non fuisse irrita, sed solum illicita. Quia alias Tridentinum ab antiqua traditione recessisset, dum eos anathemate ferit, qui illa irrita esse dicunt, et sic novam doctrinam induxisset. Certe non potuisset Tridentinum tamquam dogma fidei definire, illa Matrimonia esse valida, si olim valida non fuissent; et nos vix probabimus, ea modo esse valida contra haereticos. Hinc ipsum Tridentinum ait, Ecclesiam illa detestatam fuisse, et prohibuisse; quae verba ad Matrimonia tantum clandestina gratis detorquet Estius. Dices I. S. Basilius *ep. ad Amphil. can.* 42.

vocat illa Matrimonia, *fornicationes:* et *can.* 40. dicit, ea *firmi nihil habere.* Et Tertullianus *l.* 2. *ad ux. c.* 9. ait: *Nec in terris filii sine consensu patrum rite et iure nubunt.* *Resp.* S. Basilius ea Matrimonia vult esse illicita, et damnat illa pro foro externo ob clandestinitatem, quia probari non possunt. Tertullianus vero per ly *in terris* manifeste respicit ad leges civiles, quae in foro conscientiae Sacramentum irritare non possunt. II. Evaristus P. in *ep.* ait: *Aliter non fit legitimum coniugium, nisi ab his, qui super ipsam foeminam dominationem habere videntur, et a quibus custoditur, uxor petatur, aut a parentibus et propinquioribus sponsetur.* Et *c.* *Apud, caus.* 36. *q.* 2. dicitur: *Cum rapta patri fuerit restituta, si voluntas parentis utriusque in unum convenerit, non prohibentur invicem copulari.* *Resp.* Evaristus loquitur de foro externo, non de foro conscientiae; alias enim irritum etiam esset Matrimonium, si coniuges prius biduo orationibus et continentiae non vacarent, quod in eadem sua epistola ad legitimum coniugium requirit. Mulier rapta in raptoris potestate existens, etsi ipsa in raptum consenserit, reddenda est patri, cui iniuria facta est, et sic sine eius consensu ob impedimentum dirimens valide non contrahit Matrimonium: si vero extra raptoris potestatem constituta, et loco tuto reddita libere cum raptore contrahat, Matrimonium est ratum, nec a patre irritari potest.

Coroll. Pract. 1° Peccant graviter liberi, si invitis parentibus nubant personae indignae cum dedecore familiae, et sequela gravium malorum. Non tenentur tamen liberi semper sub mortali sequi parentum consensum, aut exquirere eorum consilium, si prudenter sibi consulere possint; quia quoad electionem huius status liberi esse debent, licet semper sit conveniens, ut eorum consensum et consilium exquirant. Hinc filius non tenetur cum ea contrahere, cui parentes promiserunt. Graviter vero peccant liberi, si iustam parentum voluntatem et recta consilia circa Matrimonium negligant, si exinde gravia scandala oritura praevideant: adeoque Confessarius nequit Absolutionem negare parentibus, qui iuxta leges patrias liberos sine suo consensu contrahentes, exhaeredant, in casibus illis, in quibus suum consilium petere et sequi tenentur; quia non tollunt libertatem Matrimonii, sed tantum abusum. 2° Parentes per se non possunt cogere filios, nec domini servos, nec Principes Vassallos ad contrahendum Matrimonium, nisi quando iure naturae ad hoc tenentur ob bonum commune, vel ad tollendas capitales inimicitias, etc. Et quidem domini temporales, vel Magistratus iurisdictionem habentes in foro externo, si subditos, vel alios iniuste ad Matrimonium cogant, Excommunicationem maiorem ipso facto incurrunt: quae tamen poena parentes, dominos, Episcopos dominium temporale non habentes, Imperatores et Reges specialiter non expressos non ligat. Resolvuntur casus.

ART. 15. *De Sacerdotis benedictione nuptiis impertienda.*

§ 1240. *Quarto.* Matrimonium potest esse clandestinum ex defectu Ad Matri-

monium requiritur Sacerdotis benedictio Benedictionis, et aliarum sacrarum Caeremoniarum; quae quidem recte nuptiis adhibentur; ita tamen, ut sine illis Matrimonium sit illicitum, non tamen invalidum. Et 1° quidem Sacerdotalis Benedictionis iam meminit Tertullianus *l.* 2. *ad ux. c.* 9. S. Ambrosius *ep. ad Vigil.* S. Innocentius I. *ep. ad Victric.* Siricius *ep. ad Himer.* etc. Quin et ipsi Gentiles consimilem ritum servarunt, uti de Alexandrinis testatur Photius *cod.* 242. et de Iudaeis refert Iosephus de Voisin *p.* 662. 2° Hanc eamdem Benedictionem in facie Ecclesiae dandam praescribit Tridentinum *Sess.* 24. *de ref. cap.* 1. Synodus Mechliniensis, Antuerpiensis, Audomarensis, relatae a Martene *de ant. rit. l.* 1. 3° Sine hac Benedictione haberi possunt omnia ad essentiam Matrimonii necessaria, scilicet materia et forma (§ 1201.), minister (§ 1205. Schol.), et praesentia Parochi, ac duorum testium (§ 1236.). Ergo sine illa validum est Matrimonium, licet propter praeceptum Ecclesiae eam praecipientis, graviter illicitum.

Caeremoniae Matrimonii. *Schol.* Olim fideles Matrimonium tempore Sacrificii, vel saltem ante fores templi illud inibant, et postea ad oblationem intus ingrediebantur, uti colligitur ex Tertulliano *l.* 2. *ad uxor.* Item sponsi S. Communionem percipiebant, uti constat ex Canonibus a P. Martene *l.* 1. *de ant. rit.* relatis. Intuitu autem Benedictionis Concilium Carthaginense IV. *c.* 13. statuit: *Sponsus et Sponsa cum benedicendi sunt a Sacerdote, a parentibus suis, vel paranymphis offerantur. Qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant.*

Annulus. *Annulus* arrhae loco a sponso sponsae datur. Hic olim erat ferreus, teste Tertulliano *de habitu mulier. c.* 13. Hebraei argenteum adhibebant, aut ex lapide onychino. Argenteus S. Annae, Romae: onychinus B. V. Mariae, Perusiae asservari dicitur. Annuli meminit S. Clemens Alex. *l.* 3. *Poedag. c.* 2. ubi prohibet, ne imprimantur imagines idolorum, sed symbola Spiritus S. et Ecclesiae, etc. Annulos quosdam fidelium ex ruderibus effossos et Christi nomine signatos annotavit Baronius a. 57. Annulus est symbolum fidei coniugalis, ut ait S. Isidorus *l.* 2. *de Div. off.* et addit, ideo cum inseri quarto digito sinistro, quod in eo sit vena quaedam, seu potius nervulus, usque ad cor pertingens. Silentii symbolum in annulo agnoscit Casalius *l. de insign. c.* 3. quod annulo sigilla imprimantur. Recte igitur annulus benedicitur. Quando sponsi actu Matrimonium contrahunt, ad maiorem consensus expressionem, *dexteram* sibi invicem *tradunt:*

Traditio dexterae. cuius ritus meminit Tertullianus *de vel. Virg. c.* 11. docens, per dexteram designari pudorem spiritus. Denique olim Ethnici, Iudaei et Christiani solebant capita nuptarum tegere velo croceo, quod *Flammeum* dicebant, quia flammae colorem

Flammeum. referebat. Ab hoc velamine obnubente mulierum faciem, nuptiae dictae sunt, et illud fuit virginei pudoris indicium. Bigami, qui virginalem verecundiam iam exuerant, flammeo non tegebantur. Fuit

Corona etiam mos, in nuptiis sponsos *coronandi*, teste Tertulliano *de Cor. mil.* quae corona multiplex erat; saepius tamen ex ramusculis olivae confecta.

Coroll. Pract. 1° Coniuges ante benedictionem Sacerdotalem, etiam Matrimonio secundum essentialia perfecto contracto, in eadem domo manere, et Matrimonium consummare non possunt, et si consumment, saltem venialiter peccant. 2° Benedictio secundis nuptiis ordinarie non adhibetur; servanda tamen est quoad eam, et alias Caeremonias propriae dioecesis consuetudo. Resolvuntur casus.

ART. 16. *De impedimento impotentiae.*

§ 1241. Decimumquartum impedimentum dirimens Matrimonium est *Impotentia*, quando aliquis est incapax perficiendae copulae ad generationem necessariae. Impotentia.

Schol. Impotentia est duplex: alia *naturalis*, quae oritur ex naturali corporum dispositione, non apta ad perfectam copulam: alia est *accidentalis*, quae oritur ab extrinseco, v. g. morbo, maleficio, etc. Utraque dividitur in *absolutam*, dum quis non potest perficere copulam cum ulla foemina, nec foemina cum ullo viro: et in *respectivam* dum aliquis non potest quidem cum hac foemina perficere copulam, potest tamen cum alia, et vicissim. Rursus dividitur in *antecedentem*, quae ante contractum Matrimonium adest: et *consequentem*, quae post contractum Matrimonium modo accidit. Denique dividitur in *perpetuam*, quae vel sine miraculo, vel sine gravissimo cruciatu sectionis, aut mortis periculo auferri non potest: et in *temporalem*, quae vel per Exorcismos, si sit ex maleficio; vel per artem periti medici sine periculo gravi vitae tolli potest. Ex communiter contingentibus, viri impotentes in iure vocantur *frigidi*, et foeminae *arctae* vel *clausae*. Tunc autem certo adest impotentia, quando vel potentia penetrandi vas vel potentia verum semen emittendi, vel potentia illud immittendi intra vas deest; quod dicitur illis accidere, qui sunt a natura nimis calidi. Quotuplex?

§ 1242. 1. Impotentia exercendi copulam perfectam antecedens et perpetua, iure naturali et Ecclesiastico dirimit Matrimonium contrahendum. 1° De iure naturali patet, quia Matrimonium essentialiter includit obligationem tradendi corpora ad copulam carnalem: quam tamen impedit impotentia perpetua. 2° De iure Ecclesiastico constat ex toto titulo *de frigid. et malef.* Impotentia dirimit Matrimonium.

2. Impotentia vero subsequens, licet sit perpetua, non dissolvit Matrimonium contractum. Nam nec dissolvit Matrimonium consummatum, quod ex dicendis est indissolubile; nec ratum non consummatum, quod ex dicendis per solam Religiosam Professionem, et dispensationem Papae dissolvitur. Idem patet ex c. *Hi*, *caus.* 33. *q.* 7. ubi dicitur: *Hi*, *qui Matrimonium sani contraxerint, et uni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit; ob hanc infirmitatem coniugia talium solvi non possunt.*

Coroll. Pract. 1° Impotentia generandi tantum seu sterilitas, non causat impedimentum, quia saltem adest potentia ad copulam, etsi per accidens non sequatur eius effectus; et tunc habetur saltem finis Resolvuntur casus.

secundarius, seu remedium concupiscentiae. 2° Eunuchus carens utroque testiculo, invalide contrahit Matrimonium: valide tamen contrahit Spado, habens adhuc testiculum. Hermaphroditus debet contrahere secundum sexum praevalentem. Item senes et vetulae, modo illis constet de non plena impotentia ex aetate, valide contrahunt. 3° Perpetuo impotentes, absente periculo incontinentiae, et actuum turpium, si impedimentum sit occultum, uti frater et soror cohabitare possunt, *c.* 6. *d. frigid.* possunt tamen ambo vel alteruter separationem petere, quae ob scandalum nonnisi auctoritate iudicis Ecclesiastici facienda est, praemissa legitima probatione per peritos medicos in viris, et obstetrices in foeminis iurato testantes: ubi deinde soluto Matrimonio, si impotentia fuerit antecedens pars non impotens alteri nubere potest. In dubio, an impotentia sit antecedens, vel consequens, si impotentia sit naturalis, praesumitur esse antecedens: si sit accidentalis, in favorem Matrimonii praesumitur non praecessisse. Si dubium sit, an impotentia antecedens sit perpetua, conceditur triennium ad tentandam copulam; quae si frustra tentata fuerit, separandi sunt coniuges per iudicem Ecclesiasticum, et pars capax ad alias nuptias transire potest, *c.* 6. *de frigid.* 4° Si Matrimonium ob impotentiam in iudicio dissolutum fuerit, postea vero appareat, coniuges esse potentes, si in alio Matrimonio proles generent, regulariter valet primum Matrimonium, et secundum est dissolvendum, *c.* 5. *de frigid.* quia sententia contra primum non transit in rem indicatam, *c.* 7. *de sent. et re iud.* Manet tamen dissolutio primi Matrimonii, si impotentia sublata sit per miraculum, vel artem magicam, quia censetur fuisse perpetua. Item si fuerit respectiva ob arctitudinem foeminae respectu viri prioris, non vero posterioris. Item si fuerit respectiva ob maleficium, quod respectu huius viri non potuit licite tolli. Item si pars separata profiteatur in Ordine Religioso approbato. 5° Foemina impotens propter arctitudinem non tenetur pati incisionem cum periculo vitae, aut gravis morbi; secus, si sine notabili incommodo fieri possit: nec mulier potest dici impotens, si conceptum semen retinere non possit, quia copula perfecta manet. 6° Impotentia Matrimonio tantum rato superveniens non dissolvit Matrimonium; oscula tamen, et tactus ad declarandum affectum coniugalem, vel sedandam concupiscentiam licite exerceri possunt, si periculum pollutionis absit; quia vero hoc periculum raro abest, probabilius haec sunt illicita. Imo et carnalis copula tentari potest, si spes sit eam perficiendi, licet praeter intentionem pollutio contingat. Ita P. Layman. 7° Si maritus ob senium perpetuo destitutus sit potentia seminandi intra vas, non ei licet copula cum periculo pollutionis; secus foret, si adesset spes copulae perficiendae, licet adsit periculum pollutionis. 8° Signa impotentiae ex maleficio ortae esse possunt: si corpora coire non possint: si adsit extraordinaria perturbatio phantasiae, et horror, quando coëundum, etc.

Art. 17. *De impedimento raptus.*

Raptus.

§ 1243. Decimumquintum impedimentum dirimens est *Raptus*, seu abductio et extractio puellae e domo parentum in eum finem, ut ducatur in Matrimonium.

Quotuplex?

Schol. Duplex est Raptus: unus *violentiae*, cum puella invita et reluctans a raptore abducitur e paterna domo: alter *seductionis*, quando blanditiis, aut voluptatis illecebra, aut quocumque alio modo seducta, consentiens raptorem sequitur.

Raptus dirimit Matrimonium.

§ 1244. Impedimentum Raptus iure Ecclesiastico dirimit Matrimonium *inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit. Quod si rapta a raptore separata, et in loco libero ac tuto constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; et nihilominus raptor ipse, ac omnes, illi consilium, auxilium, et favorem praebentes, sint ipso iure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur praeterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio iudicis dotare.* Ita Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 6.

Resolvuntur casus.

Coroll. Pract. 1° Ut raptus sit impedimentum dirimens, requiritur violenta abductio personae, sive per violentam manuum iniectionem, sive per gravem metum, sive per mandatum alteri datum ad vim inferendam. 2° Unde non inducitur hoc impedimentum, si puella sponte consentiat, licet eius parentes, aut tutores non consenserint. Inducitur tamen, si raptor vi abducat sponsam post inita Sponsalia, quia Tridentinum sine restrictione loquitur: non autem inducitur si foemina virum rapiat, quia Tridentinum loquitur de raptoribus. 3° Requiritur, ut sit vera abductio de loco in locum moraliter diversum, qualis non est, si quis foeminam de cubiculo in cubiculum, de domo in proxime viciuam abducat. 4° Requiritur, ut abductio fiat Matrimonii contrahendi causa. Unde non oritur impedimentum, si mulier rapiatur, ut vendatur, spolietur, et probabilius, si rapiatur non Matrimonii, sed libidinis explendae causa, quia de hoc casu Tridentinum non loquitur. 5° Ex verbis Tridentini per se constat, Matrimonium esse nullum, licet mulier violenter abducta, dum adhuc est in potestate raptoris, nec loco tuto reddita, consentiat.

Art. 18. *De impedimentis impedientibus.*

Impedimenta prohibentia Ecclesiae vetitum

§ 1245 Explicatis impedimentis Matrimonium dirimentibus, ad impedimenta prohibentia et impedientia, quae impediunt Matrimonium contrahendum, sed non dirimunt, pergimus. Horum primum est *Ecclesiae vetitum*, seu prohibitio Superioris Ecclesiastici, scilicet Papae, Episcopi, Parochi, alicui nuptias prohibentis ob temporalem aliquam causam, v. g. scandalum sedandum, veritatem impedimenti discutiendam, lites, et dissensiones vitandas.

Resolvun-

Coroll. Pract. 1° Quando Superior alicui ex iustis causis prohibet

tur casus. Matrimonium, valide quidem, si nullum impedimentum dirimens subsit, illicite tamen contrahit Matrimonium. 2° Matrimonium ab Excommunicato contractum, est quidem validum; graviter tamen peccat contrahens, tum ratione indignae susceptionis Sacramenti, tum agendo contra praeceptum Ecclesiae. 3° Tempore interdicti valide, imo probabilius etiam licite, contrahitur Matrimonium; quia illa solum Sacramenta tempore Interdicti prohibentur, quae per ministrum specialiter ad hoc ordinatum administrari debent.

Tempus feriarum. § 1246. Secundum impedimentum prohibens est *Tempus feriarum*, quo celebratio nuptiarum est prohibita. Varia fuit circa hoc tempus Ecclesiae disciplina. Concilium Laodicenum an. 364. *c.* 52. statuit, ut in Quadragesima nuptiae non celebrentur. Concilium Moguntinum an. 1022. statuit tempus ab Adventu Domini usque ad Octavas Epiphaniae: et a Septuagesima usque ad Octavas Paschae: et quatuordecim diebus ante festivitatem S. Ioannis Baptistae: et in diebus ieiuniorum, seu noctibus praecedentibus omnes dies solemnes. Tridentinum vero *Sess.* 24. *cap.* 10. ita statuit: *Ab Adventu D. N. I. C. usque in diem Epiphaniae, et a Feria quarta Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari S. Synodus praecipit: in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit.* Quando igitur non adest iuxta causa, his temporibus Parochus Matrimonio assistere nequit sine licentia Ordinarii petita, si ad spiritualem animarum salutem ita fieri expediat. * (Quod tamen non de ipsa matrimonii celebratione intelligendum est, sed tantum de nuptiarum solemnitatibus).*

ART. 19. *De sponsalibus eorumque requisitis.*

Sponsalia quid? § 1247. Tertium impedimentum prohibens sunt *Sponsalia*, quae definiuntur: Futuri Matrimonii mutua et libera, vera et deliberata promissio, signo sensibili expressa inter personas habiles.

Dividuntur. *Schol.* Sponsalium nomen fluit a verbo *spondeo*, quia in iis fit promissio de futuro Matrimonio: cum vero promissio illa arrhis soleat confirmari, ipsae arrhae subinde Sponsalia vocantur. Subinde etiam Sponsalia pro Matrimonio rato non consummato accipiuntur. Sponsalia, alia sunt *absoluta*, alia *conditionata*: alia *valida*, alia *invalida*: alia *licita*, alia *illicita*. Instituta sunt Sponsalia, ut fideles optime parati ad magnum Sacramentum Matrimonii accedant; sunt enim, quod Catechumenatus ad Baptismum, Tonsura ad Ordines, Novitiatus ad Professionem.

Requisita ad Sponsalia. § 1248. Sponsalia, ut sint valida, debent 1° esse vera ac seria Matrimonii promissio. Nam ubi tantum est ficta promissio, deest consensus internus, et animus se obligandi ad Matrimonium.

2° Promissio debet esse deliberata, et perfecte ac directe voluntaria; quia promissio sponsalitia inducit gravem obligationem institiae, quam nemo censetur sibi velle imponere, nisi deliberate promittat.

3° Promissio debet esse mutua, quia Sponsalia faciunt contractum

perfectum de traditione corporum futura, sicuti Matrimonium de traditione praesenti: sed Matrimonium mutuum consensum exigit (§ 1202.): ergo etiam Sponsalia.

4° Promissio debet esse signo externo expressa, quia debet fieri humano modo, et ab altero acceptari; quod non fit, nisi per signa externa promissio manifestetur.

5° Promissio debet fieri inter personas habiles; nam Sponsalia sunt promissio de futuro Matrimonio. Ergo inter solas personas ad Matrimonium habiles subsistere possunt.

Coroll. Pract. I. 1° Ficte promittens Matrimonium, ad illud quidem non obligatur; si autem altera pars decepta damnum aliquod passa sit, illud ficte promittens compensare debet, vel per pecuniam, vel si gravem infamiam passa esset alio modo non compensabilem, ducendo eam in Matrimonium *(In foro tamen externo, ut via fraudibus praecludatur, ficto etiam promittens, cogitur adimplere promissum).* 2° Qui ficta promissione Matrimonii, puellam ad copulam induxit, tenetur in conscientia corruptam ducere, quia hic intervenit contractus innominatus: do tibi copiam corporis, ut mihi nubas. Deceptor tamen non tenetur ad Matrimonium, 1. Si puella deflorata postea cum alio fornicetur. 2. Si se virginem falso simulaverit. 3. Si satisfactionem pecuniariam sponte acceptet. 4. Si ex Matrimonio gravia mala praevideantur. 5. Si puella deceptionem advertere potuit. 6. Si impedimentum dirimens subsit. Puellae iurato etiam asserenti, se esse ab alio corruptam, in foro externo non creditur, nisi alia indicia adsint. 3° Qui vult promittere, non tamen se obligare, non tenetur stare promissis, quia re ipsa non promittit. Qui autem vult promittere et se obligare, non tamen implere promissum, praeterquam quod graviter peccet, tenetur implere promissum. 4° Ficte promittens Matrimonium, graviter peccat, quia committit mendacium graviter perniciosum; nisi forte alter fraudem advertere potuerit, nec damnum passus fuerit.

Resolvuntur casus de ficta promissione.

Coroll. Pract. II. 1° Ad contrahenda Sponsalia requiritur deliberatio sufficiens ad peccatum mortale, non tamen liberum et voluntarium in causa. Hinc requiritur perfectus et expeditus usus rationis; et in *c. Litteras, de desp. impub.* septennium assignatur, nisi malitia suppleat aetatem. Unde amens, nisi habeat lucida intervalla, et actu ebrius Sponsalia contrahere nequeunt. 2° Requiritur libertas a coactione et metu: et quidem si metus levis fuerit, non reddit Sponsalia irrita, sed a iudice irritanda: si gravis iniuste incussus ad Sponsalia extorquenda, reddit ea probabilius invalida, sicuti ipsum Matrimonium irritat. 3° Sponsalia clandestina sine Parocho et testibus contracta, valida et per se loquendo licita sunt, quia nullo iure prohibentur; per accidens vero irrita et illicita sunt in variis locis, ubi a Superiore Ecclesiastico sunt irritata; adeoque contrahenda sunt iuxta Statuta dioecesana.

De deliberata.

Coroll. Pract. III. 1° Promissio sponsalitia debet esse mutua, ita

De mutua

promissione. ut altera pars repromittat Matrimonium; quia sola acceptatio non trahit post se obligationem Matrimonium contrahendi, licet promittens sub peccato gravi ad illud contrahendum obligetur, Taciturnitas vero non est signum repromissionis, nisi aliunde colligatur, v. g. si tacente puella, parentes eius dicant: hanc filiam nostram damus tibi in sponsam. Nec sola acceptatio arrhae et iocalium sunt signum repromissionis, nisi aliae circumstantiae consensum clarius exprimant. 2° Arrhae revertuntur ad dantem, si iuste a Sponsalibus resiliat; si iniuste perdit illas, *l. 5. C. h. t.* Si arrham accipiens iniuste resiliat, in duplo eam restituere debet: si minorennis det arrham, resiliendo eam non amittit, nec si accepit, ad duplum tenetur. Iocalia secuto Matrimonio manent penes accipientem irrevocabiliter, quia tantum dantur in signum mutui amoris, *l. 12. C. de donat. ante nupt.* Si non sequatur Matrimonium sine alicuius culpa, restitui debent donanti, nisi sponsus cum sponsa habuerit impuros tactus, vel copulam; ubi sponsus dimidiam partem amittit, et sponsa lucratur, *l. 15. C. eod.* Si ex culpa donantis non sequatur Matrimonium, res donata manet penes accipientem: si ex culpa accipientis, reddit ad dantem, *loc. cit.*

De externa. *Coroll. Pract. IV.* Pro manifestanda exterius promissione non requiruntur necessario verba, sed sufficiunt alia signa. Ordinarie sola traditio et acceptatio annuli sine aliis circumstantiis non sufficit: nec quando quis diceret: Propino tibi in Matrimonium, et alter: Deus benedicat: nec quando manus iungunt; quod tamen saepe contractum sponsalitium denotat. Pro cuius cognitione serventur pro foro interno et externo sequentes regulae. *Prima.* Talia verba, vel signa externa, nutus et scriptura sufficiunt, quae veram promissionem mutuam Matrimonii exprimunt, sive ex significatione, sive ex consuetudine, sive intentione contrahentium sint propria. *Secunda.* In foro interno principaliter attenditur intentio contrahentium; in foro externo principaliter attenditur ad verba, secundum quae in communi acceptatione sumpta iudex iudicare debet, et in dubio pro libertate possidentis, non pro valore Sponsalium iudicare potest. *Tertia.* Verba certa Sponsalia significantia, sunt: Promitto tibi Matrimonium; tibi nubere; diabolus me rapiat, nisi tecum copuler. Verba dubia sunt: Non ducam aliam, nisi te; quia videntur facere sensum conditionatum: si quam ducturus sim, ducam te. Nec absolute loquendo haec verba sufficiunt: Tu es mea charissima, cor meum, thesaurus meus; tu es vel eris mea: quia tantum sunt verba amatoria.

De personis habilibus. *Coroll. Pract. V.* Qui habent impedimentum dirimens, invalide contrahunt Sponsalia. Quare si quis primo contraxisset Sponsalia cum Berta, deinde cum Caia, quam etiam impraegnavit eum promissione Matrimonii, valent prima Sponsalia, *c. 1. de Spons. duor.* Conveniens tamen est, ut in hoc casu prima sponsa pro bono prolis cedat iuri suo. Si vero Caia fuisset soror Bertae, sponsus neutram ducere posset: non primam, ob impedimentum affinitatis (§ 1234.) contractum per copulam cum sorore habitam: non secundam, pro-

pter impedimentum publicae honestatis ex primis Sponsalibus ortum (§ 1230.).

Art. 20. *De Sponsalium obligatione.*

Sponsalia sub peccato obligant.

§ 1249. Sponsalia ex iustitia sub peccato gravi contrahentes utrinque obligant ad ineundum suo tempore Matrimonium. Nam omnis contractus onerosus obligat ex iustitia in re gravi sub gravi peccato. Sed talis est contractus sponsalitius, pariens mutuam obligationem in materia gravi, quia magna iniuria alteri infertur. Ergo obligat ex iustitia sub peccato gravi.

Resolvuntur casus.

Coroll. Pract. 1° Contrahentes Sponsalia sine determinatione temporis, statim tenentur, quando opportune Matrimonium celebrare possunt; et si una pars, altera nolente, malitiose differat, peccat mortaliter. 2° Sponsalia per parentes pro infante contracta, eum puberem factum ordinarie non obligant, *c. un. de Desp.* Sponsalia vero sine consensu parentum contracta, sunt valida, licet sint graviter vel leviter pro ratione contemptus parentum illicita. 3° Sponsalia personae Catholicae cum Haeretica communiter sunt illicita, et invalida; quia sunt de re illicita, scilicet Matrimonio ob periculum perversionis prohibito. Ut autem sint licita et valida, debet abesse periculum perversionis, liberum esse Catholicae Religionis exercitium, et omnes proles debent catholice educari, nisi forte ob magnum bonum publicum pars prolium solum catholice educetur. 4° Sponsalia debent esse circa personam determinatam; et si quis promitteret, se unam ex tribus indeterminate ducturum, tenetur quidem unam sibi seligere; quae si nolit, non tenetur ad aliam, sed promissioni satisfecit. 5° Iudex Ecclesiasticus a Sponsalibus sine iusta causa resilire volentem primo monere debet, deinde poenis intentatis cogere, nisi gravia mala ex Matrimonio timeantur. 6° Sponsalia conditionata de praeterito vel praesenti, aequivalent absolutis: de futuro, suspendunt obligationem usque ad eventum conditionis; qui eventus expectari debet, nec malitiose impediri potest: et durante conditione, alia Sponsalia contracta sunt irrita; et iis malitiose impeditis, ob fractam fidem altera pars resilire potest. Si conditio sit impossibilis, contractus est irritus, si re vera obligationem suspendat: si sit turpis, ante eventum conditionis contractus est rescindendus; post eventum vero, licet cum peccato, oritur obligatio contrahendi Matrimonium.

Sponsalia sunt impedimentum prohibens.

§ 1250. Quia igitur Sponsalia pariunt obligationem contrahendi Matrimonium (§ 1249.), ideo Sponsalia sunt impedimentum prohibens Matrimonium, cum alia quam sponsa contrahendum, c. *De illis*, c. *Si inter virum, de Spons.* Et ratio est, quia per Sponsalia non fit donatio, sed tantum promissio.

Solvuntur obiectiones.

Schol. Lutherus *l. de captiv. Babyl. c. de Matr.* contendit, Sponsalia dirimere Matrimonium cum alio contractum. I. Quia sponsus non est amplius sui iuris, cum se alteri tradiderit: et Deus prohibet, in negotio fratrem suum circumvenire. *Resp.* Sponsus adhuc est sui

iuris, cum se necdum alteri donaverit, licet donaturum se promiserit; unde frangendo fidem peccat, quia fratrem circumvenit. II. Votum solemne dirimit Matrimonium, licet sit promissio: ergo etiam Sponsalia illud dirimunt. *Resp.* Quod votum solemne dirimat Matrimonium, statuit Ecclesia ex rationibus allatis (§ 1212.): quod non fecit in Sponsalibus. III. Licet uxori virum suum repetere, non obstante voto solemni post nuptias emisso: ergo etiam sponso licet sponsam repetere, contracto cum alia Matrimonio. *Resp.* Disparitas est, quod uxor possideat corpus viri ut rem suam; sponsa vero nondum illud habet, nisi in spe et promissione.

Art. 21. *De Sponsalium dissolutione.*

Sponsalia solvuntur 1. mutuo consensu.

§ 1251. Sponsalia tamen dissoluta non impediunt Matrimonium cum altera contrahendum. Dissolvuntur autem Sponsalia *primo* licite et valide mutuo utriusque sponsi consensu, etsi iurata fuerint, et copula carnalis accesserit, *c.* 2. *de Spons.* cuius ratio est, quia *omnis res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur*: *c.* 1. *de reg. Iur.* Deinde, sublato contractu tamquam principali, cessat iuramentum velut accessorium. Denique copula per se nullam addit vim Sponsalibus; si tamen damnum illatum sit, compensari debet. Ita declaravit S. Congregatio, teste Pignatelli.

Resolvuntur casus.

Coroll. Pract. 1° Sponsalia impuberum sine dispensatione mutuo consensu dissolvi non possunt, *c. Litteras, de despons. Impub.* ne aetas illa nimiis mutationibus exponatur. Completa vero pubertate, ordinarie illis conceduntur tres dies proximi, inter quos alter ab altero etiam invito resilire potest, *c. De illis, de Spons.* Si tamen impuberes pubertati propinqui Sponsalia sua iuramento, vel copula firmaverint, dissolvi non possunt, nisi mutuo consensu. *c. ex litteris, de Spons.* Matrimonium impuberum nullum quidem est; valet tamen in vim Sponsalium, *c. fin. de desp. impub.* 2° Consensus ex utraque parte debet esse liber a fraude, dolo, et metu gravi iniuste incusso. 3° Ordinarie ad dissolvenda Sponsalia mutuo consensu, non requiritur auctoritas iudicis, nisi in aliqua dioecesi forte aliter statutum fuerit, cui statuto standum erit.

2. Solvuntur per ingressum Religionis.

§ 1252. 2° Sponsalia dissolvuntur per ingressum Religionis ex parte eius, qui in saeculo remanet. Item per votum Religionis ingrediendae aut profitendae; non vero per votum simplex castitatis. Et 1° quidem solvuntur per ingressum Religionis, quia sponsus ingrediendo Religionem ipso facto significat, se Sponsalibus renuntiare, et sponsus in saeculo remanens non censetur se obligare, ut tam diu expectare, et egredientem e claustro recipere debeat. Non tamen solvuntur Sponsalia ex parte ingredientis, quia per ingressum Religionis praecise non fit inhabilis ad contrahendum Matrimonium, cum egredi possit; et alias via panderetur fraudibus, cum quis facile ingrediendo Religionem se a Sponsalibus liberare posset. 2° Per votum Religionis ingrediendae aut profitendae solvuntur Sponsalia; nam sponsus licite

Religionem profiteri potest: ergo etiam licite vovere, rescissis Sponsalibus: sicut enim se habet Matrimonium ratum ad Sponsalia, ita se habet Professio ad votum profitendi: ergo sicuti Matrimonium ratum solvitur per solemnem Professionem, ita Sponsalia solvuntur per votum profitendi. 3° Non tamen solvuntur Sponsalia per votum simplex castitatis: nam *c. Veniens. Qui Cleri., etc.* mulieri post Sponsalia castitatem voventi iniungitur poenitentia propter fidem violatam. Deinde sponso per Sponsalia ius est acquisitum; et ideo Deo grata non est promissio, cum damno et iniuria alterius coniuncta. * (Probabilior tamen videtur sententia opposita, maxime ob decisionem S. C. C. a. 1701. a Pittonio relatam, qua declaratum fuit, votum castitatis, aut suscipiendi Sacros Ordines per electionem melioris status irritare Sponsalia etiam iuramento firmata).*

Schol. Dices I. Matrimonium ratum per Religiosam Professionem ex utraque parte solvitur: ergo etiam Sponsalia ex utraque parte per ingressum Religionis solvuntur; sicuti etiam votum Religionis per ingressum solvitur, licet vovens a Novitiatu recedat: et hoc maxime ex eo, quia obligatio Sponsalium est mutua; quae si ex parte remanentis in saeculo cesset, in altera etiam cessare debet. *Resp.* Disparitas est, quia per ingressum Religionis nullum ius acquirit Religio ad eum retinendum: at vero per Sponsalia sponsa acquisivit ius, ut fides sibi servetur contrahendo Matrimonium, quod nonnisi per Professionem, per quam Religio ius acquirit, fit impossibile et illicitum. Deinde per ingressum Religionis ponitur id, ad quod vovens se obligavit: non vero id, ad quod tenetur quis per Sponsalia. Denique obligatio Sponsalium in fieri, quando actu contrahuntur, est mutua: postea vero ex una solum parte manere potest, v. g. si fidem violet. II. Sponsalibus inest tacita conditio: nisi statum perfectiorem elegero, sicuti inest Matrimonio rato: ergo votum simplex castitatis solvit Sponsalia. *Resp.* Tacita illa conditio in Sponsalibus ex nullo iure habetur; sicuti tamen in Matrimonio rato, si statum Religiosum quis elegerit, a Tridentino *Sess.* 24. *de Matr. can.* 6. colligitur. III. *C. Pervenit, de iureiur.* dicitur: *Promissum non infringit, qui in melius illud commutat.* Et certe vinculum voti Deo facti est fortius vinculo Sponsalium: ergo votum simplex castitatis illud solvit. *Resp.* Citatum capitulum loquitur de voto sine praeiudicio, vel cum consensu tertii commutato. Item votum in tantum a Deo acceptatur, in quantum respicit voventem; non vero in quantum est in praeiudicium tertii. — Solvuntur obiectiones.

Coroll. Pract. 1° Per votum alteri Religionis ingrediendae solvuntur quidem Sponsalia; si tamen alteri parti damnum exinde emergat, dispensatio petenda est. Qui vero Religionem ante vel post Sponsalia vovit, ac postea Matrimonium contraxit, soluto per mortem Matrimonio, Religionem, si sit idoneus, ingredi tenetur. 2° Votum castitatis simplex post contracta Sponsalia factum, obligat, ut si una pars resiliat, votum observari debeat; item quod vovens debitum reddere, non vero petere possit; quod soluto Matrimonio, imo etiam eo duran- — Resolvuntur casus.

te, in quantum sine ininria sponsae licet, votum observari debeat. Votum tamen castitatis post Sponsalia ordinarie est illicitum, maxime si fraudulenter fiat: si bona fide ex animo maioris perfectionis, vovens a peccato excusari potest, dummodo paratus sit ad contrahendum Matrimoninm, si a Iudice Ecclesiastico compellatur. 3° Per se loquendo, licitum est sponso vel sponsae post contracta Sponsalia vovere Religionem, si grave damnum alteri exinde non emergat. 4° Susceptio S. Ordinis probabilius dissolvit Sponsalia, quia absolute impedit Matrimonium. Sponsalia absoluta post votnm perpetuae castitatis, vel suscipiendi S. Ordines, vel non nubendi, vel ingrediendi Religionem contracta, sunt invalida, utpote de re illicita: si tamen pars decepta grave damnum pateretur, nonnisi per Matrimonium resarciendum, vovens dispensationem n voto petere teneretur. Sponsalia vero conditionata, v. g. si obtineatur dispensatio, post eventum conditionis obligant. 5° Ordines minores non dissolvunt Sponsalia, qnia Matrimonium non reddunt impossibile. Si quis tamen, altera parte inscia vel invita, Ordines minores susciperet, ex parte ipsius dissolvuntur Sponsalia, tum ob notabilem mutationem, tum quia videtur iuri suo cedere.

Fornicatio solvit Sponsalia. § 1253. *Tertio.* Sponsalia dissolvuntur per fornicationem unius sponsi: in qno casu Sponsalia solvuntur ex parte alterius, c. *Quemadmodum de iureiur.* Ubi sequentes rationes dantur: 1. Quia sponsus sub fide Sponsaliorum servanda, ea contraxisse praesumitur. 2. Frangenti fidem fides servanda non est. 3. Fornicatio est causa iusta divortii: ergo etiam solvendi Sponsalia.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Sponsalia ob fornicationem tantnm ex parte innocentis dissolvuntnr; fornicator vero ad nuptias compelli potest. Si sponsa oscula et tactus impndicos ab altero viro admittat, Sponsalia rescindi possunt, quia censetur impudice vivere: ob oscula vero et tactus impndicos a viro alteri foeminae factos, sponsa resilire nequit, quia viro nulla infamia ordinarie ex hoc accidit, nisi sint frequentes, et maiorem amorem erga aliam arguant. 2° Si sponsa vim ab altero passa fuit, merito, repudiatur, c. *Raptor*, *caus.* 27. *q.* 1. quia fit notabiliter vilior. Si vero aperte constet, sponsam in somno esse oppressam sine omni culpa, sponsus resilire nequit, quia nullum dedecus contrahit. 3° Si uterque sponsus post Sponsalia fornicatus fuerit, non compensatur delictum delicto, sed sponsus fornicariam sponsam repudiare potest; non vera sponsa sponsum, qnia foedior est fornicatio in foemina, quam in viro. 4° Si Sponsalia publice coram Parocho et testibus contracta sint, crimen vero sponsi vel sponsae sit occultum, nec sine infamia revelari possit; moneat sponsus sponsam, ut a Sponsalibus recedat, et si nolit, propria auctoritate resilire potest.

Sponsalia solvuntur per longam absentiam. § 1254. *Quarto.* Sponsalia dissolvuntur, si sponsus post Sponsalia non obtenta licentia sponsae, in terras longinquas brevi non rediturus abeat; vel terminus praefixus ad finiendam obligationem sit elapsus. Ratio 1ᵐⁱ est, quia sponsus tam longe discedens iuri suo renuntiasse

censetur, *c. De illis, de spons.* Ratio 2° est, quia in illo casu obligatio praefixo tempore nuptias celebrandi violatur; adeoque iusta causa resiliendi parti ad nuptias paratae praebetur, *c. Sicut, de Spons.*

Coroll. Pract. 1° Si sponsus ob iustam causam necessariam diutius abesse cogatur, sponsa expectare debet, *l. Saepe, ff. de Spons.* nisi aliter conventum, vel periculum incontinentiae sit, vel gravis necessitas urgeat, ita ut fiat notabilis mutatio. 2° Si sponsus ob causam voluntariam iustam discesserit, tunc secundum ius civile biennio expectandus est, si intra Provinciam: triennio vero, si extra Provinciam moretur, *l. 2. c. de spons.* Quae leges iure Canonico non videntur esse correctae, licet Iudex Ecclesiasticus pro diversitate circumstantiarum ob periculum peccati eas moderari possit. *(terminum absenti figendo, quo elapso, liberum sit alteri parti a Sponsalibus resilire, uti declaravit S. C. a. 1725).* 3° Si sponsus in alienam terram domicilium mutaturus se transferat, sponsa hoc ipso a Sponsalibus liberatur, *c. De illis, de Spons.* non vero si negotii vel studiorum causa a loco recedat cum animo revertendi, quia domicilium non mutat. 4° Si terminus praefixus sit ad finiendam obligationem, post tempus elapsum cessat obligatio: si vero terminus sit praefixus ad exequendam, et non differendam obligationem, ita ut dilator deinceps sit in mora culpabili, post elapsum tempus statutum pars ad nuptias parata ob culpabilem alterius moram resilire potest, *c. Sicut, de spons.* altera vero moram trahens manet obligata, praefixo etiam tempore elapso, si pars innocens velit. Resolvuntur casus.

§ 1255. *Quinto.* Sponsalia dissolvuntur, si notabilis mutatio ex parte unius, vel utriusque superveniat, aut impedimentum Matrimonium dirimens oriatur; quia intentio promittentis non censetur se extendisse ad casum valde difficilem, qui quemvis hominem prudentem a Matrimonii promissione absterruisset. Sponsalia solvuntur per notabilem mutationem supervenientem.

Coroll. Pract. 1° Notabiles mutationes, ob quas a Sponsalibus recedere licet, sunt: lepra, paralysis, morbus epilepticus vel alius incurabilis: amissio oculi, nasi, vel alia corporis deformitas: notabilis famae, et bonorum iactura, graves inimicitiae, etc. nam in Sponsalibus semper intelligitur tacita conditio: si res in eodem statu permanserit. Quod si eiusmodi defectus tempore contractorum Sponsaliorum ab una parte probabiliter ignorabantur, iis postea cognitis, a Sponsalibus recedere licet, nisi sciens defectum, et ius suum resiliendi alteram partem carnaliter cognoscat, quo casu Sponsalia ratificare censetur. 2° Si sponsa ab alio impraegnata fuerit, debet vel Matrimonium declinare, vel sponso manifestare, ne proles legitimae nasciturae damnum patiantur. Deflorata ab alio, vel alio defectu notabili laborans, unde Matrimonium valide difficile redditur, et altera pars graviter offenditur, si hoc praevideat, a Sponsalibus abstinere, vel resilire debet. Quod si tamen post Sponsalia inita, una pars notabiliter ditior, vel nobilis fiat, probabilius resilire non licet; quia iniquum est, ut altera pars privetur iure suo, si non deterior facta sit. Resolvuntur casus.

Impedimentum voti. § 1256. Quartum impedimentum prohibens Matrimonium est *Votum* simplex perpetuae castitatis, vel ingrediendi, et profitendi Religionem, vel suscipiendi Ordinem sacrum, vel non nubendi. Ratio est, 1° Quia votum castitatis simplex est servandum (t. 2. § 827.). Sed hoc servari non potest ab eo, qui uxorem duxit, ob debitum reddendum. Ergo est impedimentum prohibens Matrimonium. 2° Est tamen solummodo impedimentum prohibens, non vero dirimens; tum quia ita declararunt Alexander III. Coelestinus III. et Bonifacius IV. *c. Consuluit.* Et *c. Rursus. Quia Clerici vel voveant, etc.* Et *c. un. de voto in* 6. tum quia votum simplex castitatis etc. obligat quidem in conscientia; non tamen transfert dominium rei promissae ab eo, qui promisit, in eum, cui promissa est; et ideo si is, qui promisit, sententiam mutet, et rem alteri re ipsa donet, ille quidem peccat; donatio temen vim suam habet.

CAP. VII.

De potestate Ecclesiae dispensandi in impedimentis Matrimonii.

Ecclesia in nonnullis impedimentis dispensare potest. § 1257. In impedimentis hucusque recensitis, saltem nonnullis, Ecclesia ex urgentibus causis dispensare potest. 1° Quia Ecclesia impedimenta Matrimonii statuere potest (§ 1208.) Ergo etiam in iis dispensare. Hinc 2° Papa dispensavit in nonnullis gradibus, *Lev.* 18. prohibitis, qui tamen iure naturae non prohibentur (§ 1214. Schol. 2.) Sic Martinus V. dispensavit cum viro nobili in primo gradu affinitatis lineae transversae. Alexander VII. dispensavit cum Emmanuele Rege Lusitaniae, ut duceret uxorem sororem uxoris defunctae. Iulius II. dispensavit cum Henrico VIII. Rege Angliae, ut duceret Catharinam uxorem fratris sui defuncti; cumque Henricus alterius amore captus, dispensari non potuisse asseruisset, Clemens VII. consultis Theologis, et Canonistis ex totius pene orbis Academiis, dispensationem hanc licitam et validam declaravit. Item Innocentius X. dispensavit cum Casimiro Poloniae Rege, ut uxorem fratris defuncti duceret. Et an. 1651. cum Senatore Burdigalensi, ut successive duas sorores acciperet. Iuste ergo definit Tridentinum *Sess.* 24. *can.* 3. ***Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis, et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant; anathema sit.***

Dispensationes olim rarae fuerunt. *Schol.* Olim in impedimentis Matrimonii raro Ecclesia dispensavit; nam Robertus Rex Francorum contrahens cum sua commatre, cuius filium de sacro Fonte susceperat, ob impedimentum spiritualis cognationis dispensationem obtinere non potuit. Saeculo vero 12^mo^ et 13^tio^ Pontifices Alexander III. et Innocentius III. maiorem ad dispensationes viam aperuerunt.

Quis dispensare §. 1258. 1. Super impedimentis solum prohibentibus Matrimonium, dispensare potest pro utroque foro Papa, et ex iuxta causa etiam

Episcopus. Nam haec impedimenta sola lege Ecclesiastica statuta fuerunt. Ergo supremus legislator seu Papa in iis dispensare potest. Item etiam ex iusta causa Episcopus, iuxta Benedictum XIV. *de Syn. l.* 7. *c.* 31. Licet enim in lege Superioris non possit inferior dispensare, potest tamen, si per legitimam consuetudinem contrarium sit introductum: sed constat de consuetudine Episcoporum, super impedimentis prohibentibus dispensandi: ergo possunt. possit ?

2. Super impedimentis iure tantum Ecclesiastico Matrimonium dirimentibus, solus Papa, non vero ordinarie Episcopus, maxime si sint publica, dispensare potest. Quod Benedictus XVI. *loc. cit.* probat: 1° Quia Sacrae Congregationes Concilii, et Inquisitionis non semel proscripserunt tamquam falsam, et temerariam propositionem asserentem Episcopo ius dispensandi super impedimento dirimente publico, quod obsistat Matrimonio contrahaendo. 2° Quia nunquam constat de consuetudine, hoc ius dispensandi Episcopo concedente; quae si praetendatur, examinandum est, an habeat omnes conditiones necessarias, ut possit praevalere legi Episcopo inhibenti, ne Superioris statutum infringere, aut quoquo modo relaxare praesumat.

3. In casibus tamen extraordinariis urgentis necessitatis pro foro conscientiae Episcopus super impedimento dirimente Matrimonium iam contractum dispensare potest. Cuius ratio est 1° Quia incredibile est, velle Papam urgente necessitate cum periculo animarum dispensationem super impedimentis sibi reservare, cum hoc bono Ecclesiae regimini officeret. 2° Ex consuetudine praescripta et Papae consensu, sibi hoc ius Episcopi vendicant. Et Zerola in *Praxi Episcopo*, sibi ita Roma responsum esse testatur; quod idem confirmat Benedictus XIV. *loc. cit.*

Coroll. Pract. 1° In impedimentis iure Divino, vel naturali Matrimonium dirimentibus, ne quidem Papa dispensare potest. 2° Episcopus non potest dispensare in impedimento prohibente, orto ex Sponsalibus, et ex voto aut ingrediendae Religionis, aut perpetuae castitatis, quod nisi conditionatum fuerit, Papae reservatur. 3° Nonnulli Episcopi in utroque foro in quibusdam impedimentis dirimentibus ex privilegio sibi a Papa concesso dispensare possunt; quod ex illorum privilegiis discendum erit. 4° Ut Episcopus urgente necessitate pro foro interno in impedimento dirimente Matrimonium publice contractum dispensare possit, requiritur 1. Ut Matrimonium sit contractum in facie Ecclesiae cum omnibus solemnitatibus. 2. Ut sit contractum bona fide ex iuris et facti ignorantia. 3. Ut sit consummatum. 4. Ut non sit impedimentum publicum. 5. Ut non possit facile adiri Papa, ob coniugum paupertatem, locorum distantiam, et alias similes causas. 6. Ut non possit separatio fieri sine scandalo. Dispensatio autem haec ab Episcopo obtenta prodest tantum pro foro conscientiae, non vero pro foro externo, ut in eo Matrimonium convalescat. Unde si impedimentum antea occultum, postea manifestetur, et ad forum contentiosum deducatur, opus erit nova dispensa- Resolvuntur casus.

tiono a Papa impetranda. 5° Episcopus etiam in casu urgentissimae necessitatis, concurrentibus praedictis conditionibus, dispensare potest pro foro interno super impedimento occulto iuris Ecclesiastici, etiam antequam Matrimonium contrahatur, si v. g. paratis omnibus pridie nuptiarum impedimentum occultum innotescat: quia Papa in hoc casu praesumitur Episcopo delegare potestatem.

ART. IX. *De causis requisitis ad dispensationes matrimoniales.*

Dispensatio requirit iustam causam. § 1259. Ad dispensationes Matrimoniales requiritur legitima causa, quia alias non cederent in bonum commune. Hinc dispensationem petens veram causam allegare debet; alias, si taceatur veritas, quae iure, stylo, et consuetudine exprimi debet, vel illud falso allegetur, quod Pontificem rationabiliter secundum ius movere potest; subreptitia erit dispensatio.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* Causae legitimae dispensandi super impedimentis sunt: 1° *Angustia loci*, ita ut quis consanguineo vel affini nubere cogatur, ne innuptus vivere, et coniuge, statu, divitiis et Religione pari carere debeat. 2° *Incompetentia dotis*, quando foemina non habet dotem competentem, vel saltem litibus involutam, nisi v. g. consanguineo eam volenti et defendenti nubat. Quo etiam reducitur causa dotis cum augmento: item pro indotata, quando foemina invenit virum, qui eam sine, vel cum minori dote ducere vult. 3° *Ætas* superadulta foeminae, ita ut alium virum, nisi v. g. affinem reperire non possit. 4° *Copula* habita cum viro impedimento ligato, ubi exprimi debet, an sub spe facilius impetrandae dispensationis habita fuerit. 5° *Infamia* orta ex nimia familiaritate cum suspicione habitae copulae cum affine, ita ut sine Matrimonio foemina graviter diffamaretur. 6° *Matrimonium* bona fide cum impedimento dirimente contractum et consummatum, ita ut sine damno prolis, et scandalo separatio fieri non possit; ubi exprimi debet, an detecto impedimento copula habita fuerit. 7° *Sedatio* gravium inimicitiarum, et extinctio litis gravis momenti, vel confirmatio pacis. 8° *Oratrix* filiis aggravata, quos vir alere promittit. Item quando periculum est, ne Oratores cum haereticis contrahant. 9° Sine causa ex rationalibus causis non allegata. Item ut bona in familia conserventur: aut personarum dignitate fulgentium merita praemientur. 10. Dispensatio obtenta ex falsis causis non operatur. Si fiat in forma gratiosa, sufficit, causam tempore gratiae datae verificari, licet postea deficiat: si in forma commissoria, tempore executionis causa vera esse debet, licet forte tempore datae vera non fuerit. Si causa finalis ante applicatam actu dispensationem cesset, dispensatio non valet, si cesset post factam applicationem, etiam ante executionem valet. Dispensatio a Superiore sine legitima causa, illicita quidem, valida tamen est. 11. S. Poenitentiaria Romae tantum dispensat pro foro interno in impedimentis occultis pro contrahendo et contracto Matrimonio, excepta consanguinitate in primo et secundo gradu. Si ergo ab hoc tribunali

petatur dispensatio, non vera, sed ficta nomina Oratorum exprimuntur. Dataria vero vel Cancellaria dispensat in impedimentis publicis et notoriis pro foro externo, et pro foro interno in secundo gradu consanguinitatis occulto. 12. Si petatur dispensatio pro foro externo, exprimendum est nomen, cognomen, Dioecesis, Parochia et locus Oratorum. Item impedimentum distincte exponi debet, et si plura adsint, exponenda sunt. Item exprimi debent causae motivae verae; et si copula intervenerit, exprimi debet, an cum scientia impedimenti, sub spe facilitandi dispensationem, gradus consanguinitatis remotior et propinquior; in affinitate copula licita vel illicita etc. exprimi debet. 13. Dispensatio pauperibus datur in forma pauperum gratis, etsi Agenti aliquid solvendum sit. Pauper autem censetur ille, qui ex stabili redditu non potest se et familiam suam per annum commode alere. In Poenitentiaria nihil solvitur. Formulas supplicationum pro obtinenda Romae dispensatione vide apud P. Schmier, et P. Voit. 14. Dispensatio Romae petita pro foro interno, ordinarie committitur Confessario; pro foro externo, Episcopo, vel Vicario generali sive officiali. Clausula: *Si ita est, etc.* denotat, quod executor dispensandum examinare debeat, an vera sit causa; quae si falsa sit, ad dispensationem procedere nequit. Per verba: *Audita prius eius Sacramentali Confessione*, innititur, eam dispensationi praemitti debere. Per verba: *Iniuncta ei salutari poenitentia*; intelligitur poenitentia gravis pro gravitate delicti. Acceptas Roma litteras executor coram Oratore aperire debet, et excepta Oratoris Confessione Sacramentali, dataque Absolutione, addat: *Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento N. ita ut illo non obstante Matrimonium contrahere, vel si contractum sit, renovato consensu in eo remanere possis et valeas cum N. in nomine P. et F. et S. S. Eadem auctoritate Apostolica prolem, quam ex Matrimonio susceperis, legitimam declaro et pronuncio, in nomine P. et F. et S. S.* Deinde litterae lacerantur.

§ 1260. Effectus Sacramenti Matrimonii sunt varii. Primus est gratiae sanctificantis augmentum, uti patet ex dictis (§ 1199.). *Effectus Matrimonii.*

Schol. Praeter gratiam sanctificantem, Sacramentum Matrimonii confert coniugibus gratiam Sacramentalem. 1. Ut mutuas infirmitates in vita sociali occurrentes alacrius perferant. 2. Ut prolem natam pie et Christiane educent. 3. Ut concupiscentiam refraenent, et casto amore se diligant. *Gratia sanctificans. Gratia Sacramentalis.*

CAP. VIII.

De indissolubilitate Matrimonii.

§ 1261. Alter effectus Matrimonii est, quod Matrimonium fidelium ratum et consummatum quoad vinculum ita sit indissolubile, ut ne quidem ob adulterium alterius coniugis dissolvi quoad vinculum possit. Ratio est 1° Quia *Matth.* 5. Christus ait: *Omnis, qui dimiserit uxo-* *Indissolubilitas Matrimonii.*

rem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari: et qui dimissam duxerit, adulterat. Haec verba: *Qui dimissam duxerit, adulterat,* vel uuiversaliter accipi debent; et sic qui dimissam etiam ob fornicationem duxerit, moechatur: vel accipi debent cum exceptione fornicationis; adeoque qui fornicariam a viro dimissam duxerit, non moechatur, et sic melior erit conditio fornicariae, quam castae, quia fornicaria libere nubere posset; casta vero iniuste dimissa nec suum virum habere posset, nec alteri nubere, quod est absurdum. Item *Marci* 10. *v.* 11. dicitur: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Et *Luc.* 16. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur; et qui dimissam a viro ducit, moechatur.* Idem docet S. Paulus *ad Rom.* 7. *v.* 3. *Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Et 1. *ad Cor.* 7. *His, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Iam sic: Talis mulier, vel sine iusta causa discessit, quod dici nequit; alias S. Apostolus non deberet dicere: maneat innupta, aut viro suo reconcilietur: sed diceret: maneat innupta, donec viro suo reconcilietur, et omnino ad virum suum redeat: vel mulier illa discessit ex iusta causa, v. g. divortii ob fornicationem viri; sed neque tunc iuxta S. Paulum potest nubere, adeoque etiam fornicatio non solvit vinculum Matrimonii: certe Apostolus non loquitur de muliere adultera a viro eiecta, quia iubet eam non discedere: ergo non loquitur de coacta discedere 2° Probatur ex Traditione. Saeculo 2° S. Iustinus *Apol.* 1. ait, eum adulterium committere, qui repudiatam a viro adultero duxerit. Saeculo 3° Origenes *tr.* 7. *in Matth.* dicit, Episcopos permittentes mulieri nubere, viro priori vivente, agere contra Scripturam. Saeculo IV. S. Hieronymus *ep. ad Amand.* esse illicitum ait, etiam causa fornicationis, vivente coniuge ad alias nuptias transire. Saeculo 5° idem docuit S. Augustinus *l. de adult. coni.* et *l. de bon. coni.* Saeculo 6° Primasius *in* 1. *ad Cor.* 7. Saeculo 7° S. Isidorus *l.* 2. *de Div. off.* c. 19. Saeculo 8° Ven. Beda *in c.* 10. *Marci*, etc. 3° Probatur ex Conciliis. Concilium Eliberitanum a. 305. *c.* 9. ait: *Fidelis foemina, quae adulterum maritum reliquit fidelem, et alterum duxerit, prohibeatur.* Conc. Milevitanum a. 416. c 10. *Placuit, ut secundum Evangelicam, et Apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri coniungatur.* Conc. Foroiuliense a. 781. *Placuit, ut resoluto fornicationis causa iugali vinculo quoad thorum, non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere.* Conc. Nannetense a. 900. *c.* 12. ait: *Cuius uxor adulterium perpetravit .... dimittat uxorem, si voluerit propter fornicationem .... vir vero eius, illa vivente, nullatenus aliam accipiat.* Idem statuit Florentinum in Decreto. Et Tridentinum *Sess.* 24. *can.* 5. *Si quis dixerit, propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a coniuge dissolvi posse Matrimonii vinculum; anathema sit.* Et *can.* 7.

Si quis dixerit, Ecclesiam errare cum docuit, et docet iuxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum Matrimonium non posse dissolvi, et utrumque etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge vivente aliud Matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit.
4° Si Matrimonium vivente altero coniuge foret dissolubile, via panderetur innumeris iniustis repudiis, et aliis gravibus incommodis: ergo est indissolubile.

Schol. 1. Graeci iamdudum in eo errore versantur, ut vinculum Matrimonii dissolvant propter adulterium: quo vero tempore hic error apud eos inceperit, non satis constat. Saeculo 6° lege a Iustiniano Imperatore lata licitum fuit, ex certis causis repudiata uxore, aliam ducere; quae lex etiam saeculo 4° aetate S. Chrysostomi *hom.* 1. *in* 7. *c. ad Cor.* viguit. Verum haec lex ab Ecclesia Graeca approbata non fuit, reclamante S. Chrysostomo *loc. cit.* et S. Gregorio Naz. Suspicari tamen licet, ab his legibus multum roboris accepisse perversum hunc Graecorum errorem, dum nonnulli Episcopi hunc abusum, ne Imperatoribus obluctari viderentur, tolerarent. Nec Nicolaus I. in dissidio cum Photio, nec Innocentius III. in Concilio Lateranensi, nec Gregorius X. in Concilio Lugdunensi hunc errorem Graecis exprobrarunt, vel quod tunc temporis in usu non esset, vel quod prudenter tunc dissimularent, licet solam mortem pro dissolutione vinculi coniugalis assignarent. In Concilio etiam Tridentino, teste Pallavicino *in hist. l.* 22. *c.* 4. paratus iam fuit Canon cum anathemate in eum, qui diceret, Matrimonia consummata ob adulterium dissolvi: sed Oratores Veneti Patribus exposuerunt, non modicam offensionem Orientali Ecclesiae, praesertim vero insulis Cretae, Cypro, Corcyrae et aliis locis Reipublicae subiectis, exinde orituram cum publicae quietis et Ecclesiae detrimento; cum forte a Graecis errantibus meliora sperari possent, si non anathemate percuterentur, et ad tumultus provocarentur. Ita Oratores Veneti petita obtinebant, Canone septimo temperato, et eo modo, quo legitur, reformato. Licet vero negari non possit, Canone sic reformato Graecos aperte non damnari, et lato anathemate Lutheranos tantum percelli; nihilominus tamen doctrina a Synodo proposita, scilicet Matrimonium ob fornicationem seu adulterium non dissolvi, est dogma fidei, et sola poena anathematis in gratiam Graecorum immutata et revocata fuit; tum quia vocat hanc doctrinam Evangelicam, et Apostolicam; tum quia solus sonus, non vero significatio mutata fuit. Hinc Launoius male censet, hunc Canonem ad meram disciplinam pertinere, quam Ecclesia pro circumstantiis temporum immutare possit. Graecorum error.

Schol. 2. Lutherus in *l. de captiv. Babyl.* circa dissolubilitatem Matrimonii nihil statuere audebat, sed post annos tres *in* 1. *ad Cor.* censuit, vinculum Matrimonii solvi posse non solum ob adulterium, sed etiam si falsus Christianus coniugem Christianam deserat; si ad Solvuntur obiectiones.

peccatum inducat; si ob rixas molesta fiat cohabitatio: si coniux diu absit. Et *l. de caus. Matrim.* addit, pauperem cum divite nubentem posse ad aliud Matrimonium transire, si divitem ob amicos contradicentes retinere non possit. Bucerus *in* c. 19. *Matth.* docet, toties dissolvi vinculum coniugale, quoties uxor viro non se commodam, et e converso, reddit. Moderni vero Lutherani cum Melanchtone in *loc. Theol.* in duobus tantum casibus hanc dissolutionem permittunt; scilicet, quando unus coniux fornicatur, et quando alterum iniuste deserit. Calvinus *l.* 4. *Instit. c.* 19. solum adulterium pro causa dissolutionis admittit. I. Quia *Matth.* 19. *v.* 9. Christus ait: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.* Ubi loquitur Christus de dimissione uxoris ob fornicationem, quoad vinculum, quia loquitur de ea, quae in Lege veteri in usu erat, et de qua a Pharisaeis interrogabatur, quae erat dimissio quoad vinculum. Deinde, qui dimittit uxorem suam, excepta causa fornicationis, *εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ*, moechatur. Ergo a contrario bene infertur: Qui propter causam fornicationis dimittit uxorem, et aliam ducit, non moechatur. *Resp.* S. Augustinus *l. contr. Adimant.* c. 3. textum ita explicat, ut ly *moechatur*, ad utramque sententiam referatur, scilicet: Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, moechatur; et qui aliam duxerit, moechatur: bis enim moechatur, qui uxorem ducit priori dimissa extra casum fornicationis: semel, adulterio uxoris, cuius per iniustam dimissionem causa fuit; et semel proprio adulterio, ducendo aliam uxorem. Haec solutio satis conformis est verbis S. Matthaei c. 5. *Quicumque dimiserit uxorem, excepta causa fornicationis, facit eam moechari.* S. Thomas *in* 4. *d.* 35. *q. un. a.* 5. *ad ult.* illud: *Nisi ob fornicationem*, vult, pertinere ad dimissionem, cum qua immediate coniungitur, et esse parenthesim; ita ut sensus sit: Quicumque dimiserit uxorem (quod non licet, nisi ob fornicationem), et aliam duxerit, moechatur. Christus enim respondet Pharisaeis quaerentibus, an liceat dimittere uxorem quacumque ex causa; et dicit, non licere, nisi adsit causa gravis fornicationis: unde interrogatus a discipulis suis, *Marci* 10. *v.* 11. sine hac parenthesi absolute dixit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Rursus S. Augustinus *l.* 1. *de adult. coni. c.* 9. docet, Christum illud: *Nisi ob fornicationem*, accepisse negative, non exceptive, ita ut sensus sit: Quicumque dimiserit uxorem suam extra causam fornicationis, et aliam duxerit; moechatur. Ubi affirmatur quidem adulterium eius, qui uxore dimissa extra causam fornicationis, aliam duxerit; sed nihil dicitur de eo, qui dimissa uxore ob fornicationem, aliam duxerit. Hoc modo Christus elusit captiosam interrogationem Pharisaeorum, an liceat ex quacumque causa uxorem dimittere, dicens, non licere, quia non licet dimittere non fornicariam, et aliam ducere: an vero liceat dimittere fornicariam quoad vinculum, ad calumnias eorum evitandas aperte dicere noluit, cum hoc ex verbis suis praece-

dentibus de institutione Matrimonii: *Quod Deus coniunxit, homo non separet,* non licere, satis colligere potuerint. Si ergo illa verba: *Nisi ob fornicationem,* sumantur cum S. Thoma exceptive, tunc loquitur Christus de dimissione quoad thorum, non vero quoad vinculum: si vero cum S. Augustino sumantur negative, loquitur de dimissione quoad vinculum: sed hanc dimissionem in causa fornicationis non concedit, quia dicit, esse illicitam sine causa fornicationis, sed non dicit, esse licitam cum causa fornicationis. Iuxta has explicationes modo positas regulanda est propositio citatae propositioni contradictoria: si enim sensus illius sit: Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, moechatur illam dimittendo, quia facit eam moechari, et moechatur aliam ducendo, adeoque bis moechatur; tunc contradictoria erit: Qui propter fornicationem dimittit uxorem et aliam ducit, dimittendo et accipiendo non bis moechatur. Si sumatur exceptive: Qui propter fornicationem dimittit uxorem et aliam ducit, non peccat quidem dimittendo; aliam tamen ducendo moechatur: tunc contradictoria haec falsa est: Qui propter fornicationem dimittit uxorem et aliam ducit, peccat eam dimittendo, et aliam ducendo non moechatur. Si sumatur negative: Qui sine fornicatione uxore dimissa aliam ducit, magis graviter peccat; contradictoria erit: Qui etc. non magis graviter peccat; quod iterum falsum est, quia facit iniuriam uxori innocenti. Particula μὴ exceptive et adversative in S. Scriptura sumitur, uti *Apoc.* 21. *v.* 27. II. Launoius in *tr. de reg. in Matr. pot.* multos Patres citat, qui dicunt, Matrimonium ob adulterium dissolvi: maxime vero S. Ambrosium, qui *in* 1. *ad Cor.* 7. ait, virum posse uxore adultera dimissa, aliam ducere, non vero mulierem ob contrariam consuetudinem. Lactantius in *epit. c.* 6. *Nunquam coniugalis foederis vinculum, nisi quod perfidia ruperit, resolvatur.* Eodem modo loquitur Avitus Vienn. *ep. ad Ansemund. Resp.* Patres a Launoio citati vel loquuntur de separatione quoad thorum et cohabitationem; vel nonnulli praesertim Graeci, uti S. Basilius, et S. Epiphanius, obscuri et incerti videntur: alii, uti Asterius, Theodoretus, et Iustinianus et alii recentiores Graeci, a vero aberrant; nonnullos etiam Launoius non satis genuine refert, uti D. Tournely probat. Citati Commentarii non sunt Ambrosii, sed alicuius haeretici Luciferiani, qui forte loquitur secundum leges civiles ab Ecclesia reprobatas. Lactantius et Avitus loquuntur de separatione quoad thorum. III. Poenitentiale Romanum in causa adulterii permittit parti innocenti, ad alia vota transire. Idem legitur in Concilio Vermeriensi *can.* 5. et Compendiensi *can.* 8. et in *c. Si quis eum, can.* 32. *q.* 7. *Resp.* Haec Concilia loquuntur de antiqua disciplina, qua publice poenitentes adulteri, mortuo etiam coniuge, ad alia vota transire non poterant; quae tamen defuncto coniuge permittuntur innocenti. IV. Gregorius II. *ep.* 14. *ad Bonif.* dissoluto propter infirmitatem coniugali nexu, viro permittit aliam ducere. Et Clemens III. *c. Laudabilem, de Divort.* permisit solvi Matrimonium propter hae-

resim alterius coniugis. Et Ioannes VIII. *ep.* 65. ait: *Cum priorem legitimo sibi Matrimonio iunctam quisquam deserere nequeat, illi conceditur in causa fornicationis, aliam vivente priore conducere. Resp.* Gregorius loquitur de casu impotentiae dirimentis Matrimonium (§ 1228. Schol. 1.). Clemens III. ut doctor privatus errare potuit, nisi forte solam dissolutionem quoad thorum intellexerit. Textus Ioannis VIII. corruptus est; sic enim refertur *t.* 9. *Concil. Et ideo cum priorem legitimo sibi Matrimonio iunctam quisquam deserere nequeat, nulla ratione prorsus illi conceditur, aliam vivente priore ducere.* V. Caietanus. *ad c.* 19. *Matth.* et Catharinus in *annot. ad Caiet.* putant, ex Evangelio, et Apostolo non posse colligi, non licere in causa fornicationis aliud Matrimonium inire; hoc tamen variis Canonibus esse prohibitum, nec debere fieri, nisi ex Ecclesiae auctoritate. *Resp.* Hi Auctores Ecclesiae iudicio se expresse subiiciunt, et ante definitionem Tridentini obierunt; adeoque a Catholicis non recedunt. VI. Adulterium destruit unitatem carnis ad Matrimonium requisitam: adversatur triplici bono Matrimonii; fidei quam violat; proli, quam incertam reddit; Sacramento, cuius significationem laedit. Ergo dissolvit Matrimonium, sicuti illud solvit fornicatio spiritualis, seu Infidelitas. *Resp.* Essentia Matrimonii consistit in vinculo (§ 1197. Schol. 2): unitas carnis est quid consequens; et sic adulterium non solvit vinculum, sed thorum. Item vinculum coniugale a bonis coniugii distinguitur; proinde iis violatis, illaesum manere potest. Infidelitas vero ex solo Dei privilegio fidei concesso Matrimonium dissolvit.

An indissolubilitas sit Iuris naturae?

Schol. 3. Vinculum Matrimonii est indissolubile, 1. Iure naturali ex primaeva sui institutione: tum quia haec indissolubilitas cognita fuit ab Adamo in statu innocentiae ante omnem legem positivam: tum quia indissolubilitas haec exigitur ab ipsa natura status coniugalis; sine hac enim refrigescet charitas coniugum; incerta erit proles, si mulier cum pluribus coniungatur; et debita prolis educatio corruit, si Matrimonio soluto, mutuis curis parentes illi non prospiciant. Unde etiam apud Romanos per 600 annos nullum soluti Matrimonii exemplum occurrit, licet postea corruptis eorum moribus, ex levissimis causis solutum fuerit. 2. Est indissolubile iure Divino, uti ex dictis constat. 3. Ratione Sacramenti, quia significat unionem Christi indissolubilem cum Ecclesia. Dices I. Si Matrimonium iure naturae est indissolubile, ergo nequit dissolvi per conversionem unius Infidelis ad fidem, et per solemnem Professionem. *Resp.* Matrimonium quidem ex natura sua est indissolubile, ita ut ab homine dissolvi non possit; bene vero a Deo supremo Domino ob nonnullas rationes Matrimonio extrinsecas, v. g. bonum fidei et Religionis, omnino irritari possit. II. Matrimonium nascitur mutuo consensu: ergo etiam mutuo consensu dissolvi potest. *Resp.* Dissolutionem reservavit sibi Deus; imo hoc consensu posito, eo ipso ad indissolubilitatem coniuges tenentur, quia dissolubilitas fini Matrimonii contrariatur.

Schol. 4. Quaeritur, an per libellum repudii in Lege Mosaica solutum fuerit Matrimonium, et an ille Iudaeis et Gentilibus licitus fuerit. Concessum fuisse in Lege veteri Iudaeis libello repudii uxori dato aliam ducere, patet ex *Deut.* 24. *v.* 1. *Si acceperit homo uxorem, et non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam foeditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua.* Forma huius libelli sequens fuisse traditur: *Ego N. die N. mensis N. anno a creatione mundi N. hic et in hac civitate ex animi mei consensu, et sine ulla coactione repudiavi N. et dedi illi libellum repudii in manu, schedam abscissionis, et signaculum divisionis, ut sit a me abiecta, et abeat quocumque voluerit, ducique possit ab omni viro, nec eam quisquam prohibere praesumat, iuxta constitutiones Moysis et Israel.* Apud Romanos vero forma repudii haec erat: *Res tuas tibi habeto;* vel: *Res tuas tibi agito.* Ut libellus repudii esset legitimus, debebat dari a solo viro, et quidem in scriptis exaratis a Scribis publicis, causa rite discussa; quae tamen in scripto, ne noceret repudiatae, non exprimebatur. His suppositis, *Respondeo:* Olim permissus fuit Iudaeis libellus repudii, dissolvens vinculum coniugale non solum impune, sed etiam licite. Id quod patet ex verbis Deuteronomii mox citatis, nec unquam de usu legitimo huius libelli Iudaei a Prophetis arguuntur; praesertim quia, iuxta legem *Lev.* 21. latam, Sacerdos non poterat ducere in uxorem repudiatam: ergo alii poterant ducere; sane vox Hebraica *Deut.* 24. *v.* 1. כריתת (*cheritut*) discissionem Matrimonii significat. Deinde si vinculum Matrimonii non fuisset solutum per libellum repudii, mulieres caruissent semper remedio contra incontinentiam; cum e contra viri ob Polygamiam permissam plures uxores ducere potuissent, quod non satis aequum videretur. Dices I. cum P. Berti et aliis: Mulier repudiata alteri nubens, dicitur *polluta et abominabilis coram Domino: Deut.* 24. *v.* 4. et *Ier.* 3. *v.* 1. Ergo libellus non erat licitus, sed tantum impunis. *Resp.* Repudiata a viro secundo rediens ed primum, *Deut.* 24. dicitur *abominabilis*, quia videtur quasi ad tempus dimissa, et alteri viro commodata. Ieremias respicit ad legem prohibentem, ne repudiata post mortem secundi viri ad priorem accedat. II. Christus *Matth.* 19. ait, solum *ad duritiam cordis* permissum fuisse libellum repudii. *Resp.* Non fuit olim mandatum repudiandi uxores, sed permissio, cum dispensatione tamen Dei coniuncta. An libellus repudii olim fuerit licitus?

Art. 1. *De dissolutione Matrimonii per conversionem unius coniugis infidelis ad fidem.*

§ 1262. Licet autem Matrimonium ex se sit indissolubile, Matrimonium tamen Infidelium etiam per copulam consummatum, quoad vinculum dissolvitur, Deo in gratiam Religionis dispensante, si unus coniugum convertatur ad fidem, et alter Infidelis nolit pacifice sine contumelia Creatoris cum eo habitare. Nam 1. *ad Cor.* 7. *v.* 12. ait Apostolus: *Caeteris ego dico* (scilicet ex inspiratione Spiritus S.): Matrimonium dissolvitur per conversionem unius infidelis ad fidem.

Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam, etc. Et *v.* 15. *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi.* Quod autem hic sermo sit de dissolutione quoad vinculum, patet ex eo, quia conceditur hic coniugi fideli habenti uxorem Infidelem, quod denegatur coniugibus fidelibus: sed fidelibus denegatur potestas dissolvendi Matrimonium quoad vinculum *v.* 10. non vero quoad thorum: ergo Infideli converso, altero nolente pacifice cohabitare, conceditur. Idem patet ex *cap. Quanto, de Divort.*

Gallorum sententia.

Schol. 1. Equidem pars maxima Theologorum et Canonistarum docet, Matrimonium in Infidelitate contractum per professionem Religionis Christianae dissolvi. Verum notabile est, quod occasione Iudaei nomine Levi ad Catholicam Religionem conversi in Galliis contigit. Hic cum Iudaeam uxorem ut se converteret, et cum ipso cohabitaret, frustra rogasset, alias nuptias cum Anna Thevard contrahere cupiebat: repulsam passus a suo Parocho, necnon Suessionensi Officiali, ad Parlamentum Parisiense appellavit: causa pluribus diebus agitata fuit, et tandem referente Seguerio generali Advocato, pristinum Matrimonium in robore suo permanere iudicatum fuit. Quae vero ad hanc causam spectant, duobus voluminibus in 12. impressa sunt sub titulo: *Recueil important sur la question de savoir: si un Juif marié dans sa Religion peut se remarier après son Baptême, lorsque la femme Juife refuse de le suivre, et habiter avec lui.* Traducti etiam eadem occasione fuerunt in idioma Gallicum duo Libri S. Augustini *ad Pollentium* cum notis ac dissertatione.

An coniux conversus teneatur retinere coniugem infidelem pacifice habitare volentem?

Schol. 2. Quaeritur, an cum coniux infidelis convertitur ad fidem, teneatur habitare cum infideli nolente quidem converti, volente tamen pacifice cohabitare sine contumelia Creatoris. *Respondeo:* si coniux infidelis consentiat pacifice cohabitare cum fideli, licet quidem absolute loquendo ex dispositione Divina ad alias nuptias convolare; prohibetur tamen, si hoc fieri non possit sine offensione, et scandalo aliorum. Ita 1. innuit ipse S. Apostolus, 1. *ad Cor.* 7. *v.* 12. *Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* 2. S. Augustinus *l.* 1. *de adult. coni. c.* 18. ait: *Tunc autem non expedit id, quod licitum est, quando permittitur quidem, sed usus ipsius potestatis aliis affert impedimentum salutis: sicut et discessio fidelis coniugis ab infideli, quam non prohibet Dominus praecepto legis, quia coram illo iniusta non est; sed prohibet Apostolus consilio Charitatis, quia infidelibus affert impedimentum salutis, non solum quia perniciosissime scandalizantur offensi, verum etiam, quia cum in alia coniugia ceciderint viventibus eis, a quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati difficillime resolvuntur.* Unde ad Superiores Ecclesiasticos spectat iudicare, ut fidelis ab Infideli discedat.

Quando solvatur Matrimonium fide-

Schol. 3. Ulterius quaeritur, quo tempore solvatur Matrimonium fidelis conversi, an statim, quando Baptismum suscipit, an solum quando Matrimonium aliud contrahit. *Resp.* Tunc dissolvi, quando

conversus re ipsa aliud Matrimonium contrahit. Ita patet, tum ex c. *Gaudemus, de divort.* ubi Innocentins III. respondet: *Quod si conversum ad fidem, et illa conversa sequatur, antequam propter causas praedictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur:* tum ex eo, quod hanc sententiam declaraverit S. Congregatio a. 1679. et an. 1680. et itidem amplexa fuit an. 1729. in casu, quo Hebraea aliqua ad fidem conversa interpellavit virum renuentem et alteri nubentem, qui tamen postea baptizatns ad primam uxorem adhuc innuptam redire cogebatur. Cum vero deinde quaereretur, an saltem ius esset Papae, primum Matrimonium in Infidelitate contractum et consummatum relaxandi, veniamque concedendi coniugi tardius ad fidem converso, ut in praedictis circumstantiis cum secunda uxore permancat; Prosper de Lambertinis postea Benedictus XIV. P. affirmativam quidem probavit in speciali Dissertatione, utpote quam exercuerunt Pius V. et Gregorins XIII. S. Congregatio tamen a sententia ferenda abstinuit. Lis conversi?

Coroll. Pract. 1° Si uterque coniux ad fidem convertatur, Matrimonium non dissolvitur. Matrimonium autem fidelis conversi tunc dissolvitur, si Infidelis discedat, et nolit cum fideli habitare ex eo praecise, quia fidelis factus est; si enim ex alia iusta causa separetur, v. g. ob adulterium ante vel post Baptismum a converso commissum, vel ob aliam rationem insti divortii, Matrimoninm non dissolvitur. 2° Matrimonium dissolvitur, si Infidelis velit quidem fideli cohabitare, sed non sine iniuria Creatoris, hoc est blasphemia in Religionem Christianam eiusque ritus, et inducat conversum ad Infidelitatem, vel aliud quodcumque grave peccatum, c. *Gaudemus, de Divort.* 3° Si marito ad fidem converso, postea etiam uxor convertatur, cogendus est vir adhuc innuptus uxorem suam recipere: si vero uxor adhuc infidelis viro converso alias nuptias celebravit, vir adhuc innuptus ad Infidelitatem revertens suam coniugem recipere debet; quia Matrimoninm ab ea contractnm nullnm fuit, quia facultas solvendi Matrimonium per transitum ad alias nuptias soli fideli concessa fuit. Si uxor infidelis cum alio fornicetur, et deinde ad fidem convertatur, vir innuptus eam quidem ob violatam fidem repellere, neuter tamen ad alias nuptias transire potest. 4° Si fidelis velit ad alias nuptias transire, debet Infidelem monere, et interrogare, an ad fidem converti velit, et ad deliberandum moram illi concedere; et pro hac re utiliter etiam testes ad faciliorem probationem adhibentur. Si infidelis latitet, ita ut interpellari non possit, necessaria est dispensatio Papae, si conversus nuptias inire velit: ita decisum esse a S. Congregatione a. 1722. testatur Benedictus XIV. *de Syn. l.* 6. *c.* 4. Nec Papa difficilem se praebet in dispensando: nam Gregorius XIII. locorum Ordinariis, Parochis, et Presbyteris Missionariis S. I. in Angola, Æthiopia, et Brasilia degentibus licentiam dedit, dispensandi cum quolibet coniuge ad fidem converso, ut novum Matrimonium inire possit, omissa interpellatione Infidelis, quam constat legitime interpellari non posse. Eamdem potestatem dedit Benedictus XIV. Nuntio Apostolico Vene- Resolvuntur casus.

tiis, dispensandi in hoc casu cum coniugibus conversis, existentibus in loco pio Catechumenorum Venetiis. 5° Inito Matrimonio inter coniuges fideles, si eorum alter in Apostasiam labatur, separandi quidem sunt, sed nullo casu permissum est coniugi innocenti fideli aliud Matrimonium contrahere; quia eorum Matrimonium ex ratione Sacramenti est insolubile: *c. Quanto, de Div.* et ex Constit. Benedicti XIV. *Inter omnigenas.*

Art. 2. *De dissolutione Matrimonii per professionem religiosam.*

Matrimonium solvitur per Professionem Religiosam

§ 1263. Alter casus, in quo Matrimonium solummodo ratum, id est a Christianis in facie Ecclesiae contractum, necdum tamen per copulam consummatum, quoad vinculum etiam dissolvitur, est Professio solemnis in Religione approbata. Ita decernitur 1. in c. *Verum, de conv. coniug.* ubi Alexander III. ait: *Verum post consensum legitimum de praesenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere Monasterium, sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt, dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos: et alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum est ad secunda vota transire; quia cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, et alter in saeculo remanere.* Et *c. Publico*, dictus Pontifex cupienti profiteri, duos menses concedit ad deliberandum, quibus elapsis, aut Religionem ingrediatur, aut uxori adhaerere compellatur. Solvit deinde obiectionem, quae peti posset ex Evangelio prohibente, virum ab uxore discedere: *Sane, inquit, Dominus in Evangelio dicit, non licere viro, nisi ob causam fornicationis, uxorem suam dimittere, intelligendum est secundum interpretationem sacri eloquii de his, quorum Matrimonium carnali copula est consummatum, sine qua consummari non potest.* Idem statuit Innocentius III. *c. Ex parte, de conv. coniug.* et Tridentinum *Sess.* 24. *can.* 3. *Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius coniugum non dirimi; anathema sit.* 2. Patet ab exemplis veterum. S. Thecla, teste S. Ambrosio *l.* 2. *de Virg. c.* 3. cum in S. Paulum incidisset, pactas nuptias dissolvit. S. Gregorius *l.* 3. *dialog. c.* 14. narrat de virgine Gregoria, quod constitutis iam nuptiis Sanctimonialis facta, Sponsum, quem fugit in terra, in coelo habere meruerit. S. Gregorius Tur. *de vit. Patr. c. ult.* narrat, Leobardum rupto foedere nuptiali Monachum factum esse. 3. Rationes, quae petuntur a perfectione status Religiosi, qui est mors spiritualis; et ex eo, quod ante consummatum Matrimonium coniuges necdum sint una caro, seclusa voluntate Dei, quae nobis per definitiones Ecclesiae innotescit, non satis firmiter probant, uti examinanti patebit.

Solvuntur obiectiones

Schol. 1. Heterodoxi contendunt, Matrimonium ratum non dissolvi per solemnem Religionis Professionem. I. Quia de hoc nil habetur in S. Scriptura; imo *Matth.* 19. dicitur: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Nec patet ex Traditione; nam exempla S. The-

clae, etc. non probant, Matrimonia corum quoad vinculum soluta fuisse. Et Pallavicinus *hist. l.* 23. *c.* 9. refert, plures Patres in Concilio Tridentino censuisse, Canonem de hac re non esse condendum: ac Maldonatus ait, momenta pro dissolutione Matrimonii tantum rati nil probare, nisi concedatur, illud non esse verum Sacramentum. *Resp.* Hoc dogma habetur ex continua Traditione, et exempla allata probant, nuptias quoad vinculum esse solutas, quia erant *pactae nuptiae*, ruptum est *foedus nuptiale*. Patres Tridentini tandem in unam sententiam concesserunt. Maldonatus vero non videtur satis attendisse ad Canonem Tridentinum, quem inutilem reddit: si enim Ecclesia non censuisset, Matrimonium ratum tantum esse verum Sacramentum, frustra contra haereticos definivisset, illud dissolvi per solemnem Religionis Professionem; nam ubi nullum vinculum, nulla est solutio. II. Matrimonium ratum, est iure naturae indissolubile, sicuti consummatum, quia utrumque est Sacramentum; et eius dissolutio non potest fieri sine iniuria alterius coniugis; ergo per Professionem Religiosam solvi nequit. *Resp.* Matrimonium tantum ratum, iure naturae absoluto non est indissolubile, sed tantum hypotetico, si nulla alia iusta causa, v. g. solemnis Professio, accedat: hinc in Matrimonio rato tantum in gratiam Religionis, non vero in consummato, Deus dispensat. Nec fit iniuria alteri coniugi, quia in contractu Matrimonii subintelligitur haec tacita conditio: nisi intra duos menses incesserit mo animus, profitendi in Religione approbata, intra quem terminum nec sponsus tenetur Matrimonium celebrare, nec coniux illud consummare; imo iniuria illi fieret, si copula per vim extorqueretur. III. Susceptio SS. Ordinum non dissolvit Matrimonium ratum, quod iuxta S. Augustinum *l.* 1. *de nupt. c.* 21. firmius est consummato, sicuti nec Matrimonium inter B. V. Mariam et S. Iosephum dissolvi potuit: ergo nec illud dissolvit Professio Religiosa, cum qua stat charitas et consensus animorum, quibus Matrimonium perficitur. *Resp.* Disparitas, cur susceptio S. Ordinis non dissolvat Matrimonium ratum, petenda est a voluntate Dei. Hoc quidem firmius est consummato quoad vinculum mutui amoris, et consensus animorum; non vero quoad foedus coniugale. Coniugium inter B. V. Mariam et S. Iosephum indissolubile fuit propter prolem, quae huius coniugii bonum erat; licet enim per copulam consummatum non fuerit, fuit tamen consummatum consummatione prolis, quae non ex, sed in illo nata fuit. Denique coniugalis animorum coniunctio dicit ordinem et ius radicale tum ad individuam vitae societatem, tum ad copulam: quo utroque iure privatur coniux per Professionem alterius in Religione approbata.

Schol. 2. Quaeritur, quo iure dissolvatur Matrimonium ratum per solemnem Professionem. *Respondeo* 1. Non solvitur iure naturae; nam spectata rei natura, Matrimonium ratum potius votum solemne irritare videtur, cum corpus per Matrimonium ratum coniugi traditum, per solemnem Professionem Religioni tradi non posse videa- Quo iure Matrimonium per Professionem solvatur?

tur: et si per votum solemne in Religione iure naturae solveretur Matrimonium, deberet etiam solvi per votum in susceptione S. Ordinis; nec Matrimonium foret iure naturae indissolubile, cum haberet causam naturalem, a qua solveretur. 2. Non solvitur solo iure Ecclesiastico, tum quia initium huius iuris Ecclesiastici assignari non potest, tum quia Pontifices illud a traditione deducunt. 3. Solvitur igitur iure Divino positivo: nam iuxta regulam S. Augustini *l. 4. de Bapt. c. 24. Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Sed talis est solutio Matrimonii rati per solemnem Professionem, quia ipsi Pontifices citati, Alexander III. ad Divini eloquii interpretationem, et Innocentius III. ad revelationem in hoc privilegio provocant: ergo descendit a iure Divino, per continuam traditionem ad nos descendentem. Dices: Ratio naturalis dictat, licere a statu imperfectiori ad perfectiorem transire: ergo per Professionem Religiosam iure naturae solvitur Matrimonium ratum, maxime quia alteri coniugi nulla fit iniuria. *Resp.* Iure naturae licet quidem ad statum perfectiorem transire, sed non per dissolutionem vinculi coniugalis, quod manet, altera etiam parte non violata, nisi Deus dispenset.

An Papa in Matrimonio rato dispensare possit?

Schol. 3. Quaeritur ulterius, an etiam Papa vinculum Matrimonii rati tantum per dispensationem solvere possit. ***Respondeo***; Affirmative, tum quia Pontifices in hoc iam saepe dispensarunt. Sic S. Antoninus *p.* 2. *t.* 1. *c.* 21. refert, se vidisse talem dispensationem factam a Martino V. et Eugenio IV. Navarrus in *Summa c.* 22. dicit, ter vel quater ad petitionem suam dispensasse Paulum III. et Pium IV. Caietanus in Opusculis, *t.* 1. *tr.* 28. idem sua aetate factum esse testatur. Henriquez *l.* 2. *de Matr. c.* 8. refert, Gregorium XIII. unica die cum undecim dispensasse. Errasse autem hos Pontifices sane credendum non est: tum quia Papa habet plenissimam potestatem ad omnia pro bono fidelium regimine necessaria, inter quae est dissolutio Matrimonii rati tantum ob supervenientes causas gravissimas, maxime quia illud significat unionem Christi cum anima, quae est dissolubilis: ergo in eo dispensare potest. Dices I. Matrimonium ratum tantum, est iure naturae indissolubile, et Sacramentum: ergo in eo, sicuti in consummato, Papa dispensare nequit. *Resp.* Papa contractum annullare potest, adeoque obligationem ex eo ortam; et sic subtrahit iuri naturae materiam, non vero illud relaxat. Eodem modo Sacramento materiam aufert, annullando contractum, quo sublato, vinculum non manet. In Matrimonio vero consummato habetur iam actualis possessio corporis, et significatur indissolubilis unio Christi cum Ecclesia per Incarnationem; et sic Papa in eo dispensare nequit. II. Si Papa potest irritare contractum naturalem, et sic dispensare, poterit etiam hoc Princeps saecularis, potissimum in Matrimonio Infidelium, quod non est Sacramentum. *Resp.* Negative, quia Papae haec potestas a Deo collata fuit pro bono regimine fidelium tamquam Vicario Christi, non vero Principi saeculari.

Coroll. Pract. 1° Matrimonium consummatum non solvitur per solemnem Professionem, et si quis sine consensu coniugis in Religione profiteatur, potest ab eo repeti, et tenetur exire: si cum eius consensu factum sit, nequit revocari, et ob vinculum non solutum manens in saeculo nequit nubere, ac professus peccans carnaliter, praeter fornicationem et sacrilegium, committit adulterium in Confessione explicandum. 2° Matrimonium ratum non per ingressum Religionis, sed per Professionem modo solvitur, quam proinde remanens in saeculo expectare debet. Per vota autem simplicia, et si Religio non sit approbata, Matrimonium non solvitur. 3° Coniux, qui Religionem ingredi cogitat, vel etiam hanc intentionem nondum habet, primo bimestri non tenetur coniugi petenti reddere debitum, quia modo non intendens, adhuc sententiam mutare potest. Si quis tamen eo animo Matrimonium contraheret, ut ante consummationem Religionem ingrederetur, sine gravissima causa peccaret mortaliter ob iniuriam alteri illatam, impediendo eum ab aliis nuptiis. 4° Post tempus bimestre tenetur quidem coniux alteri petenti reddere debitum; si tamen iniuste negaverit, nec Matrimonium consummaverit, adhuc Religionem ingredi potest, et per Professionem Matrimonium ratum solvitur; ad licite tamen ingrediendum elapso bimestri, consensus coniugis requiritur. 5° Si intra bimestre coniux alium per vim opprimat, Matrimonium quoad vinculum fit indissolubile, quia per veram copulam est consummatum: pars tamen vi oppressa Religionem adhuc ingredi et profiteri potest, altera parte etiam invita, quae ex dolo commodum non meretur, nisi tamen necessitas prolis aliud suadeat: manet tamen semper adhuc in hoc casu vinculum Matrimonii. **Resolvuntur casus.**

Art. 3. *De secundis, et ulterioribus nuptiis.*

§ 1264. Denique Matrimonii vinculum dissolvitur per mortem unius coniugis; quo soluto, secundae et ulteriores nuptiae non prohibentur, nec sunt irritae. Ratio est, 1° 1. *Ad Cor.* 7. *v.* 39. dicitur: *Quod si dormierit vir eius, liberata est: cui vult, nubat, tantum in Domino.* Et 1. *ad Tim.* 5. *v.* 14. *Volo ergo iuniores,* scilicet viduas, *nubere, filios procreare.* 2° Ita docet Traditio. Liber Pastoris *l.* 2. ait: *Si vir, vel mulier decesserit, et nupserit aliquis eorum, numquid peccat? qui nubit, non peccat.* S. Clemens Alexand. *l.* 3. *Strom. Cui Apostolus propter intemperantiam et ustionem ex venia secundum concedit Matrimonium, hic quidem non peccat ex testamento; non est enim lege prohibitus.* S. Hieronymus *ep.* 50. *c.* 7. ait: *Non damno bigamos, imo nec trigamos, et si dici potest, octogamos.* Similia habent S. Ambrosius *l. de vid. c.* 11. S. Augustinus *l. de bon. vid. c.* 11. S. Epiphanius *haer.* 59. 3° Idem statuerunt Concilia. Nicaenum I. exigit, ut Novatiani profiteantur, quod Ecclesiae Catholicae dogmata sequantur, id est, *bigamis se communicare.* Laodicenum *can.* 1. ait: *De his, qui secundum Ecclesiasticam regulam secundis nuptiis iuncti sunt.* Et Eugenius IV. in Decr. *Declaramus, non solum secundas,* **Matrimonium solvitur per mortem, et sic secundae nuptiae sunt licitae.**

sed etiam tertias, et quartas, atque ulteriores nuptias, si aliquod Canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse. 4° Nec ius naturale, nec Divinum prohibet secundas nuptias, sicut nec primas, cum in utrisque sit unio soluti cum soluta, ad quam natura iure Divino permittente inclinat: ergo secundae nuptiae aeque ac primae sunt licitae.

Solvuntur obiectiones. *Schol.* 1. Montanistae, quibus adhaesit Tertullianus, teste S. Augustino de *haer. c.* 26. et Novatiani, teste Theodoreto *l.* 3. *haer. fab. c.* 5. secundas nuptias mortuo priori viro damnarunt. I. Quia Athenagoras in *legation. pro Christian.* vocat eas *decorum quoddam adulterium*. S. Clemens. Alex. *l.* 3. *Strom. fornicationem*. Origenes *hom.* 17. *in Luc.* docet, eas *eiicere de regno Dei*. S. Basilius *ep. ad Amphiloch. can.* 4. tertias nuptias vocat *castigatam fornicationem*, quae poenitentia quatuor annorum plectuntur. S. Chrysostomus *hom.* 32. *in Matth.* et S. Hieronymus *l.* 1. *contr. Iovin.* secundas nuptias esse fornicationem docent. *Resp.* Patres culpantes incontinentiam convolantium ad secundas nuptias, zelo abrepti, ipsas fornicationes vocant, non in se spectatas, sed propter nubentium intemperantiam. Hinc Athenagoras volens diluere obiectionem Gentilium, quod Christiani in suis coetibus voluptatibus indulgeant, dicit, eos etiam secundas nuptias velut minus perfectum quid, et quasi adulterium refugere. S. Clemens illas ratione incontinentiae adiunctae improprie fornicationes vocat: et Origenes vult, eas nos privare sublimiori gradu in regno Dei, non vero omnino ab eo excludere; nam in eadem Homilia dicit, bigamos non mitti in aeternum incendium. S. Basilius tertias nuptias non dissolvit, sed ob incontinentiam nubentis poenitentia dignas censuit. Homilia citata non est S. Chrysostomi, sed hominis haeretici. Et S. Hieronymus non damnat secundas nuptias in se, sed solam intemperantiam saepius nubentium. II. Bigami sunt irregulares: et secundae nuptiae non benedicuntur ab Ecclesia; imo in Concilio Laodiceno *c.* 1. poenitentia illis iniungitur: ergo non licent. *Resp.* Bigamia est Irregularitas ex defectu perfectae significationis Sacramenti (§ 1180. Coroll. 8.), non vero ex delicto. Benedictio secundis nuptiis negatur, tum quia praeseferunt speciem incontinentiae, unde etiam poenitentia secundo nubentibus olim iniuncta fuit: tum quia benedictio nuptiarum est quaedam consecratio, cuius finis foecunditas est mulieris, quam iam adepta esse praesumitur; adeoque non iteratur.

An secundae nuptiae olim fuerint prohibitae? *Schol.* 2. Quaeritur, an olim secundae et ulteriores nuptiae ab Ecclesia prohibitae fuerint. *Respondeo* 1. Ecclesia in votis semper habuit, ut fideles a secundis nuptiis se continerent, uti patet ex 1. *ad Cor.* 7. *v.* 8. *Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis*, si sic *permaneant.* Et *v.* 39. *Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium.* Idem suadent Patres. S. Ambrosius *l. de Viduis c.* 11. *Pro consilio dicimus, non pro praecepto imperamus . . . neque enim prohibemus secundas nuptias, sed non suademus.* S. Hiero-

nymus *ep. ad Acheruchiam : Quid igitur, damnamus secunda Matrimonia? minime, sed prima laudamus.* 2. Hinc olim Ecclesia secundas nuptias ordinarie ut signum incontinentiae habuit; et severius erga secundo nubentes se gessit: sic bigamis poenitentia unius anni, trigamis quinque annorum imponitur in Concilio Neocaesareensi *can.* 3. Ancyrano *c.* 19. Laodiceno *c.* 1. Bigami etiam irregulares ad sacros Ordines iam olim habebantur, ex Origene *hom.* 17. *in Luc.* Benedictio Sacerdotalis secundis nuptiis denegabatur, *c.* 1. *de secund. nupt.* 3. Nulla tamen lege universaliter recepta, Ecclesia olim secundas nuptias probibuit, quia nullus Canon circa has proferri potest. Equidem saeculo nono Basilius Imperator Orientalis quartas nuptias irritavit, quod idem Leo eius filius decrevit; sed cum ipse Leo quartam uxorem ducens, a Nicolao Patriarcha Constantin. excommunicatus ob hoc esset, et Leo ideo Nicolaum in exilium eiecisset, Ioannes X. P. cum Imperatore dispensans, hanc litem composuit. Deinde etiam Orientales Episcopi a Constantino Leonis filio convocati, lege lata anno 925. quartas nuptias omnino prohibuerunt; quae tamen lex Orientis fines non excessit.

CAP. IX.

De Divortio.

§ 1265. Quamquam autem Matrimonium exceptis praedictis casibus sit quoad vinculum indissolubile, dissolvi tamen potest quoad thorum et habitationem, remanente vinculo coniugali; quae separatio dicitur *Divortium*. Divortium quid?

§ 1266. Christiani ergo coniuges aliquando licite separari possunt quoad thorum et habitationem, salvo Matrimonii vinculo. Nam 1° *Matth.* 5. *et* 19. Christus permittit, uxorem dimitti ex causa fornicationis. Et 1. *ad Cor.* 7. *v.* 10. *et* 11. *Iis autem, qui Matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Ubi supponit Apostolus, per divortium, de quo loquitur, Matrimonium non dirimi, cum decernat, mulierem separatam manere innuptam. Deinde supponit, divortium esse licitum; optionem enim dat mulieri, vel redeundi ad maritum, vel non redeundi, dummodo maneat innupta; si autem divortium censeret esse illicitum, sine dubio ad reconciliationem eam compelleret. 2° Accedit communis praxis Ecclesiae, quae constat ex toto titulo *de Divort.* et definitio Tridentini *Sess.* 24. *can.* 8. *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter coniuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.* 3° Ius naturae dictat, ut frangenti fidem, fides non servetur eidem. Divortium subinde est licitum.

Schol. Lutherus *l. de capt. Babyl. c. de Matrim.* Melancthon in *loc. Theol. de coniug.* Kemnitius *p.* 2. *Exam.* licet doceant, Matrimonium ob nonnullas causas dirimi posse, negant tamen, coniuges Solvuntur obiectiones.

licite separari quoad thorum et cohabitationem, I. Quia S. Paulus in citato textu praecipit mulieri reconciliationem: ergo divortium non approbat: et Christus *Matth.* 19. ob solam fornicationem permittit, dimittere uxorem: ergo ob alias causas divortium fieri nequit. *Resp.* S. Paulus de duplici discessione uxoris loquitur, cum ait: *Praecipio, uxorem a viro non discedere*: et cum ait: *Quod si discesserit, manere innuptam*: in priori agit de iniusta discessione: in posteriori, de iusta. Deinde aliae etiam causae divortii in S. Scriptura assignantur, uti haeresis: *ad Tit.* 3. *Haereticum hominem post unam et secundam correctionem, devita.* Item si unus alterum ad peccatum impellit: *Matth.* 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum:* Christus autem solam fornicationem assignat, quia est causa perpetui divortii; cum aliae causae post emendationem divortium tollant. II. Divortium praebet dimissae parti causam adulterandi: facit, ut vir non adhaereat uxori: ut mulier non sit adiutorium coram illo: ut habeat potestatem corporis sui, non vero vir: ut coniuges tentet Satanas: ut non sint una caro: ut non sit individua vitae consuetudo. Ergo vel non licet, vel solvit vinculum Matrimonii. *Resp.* Periculum adulterii non imputatur dimittenti, qui utitur iure suo, sed ei, qui dedit causam, cur dimitteretur. Deinde vinculum coniugale est talis mutua obligatio, ut vir, vivente uxore, non possit esse alterius: cohabitatio vero, et societas lecti ac mensae non sunt, nec efficiunt ipsum vinculum, sed ex illo consequuntur; quia vinculum, etiam viro ad exteros profecto, remanet.

Resolvuntur casus. *Coroll. Pract.* 1° Divortium fieri potest mutuo consensu ad liberius Deo serviendum, neve proles supra facultates multiplicentur, dummodo periculum incontinentiae absit. 2° Altera causa divortii est adulterium ex parte innocentis; ubi nomine adulterii etiam Sodomia, et bestialitas completa, non vero tactus impudici, et mollities intelliguntur. Cognito autem certo adulterio, pars innocens ius habet, propria auctoritate se separandi, et alimenta ac debitum negandi, nisi scandalum obstet; quoad separationem vero ab habitatione, iudicio Ecclesiae opus est, nisi crimen sit notorium: si vero non sit notorium, nec in foro externo probari possit, ob scandalum propria auctoritate separatio fieri nequit. In nonnullis etiam casibus divortium ob adulterium fieri nequit, scilicet 1. Si quis contra voluntatem vim sit passus; secus vero, si ex metu consenserit, *c. Proposito, caus.* 32. *q.* 5. 2. Si coniux bona fide ad alterum accesserit, putans esse suum virum, vel eum mortuum credens alias nuptias contraxerit, *c. Cum per bellicam, caus.* 34. *q.* 2. 3. Si uterque coniux adulterium commiserit, *c. Significasti, de Divort.* 4. Si post adulterium coniuges sunt reconciliati. Si autem post utriusque adulterium unus emendatus emendationem alteri offerat, quam ille respuens denuo fornicatur, emendatus ius faciendi divortium acquirit. Quod si facto ex sententia iudicis divortio, innocens deinde adulterium committat, ante sententiam iudicis coniugem recipere non tenetur. Dupliciter autem cri-

men adulterii condonari potest: expresso, verbis; vel tacito, facto reddendo debitum, se non separando, familiariter conversando post cognitum adulterium: ubi condonatio in foro externo praesumitur, quae tamen cessat in foro conscientiae, si voluntas condonandi defuerit. Divortium autem ob adulterium instituere non tenetur innocens, nisi scandalum, et spes corrigendi nocentem aliud suadeant. Facto vero divortio ob adulterium etiam per sententiam iudicis, innocens adulterae reconciliari potest, quia iure suo non privatur: ordinario tamen innocens adulterum etiam emendatum recipere non tenetur, quia adulterium est causa divortii perpetui, nisi charitas et periculum incontinentiae aliud iubeant. 3ª Causa divortii temporalis est haeresis, quamdiu in altero coniuge durat, c. *Quanto*, *de Divort.* ubi tamen monitio praemittenda est, ut de pertinacia constet, c. *Non solum. caus.* 28. *q.* 1. qua cognita, etiam propria auctoritate innocens divortium facere potest; imo subinde ob periculum perversionis tenetur: et si quidem propria auctoritate fiat, innocens coniugem resipiscentem mox recipere tenetur; non autem, si divortium auctoritate Ecclesiae factum fuerit in poenam haeresis, c. *De illa, de Divort.* 4ª Causa divortii est, si coniux alteri sine gravi periculo animae cohabitare non possit: tunc enim durante periculo potest divertere, imo obligatur, si alio modo illud effugere non possit, c. *Idololatria, caus.* 28. *q.* 1. 5ª Causa divortii est, si coniux alteri sine gravi periculo corporis cohabitare non possit. Huc spectant insidiae vitae a coniuge structae, magna eius saevitia ex ira, furore, crebra ebrietate, ingenii et morum asperitate proveniens, ita ut sine gravi damno cohabitatio fieri non possit, c. *Litteras, de restit. Spol.* Malum autem impendens debet esse grave, uti mors, mutilatio, gravia et atrocia verbera, continuae discordiae, sive deinde haec mala ab ipso coniuge, sive ab eius parentibus ex culpa coniugis timeantur, c. *Ex transmissa, de restit. Spoliat.* Debet etiam esse malum pro futuro impendens; semel enim et iterum verberatum esse non sufficit. Item debet esse probabiliter inevitabile; hinc si cautio de malo non amplius inferendo praestetur, divortium non licet, c. *Litteras, de restit. Spol.* 6° Si malum ex cohabitatione sine culpa alterius coniugis eveniat, uti amentia, morbus contagiosus, si solum molesta fiat cohabitatio, divortium non permittitur; secus, si vitae periculum immineat. Quod si causa divortii ob periculum animae vel corporis etiam notoria fuerit, ordinarie non propria auctoritate, sed ex sententia iudicis Ecclesiastici divortium institui debet, nisi periculum sit in mora. 7° Si divortium inter coniuges factum sit, liberi debent manere penes partem innocentem expensis patris, si is divortio ansam dederit; si contra, expensis matris locupletis, saltem post sententiam iudicis, quia in hoc Iuristae non conveniunt. Proles autem parti innocenti infideli non est relinquenda, c. *ult. de conv. infid.* Si mater nocens sit dives, pater vero innocens pauper, vel vicissim, proles diviti relinquitur, *Auth. Si pater, C. de Div.* 8° Si ob culpam mariti fiat divortium, tenetur alere uxorem: si

vero causa divortii cesset, et uxor renuat redire, non tenetur, quia tunc ipsa est in culpa. Si divortium fiat ob culpam uxoris, maritus non tenetur eam alere, quia ipsa non fecit, quod debuit. Si divortium sit factum ob culpam utriusque, maritus tenetur alere uxorem, quia culpa unius compensatur per culpam alterius. Si divortium fiat sine culpa alterutrius, v. g. quia maritus coepit esse leprosus, maritus tenetur alere uxorem.

CAP. X.

De iis, ad quos spectant causae Matrimoniales.

Causae Matrimoniales spectant ad iudices Ecclesiasticos.

§ 1267. Tertius effectus Sacramenti Matrimonii est, quod causae Matrimoniales spectent ad iudices Ecclesiasticos. Ratio est: 1° Quia Christus causam de divortio, et repudio non remisit ad Magistratum politicum, sed ipse iudicavit: *Matth.* 5. *et* 19. Et Apostolus 1. *ad Cor.* 7. causam coniugii inter fidelem et infidelem similiter cognovit, nec ad iudicem politicum remisit. 2° Constat ex Traditione, causas Matrimoniales a iudicibus Ecclesiasticis, sine ulla Principum saecularium contradictione, semper tractatas fuisse. Sic Vigilius P. a. 540. Theodeberto Francorum Regi separationem iniunxit a vidua fratris sui, quam duxerat uxorem. Leo III. a. 795. per legatos suos egit, ut Philippus Augustus legitimam uxorem iniuste repudiatam reciperet: et irritum declaravit Matrimonium Henrici I. Castellae Regis cum filia Regis Lusitaniae ob impedimentum consanguinitatis. Gregorius V. a. 996. Papa factus, irritum pronunciavit Matrimonium Roberti Franciae Regis cum Berta sua consanguinea, excommunicato Archiepiscopo Turonensi, qui illis incestuosis nuptiis praefuerat. Honorius III. Papa creatus a. 1216. ad se vocavit causam natalium Adelae Reginae Cypri, ex qua pendebat successio in comitatu Campaniae; quia exceptio illegitimitatis fundat se in valore Matrimonii. Denique Clemens VIII. a. 1592. adegit Henricum IV. ad dimittendam Margaritam Reginam, cum qua contraxerat post sententiam repudii, a iudicibus Ecclesiasticis pronunciatam. 3° Non facto solum, sed etiam legibus suis Principes saeculares hanc potestatem decidendi causas Matrimoniales, solis iudicibus Ecclesiasticis vindicant. Chilpericus in capit. edit. a. 595. a. 2. iussit, incestas nuptias iuxta Episcoporum sanctiones emendari. Carlomannus in Conventu Liptinensi c. 3. praecepit, ut adulteria, et incesta Matrimonia prohibeantur, et emendentur Episcoporum iudicio. Eadem servari mandavit Carolus M. *l.* 5. *Capit. n.* 5. quod suo exemplo confirmavit, abiiciens post sententiam Episcoporum Bertam filiam Desiderii Regis Longobardorum ob impotentiam, et ducens Hildegardem. Denique Henricus IV. a. 1606. et Ludovicus XIII. a. 1639. Galliae Reges declararunt, in Matrimoniis servanda esse praescripta a Conciliis, et difficultates in foro Ecclesiastico discutiendas. 4° Matrimonium est Sacramentum, nec apud Christianos contractum civilem a ratione Sa-

cramenti separare licet (§ 1199. Schol. 3.). Ergo iudicare, an contractus Matrimonii sit legitimus, est iudicare, an sit Sacramentum : sed iudicare de Sacramentis spectat ad iudices Ecclesiasticos : ergo causae Matrimoniales spectant ad iudices Ecclesiasticos. Bene igitur definit Tridentinum *Sess.* 24. *can.* 12. *Si quis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad iudices Ecclesiasticos, anathema sit.*

Solvuntur objectiones.

Schol. Melanchton. in *loc. de coniug.* Brentius in *Apol. pro Conf. Wittemb.* causas Matrimoniales ad Magistratum politicum simpliciter reiiciunt. I. Quia legem prohibentem coniugia consobrinorum solus Theodosius Imperator tulit. *Resp.* Lex illa approbante Ecclesia lata fuit, quod ex eo patet; cum enim hanc legem postea filii Theodosii abrogassent, *l. Celebrandis, c. de nuptiis*, et Iustinianus Imperator legem tulisset, quod licita essent Matrimonia inter consobrinos, § *Duorum , Inst. de nuptiis;* S. Gregorius P. legem Honorii, et Iustiniani aperte reprehendit in rescripto ad S. Augustinum Anglorum Episcopum, et statuit, inter consobrinos illicita esse coniugia ; et haec lex in Ecclesia auctoritatem obtinuit. II. Concilium Milevitanum decrevit, legem de divortio ab Imperatore esse petendam. *Resp.* Patres Milevitani non petunt legem, qua decernatur, non licere post divortium aliam uxorem ducere, priori vivente; hoc enim iam satis in Concilio Patres definierant, et sub poena Excommunicationis prohibuerant; sed ut poena externa ille puniatur, qui hoc scelus commiserit.

Coroll. Pract. Principes saeculares non habent potestatem iudicialem circa ea, quae spectant ad vinculum Matrimonii, et eius nexum insolubilem ; nec circa ea, quae exinde necessario consequuntur, uti sunt firmitas coniugii, divortium, conditio legitima prolis , et quae pendent a ratione validi contractus in ratione Sacramenti. Accessoria vero spectantia ad civilem societatem , dotem , haereditatem, etc. iudicio saeculari relinquuntur.

CAP. XI.

De coniugum obligationibus.

Obligatio 1. coniugum, reddendi debitum.

§ 1268. Ex hactenus dictis colligi potest, quaenam sint obligationes coniugum. Et quidem Prima est, quod coniuges teneantur sibi invicem reddere debitum coniugale. Nam 1° 1. *ad Cor.* 7. ait Apostolus :*Nolite fraudare invicem :* id est : nolite fraudare alterutrum re debita, quoties una pars illam exigit : ergo denegare debitum, est peccatum contra iustitiam. 2° Denegando debitum , alter coniux exponitur periculo incontinentiae, daturque occasio rixarum, et dissensionum : ergo petenti reddi debet.

Resolvuntur casus.

Coroll. Pract. I. 1° Copulam exercens in Matrimonio propter solam voluptatem, peccat venialiter, iuxta proposit. IX. ab Innocentio XI. damnatam; secus foret, si voluptatem propter finem generationis attenderet. Unde qui praeter finem primarium exercet copulam ex

alio etiam fine secundario, ad vitandam incontinentiam, ob sanitatem, si non excludat finem primarium, non peccat. 2° Qui negat coniugi serio petenti cum periculo incontinentiae et dissensionum debitum sine iusta causa, graviter peccat. Nec excusat a redditione debiti instans devotio, licet conveniens sit, ut coniuges in diebus S. Communionis abstineant. Nec excusat multiplicatio prolium, nisi fiat ex mutuo consensu sine periculo incontinentiae. Nec excusat molestia in gravidatione, et partu perferenda, quia his sponte mulier se subiecit. 3° Licet tamen negare debitum 1. primo bimestri a contracto Matrimonio (§ 1263. Coroll.). 2. Si coniux commiserit adulterium (§ 1266. Coroll.) 3. Si grave damnum exinde sibi vel proli immineat. 4. Si coniux in amentia, vel ebrietate illud petat, nisi in ebrio foret periculum incontinentiae; semiebrio autem et semiamenti reddendum est: uxori autem amenti, ob periculum ne foetum occidat, reddendum non est; secus tamen foret, si tantum sit sterilis. 5. Si nimis frequenter petatur: hinc si quis ter una nocte redderet, quarta vice negare potest. 6. Ob incestum cum consanguinea coniugis in primo et secundo gradu commissum (§ 1234.). 7. Quando uterque coniux castitatem vovit. 8. Si paullo ante petitionem debiti mulier valde crudeliter tractata fuerit, ita ut divortium petere possit; ubi una et altera vice negare potest, nisi maioris saevitiei sit periculum. 9. Si alter solum benevole petat, nec aegre ferat, si denegetur, nisi prae verecundia non audeat instanter petere, vel sit in periculo incontinentiae; ubi negare erit mortale, maxime si ex ira et odio fiat. 4° Debitum sub mortali petere non licet. 1. Illi, qui vovit castitatem, licet possit reddere. 2. Illi, qui cognovit consanguineam coniugis in primo et secundo gradu. 5° Petere debitum tempore fluxus menstrui, est solum veniale ob indecentiam, et ad vitandam incontinentiam; et si fluxus sit quasi perpetuus, licite petitur, nisi proles monstrosa nascitura praevideatur. Tempore, quo uxor est gravida, secluso periculo abortus licite petitur et redditur debitum, quia nulla lex hoc prohibet. Item si uxor hactenus nonnisi proles mortuas genuit, per hoc usus Matrimonii non fit illicitus, quia felix partus adhuc sperari potest. Item post partum, dum in puerpera continuatur purificatio sanguinis, sine periculo morbi licet petere et reddere debitum; quod etiam licet ante ablactationem infantis, nisi lac exinde infici advertatur. 6° Non licet reddere debitum, si petens petendo graviter peccet, vel quia petit copulam contra naturam peragendam; vel in loco publico; vel cum voto castitatis: ubi amice negari potest, ad illum a petitione absterrendum, si fructus speretur; melius tamen petitur dispensatio. 7° Per se loquendo nemo tenetur petere debitum; subinde tamen per accidens, si alter prae verecundia non audeat petere: si adsit periculum incontinentiae: si necessarium sit ad fovendum mutuum amorem: si generatio prolis sit necessaria ad mala reipublicae avertenda. Usus coniugii est licitus ad vitandam in se incontinentiam, licet nulla spes prolis adsit; quia Matrimonium est secundario institutum in remedium concupiscentiae.

Coroll. Pract. II. 1° Coniuges peccant mortaliter, si habeant copulam extra vas debitum, quae est Sodomia imperfecta; licet incipiant in vase indebito, animo eam consummandi in vase debito. 2° Peccant graviter, si scienter et voluntarie semen extra vas effundant vel ante copulam, vel abrupta copula: item si uxores semen iam receptum voluntarie ex quacumque causa eiiciant; quia haec opponuntur fini coniugii. Excusari tamen possunt, si effusio ob metum, senium, et festinationem involuntaria sit. Imo P. Sanchez a mortali excusat foeminam, quae post seminationem a viro in debito vase factam, tactu se excitat, ut et ipsa seminet; quia est actus coniugalis consummatio. 3° Si in actu coniugali vir alteram foeminam, et vicissim foemina alterum virum concupiscat, est desiderium adulterinum, in Confessione explicandum. 4° Coniuges graviter peccant, si servato debito vase, non servent situm naturalem in coeundo, cum periculo effusionis seminis; quod si absit, et vir v. g. stando, vel a tergo, vel succumbendo copulam exerceat, Layman censet, esse peccatum veniale, quod tamen dissuadendum est. 5° Peccant graviter, si impediant conceptionem et generationem prolis: si actum coniugalem cum periculo abortus, vel coram aliis cum scandalo exerceant. Hinc caveant parentes, ne factis vel verbis liberos scandalizent. 6° Coniuges graviter peccant per privatas pollutiones. Item tactus, oscula, amplexus, aspectus, et colloquia venerea coniugum, si fiant cum periculo proximo pollutionis, vel cum dubio de valore Matrimonii, vel cum voto castitatis, semper sunt mortaliter peccaminosa: si vero secluso periculo pollutionis fiant in ordine ad copulam, vel contestandum et fovendum amorem coniugalem, culpa vacant, quia sunt media ad praedictos fines. Si praecise fiant ad maiorem voluptatem, impliciteque solum ad copulam ordinentur sine periculo pollutionis, sunt peccata venialia. 7° Tactus valde infames, uti lingua tangendo verenda, graviter sunt illiciti coniugibus, utpote qui contra rectam rationem fiunt, nec ad copulam ex se ordinantur. 8° Probabilius graviter peccat coniux, si in absentia coniugis se libidinose tangat, et ex apprehensione mariti absentis voluntarie delectetur commotione spirituum genitalium; quia haec delectatio per se non potest ordinari ad copulam, sed per se ordinatur ad pollutionem. Peccata coniugum circa copulam.

§ 1269. Altera obligatio coniugum est, quod uxor marito subsit; quia maritus est caput uxoris, ac familiae, quibus proinde imperare, et subiectos castigare ad convenientem domus administrationem potest; uti patet ex ipsa natura Matrimonii, et primaeva eius institutione, *Gen.* 2. *Matth.* 5. *ad Eph.* 5. *et* 1. *ad Cor.* 11. Obligatio alendi familiam.

Coroll. Pract. 1° Uxor marito in iis, quae ad convenientem familiae administrationem spectant, in conscientia obedire tenetur. Maritus vero uxorem et familiam alere debet; non tamen tenetur alere uxorem, si sine causa a marito recesserit; bene vero si ob proprium delictum in exilium pulsa fuerit, quia ex necessitate a viro recessit: in defectu autem mariti, pater eius ad familiam alendam succurrere Resolvuntur casus.

debet. 2° Vir domicilium suo arbitrio eligere et mutare potest, cumque uxor sequi debet, c. *Unaquaeque*, *cau.* 13. *q.* 2. hinc etiam uxor forum mariti sequitur. Non tenetur tamen uxor virum sequi, cum sine si ita in contractu Matrimoniali pactum fuerit; nec si gravi damno animae vel corporis sequi non possit: nec tenetur sequi voti causa peregrinantem, vel ad bellum proficiscentem, nisi aliter conventum fuerit. Ad longum tempus coniuges a se discedere non possunt sine mutuo consensu, c. 1. *de coni. lepros.* ad breve vero tempus vir sine consensu uxoris peregrinari potest; non vero uxor sine consensu viri. 3° Uxor maritum etiam ex propria culpa relegatum, si contra fidem Matrimonii non deliquerit, sequi, et probabiliter etiam maritus uxorem relegatam, debet; quia quoad obligationem cohabitandi sunt pares. 4° Maritus uxorem delinquentem moderate castigare potest; moderatius tamen quam liberos, quia est socia domesticae administrationis, *l. Rei iudicatae, ff. soluto Matr.* Pater etiam habet ius delicta domesticorum moderate etiam per verbera castigandi, et participative etiam mater ita castigare potest, quia hoc spectat ad bonum regimen familiae: poenae autem graves, carceris, exilii, etc. ad Magistratum pertinent. Ut autem poena sit iusta, debet adesse causa iusta, et poena esse commensurata delicto, et persona esse punibilis; quales non sunt aetate maturi famuli, et mechanici pro mercede laborantes, debetque infligi sine odio et immoderata ira. 5° Frater et alii propinqui non habent potestatem coërcendi consanguineos per modum poenae, nisi eorum curae sint concrediti, vel fiat per modum correctionis. 6° Uxor ad labores pro gubernatione et sustentatione familiae spectantes, v. g. coquendo, lavando, etc. tenetur, nisi forte ob eminentiam status hi labores eam dedeceant: Ad labores vero lucrativos, uti nendo, etc. si sufficientem dotem attulerit marito, non potest cogi, si habeat sufficientes facultates ad familiam alendam; quia eam ex allata dote alere tenetur, *l. Si dotem, ff. soluto Matrim.* hinc si uxor in hoc casu aliquid lucretur, ad eam pertinet. Si vero dotem non attulerit, cogi potest ad laborandum et lucrandum, saltem per subtractionem alimentorum. Eodem modo pater liberos compellere potest ad labores non indecentes, *l. Si quis a liberis, ff. de liber. agnoscend.*

Obligatio 3. bonae educationis prolis. § 1270. Tertia obligatio coniugum est, ut liberos suos christiane et honeste educent, uti explicatum fuit (t. 2. § 877.), ut nimirum parentes liberis suis quoad corpus et animam bene provideant.

CAP. XII.

De necessitate, et praecepto Matrimonii.

Necessitas et praeceptum Matrimonii. § 1271. I. Denique datur praeceptum Divinum et naturale Matrimonii. 1° Praeceptum Divinum ex illo. *Crescite et multiplicamini.* 2° Naturale vero patet ex eo, quia media necessaria propter finem a natura intentum sunt de praecepto naturali: sed Matrimonium est

medium necessarium ad conservationem et propagationem generis humani a natura intentam: ergo cadit sub praecepto naturali.

2. Hoc praeceptum ab initio generis humani omnes quidem obligabat; non vero post sufficientem generis humani propagationem. Sic iam in Lege veteri legimus, nonnullos sine iniuria legis coelibes et castos vixisse, uti Iosue, Eliam, Ieremiam, etc. et *Sap.* 3. laudatur castitas, thori coniugalis nescia. Unde illud *Exod.* 23. sterilem non fore quempiam in terra Israelitica, spectat solum ad benedictionem, coniugibus Dei mandata servantibus promissam: sterilis enim sola coniugata proprie dicitur; quae sterilitas olim in opprobrium et maledictionem reputabatur.

3. Multo minus in Lege Christi tenentur omnes et singuli ad Matrimonium, licet necesse sit, ut aliqui tum ad conservationem speciei, tum ob infirmitatem suam, et salutem aeternam Matrimonio iungantur. Licet enim Matrimonium bonum sit (§ 1195.); melior est tamen continentia (t. 2. § 650.). Liberum ergo est Matrimonium in N. L. singulis; et praeceptum Matrimonii solum totam communitatem pro publica utilitate, et subinde nonnullos per accidens, qui continentiae donum non habent, obligat; quia melius est nubere, quam uri.

Schol. 1. Medina *l.* 4. *de Sacr.* docet, nullum proprie praeceptum de Matrimonio dari, tum quia inclinatio naturalis ad propagationem speciei sufficit, tum quia alias praeceptum Matrimonii consilio virginitatis adversaretur. Sed *Resp.* Cum inclinatio haec non necessario, sed libere consensum expectet, praecepto opus fuit, ne suo actu omnino defraudaretur. Deinde, quando Matrimonium est de praecepto, virginitas non est consilium, sed tunc solum, quando satis multiplicato genere humano, Matrimonium omnibus et singulis non amplius praeceptum est. Scotus *in* 4. *d.* 26. *q.* 1. putat, Matrimonium non esse stricte de praecepto naturali, quia in Decalogo non continetur, nec ad aliquod praeceptum Decalogi reduci potest. Verum nonnulli hoc praeceptum reducunt ad praeceptum amoris sui ipsius, quod est praevium ad praecepta Decalogi; tenetur enim homo suam speciem conservare. Alii reducunt ad praeceptum non occidendi; qui enim in extrema necessitate non nuberet pro conservatione speciei, occidere diceretur. Alii reducunt ad praeceptum de diligendo proximo, quia conservatio speciei spectat ad bonum proximi. An praeceptum Matrimonii sit proprie dictum?

Schol. 2. Ex omnibus hucusque dictis colligi potest, quid in Sacramento Matrimonii sit Sacramentum tantum, scilicet actus contrahentium: res Sacramenti, est gratia: Sacramentum, et res Sacramenti simul, est vinculum perpetuum ex mutuo contrahentium pacto resultans. Atque hic subsistit cursus praesens Theologicus, qui iudicio Sanctae Romanae et Catholicae Ecclesiae devotissime se submittit, cuiusque sit.

FINIS.

U. I. O. G. D.

INDEX

RERUM MEMORABILIUM LOCUPLETISSIMUS.

A

B

FINIS.